[redacted]

GLOSSARIUM EROTICUM

LINGUÆ LATINÆ.

[redacted]

GLOSSARIUM EROTICUM

LINGUÆ LATINÆ,

SIVE

THEOGONIÆ, LEGUM ET MORUM NUPTIALIUM

APUD ROMANOS

EXPLANATIO NOVA

EX INTERPRETATIONE PROPRIA ET IMPROPRIA ET DIFFERENTIIS IN SIGNIFICATU

FERE DUORUM MILLIUM SERMONUM,

Ad intelligentiam Poetarum et Ethologorum tam antiquæ quam integræ infimæque latinitatis;

AUCTORE P. P.

PARISIIS,

APUD AUG.-FR. ET PR. DONDEY-DUPRÉ, BIBLIOPOLAS,

Via dicta Saint-Louis, N. 46,

NECNON VIA DICTA RICHELIEU, N. 67.

M D CCC XXVI.

TYPIS DONDEY-DUPRÉ.

LECTORI ERUDITO.

Dicendo aut scribendo de rebus eroticis, eadem nuditate verborum ab initio utebantur Romani; sed cum sensim spurcata evaderet, dissoni medici et jurisperiti, more technicorum, singularem sibi sermonem instituerunt; optimates vero literatique, urbanitatis causa necnon pueritiæ reverendæ, metaphoricam linguam sibi finxere, plebe retinente primam illam impolitam, quam Martialis appellat *latine loqui*. Hac fuse usi sunt Lucilius, Catullus, Martialis, parciusque Naso, Horatius, Tibullus, Propertius et aliqui scriptores etiam pudicissimi. Secunda lingua in libris, tum de jure tum de medicina, quærenda est; tertia inprimis conflixere Plautus, Persius, Juvenalis, Petronius, Seneca, imo Tertullianus et ipse Civitatis Dei auctor sanctissimus, vitia omnes vario quamquam modo objurgantes.

Nemo sane doctus nescit hujusce præsertim tertiæ linguæ scientiam quam maxime necessariam esse studiosis satyricorum et ethicorum, et eo difficiliorem intellectu nobis in diem fieri, quo longius abest ab origine sua, fere omnino obsolefactis moribus, quos vel expressim vel metaphorice referebat.

Deficiebat tamen lexicon speciale in quo translationes sermonum et lusus in verbis explanarentur, et voces ambiguæ ad rem peculiarem reducerentur.

Hoc opus non leve, erudite lector, ausus sum inchoare, et peritioribus trado ab illis emendandum et perficien-

dum. En igitur accipe libens hunc diuturni mei laboris fructum, GLOSSARIUM nempe EROTICUM *linguæ latinæ*, in quoquidem, nisi tanti rem ponderis manu forte impari tractaverim, omnia quæcumque apud Romanos seu ad theogoniam, seu ad leges, mores et ritus nuptiales, ac vitæ usus diversos, victum, vestitum, voluptatesque antiquitus pertinuerunt, uno quasi adspectu poteris percensere, luculenter explicata duorum fere millium locutionum interpretatione, innumerisque auctorum exquisitissimorum exemplis illustrata et confirmata. Subjunguntur facili nexu intertexta : 1° etyma satis multa, quibus fit plenior vocabulis significatio ; 2° notitiæ de plerisque eroticis scriptoribus, quorum carmina hodie desiderantur ; 3° ampla proverbiorum de amore series undequaque ex veterum libris selecta : quæ cuncta quamdam tibi utilitatem una cum sensu non ingrato adlatura spero.

Nunc esto mihi judex benevolus, candide lector ; sed illud præcipue persuasum habeas velim, hoc libro, unice literas adjuvare in animo fuisse mihi, et, resputis morum innocentiæ infestissimis Meursii aliorumque recentiorum obscenitatibus, inter prætextata verba caste semper scribere caste legentibus.

Lutetiæ Parisiorum, M D CCC XXVI.

[redacted]

GLOSSARIUM EROTICUM

LINGUÆ LATINÆ.

ABDI

A VOLUPTATIBUS. — Munus palatinum a Tiberio institutum:

« Novum denique officium instituit *a voluptatibus*, præposito equite romano, T. Cæsonio Prisco. »

SUET. *Tib.* 42.

« Dein revolutus ad vitia, seu vitiorum imitationem, inter paucos familiarium Neronis adsumptus est, elegantiæ arbiter; dum nihil amœnum et molle affluentia putat, nisi quod Petronius approbavisset. Unde invidia Tigellini, quasi adversus æmulum, et scientia voluptatum potiorem. »

TACIT. *Annal.* XVI, XVIII, 3.

Jam antea præmium publicum ediderant reges Persarum, dandum ei qui novum genus voluptatis repertum a se probaret. (*Dolet*, *de Præposition.* tom. II, *col.* 1707.)

ABACTIVUS.—Abortivus. — Ab *abigere*. (L. IV, *ff. de extr. crim.* L. VIII, *ff. de Sicariis.* L. XXXIX, *ff. de Pœnis.*)

ABDICATIO. — Instrumentum publicum quo pater filium non tantum exhæredem scribebat, sed e familia sua et

[redacted]

etiam nomine suo rejiciebat. Summum jus patriæ potestatis ex Græcorum legibus, Romæ translatum. (V. l. VI, *Cod. de Patria Potest.*)

Patri licita erat *abdicatio* : 1° si filius frequenter foris noctu cubuisset; 2° si comessaretur (Vide COMESSARI); 3° si libidinibus fœde incumberet (*Lucian. in abdicato*, p. 723); et etiam si patris imperium detrectaret. (*Quintil. Declamat.* 283.)

ABDICARE. — Abdicationem inscribere.

« Augustus Agrippam, ob ingenium sordidum et ferox, *abdicavit.* »

SUET. *Aug.* 65.

« Mavult pater filium corrigere quam *abdicare.* »

QUINTIL. *Inst. Orat.* VII, 4.

ABDITIVUS. — Abortivus. (*Fest.*) — Verbum antiquum et obsoletum pro abstracto et avulso.

ABDOMEN. — Viri pudenda. (*Non. Marc.*)

« Quin jamdudum gestit mœcho hoc *abdomen* adimere, Ut faciam quasi puero in collo pendeant crepundia. »

PLAUT. *Mil.* V, 5 sq.

« Cupidinem atque appetitus, postremam mentis portionem, infernas *abdominis* sedes tenere, ut popinas quasdam et latrinarum tenebras, diversoria nequitiæ et luxuriæ. »

APUL. *de Dogmat. Plat.*

ABEONA. — ADEONA. — Deæ secundarii ordinis, puerorum interducæ, quum primum gradi incipiebant.

« Juno selecta et regina, Jovisque soror et conjux; hæc tamen interduca pueris; et opus facit cum *Abeona et Adeona.* »

AUG. *Civ. Dei*, VII, 3; IBID. IV, 21.

[redacted]

ABIRE IN SEMEN. — Quasi liquescere abundantia retenti seminis:

> Pœnas do quoque, quod satis superque est,
> *In semenque abeo*, etc.
>
> *Priap. Carm.* LXXVIII, 15 sq.

ABLUERE. — Accurate *abluebant* se Romani post rem veneream, et quasi religiose. Utebantur ad hunc usum solio cylindraceo, ex ligno aut ære confecto. Stabat loturus immersus aquis ad umbilici libellam.

> Non vis in solio prius lavari
> Quemquam, Cotile: caussa quæ, nisi hæc, est?
> Undis ne fovearis irrumatis.
> Primus te licet *abluas*, necesse est,
> Ante hic mentula, quam caput, lavetur.
>
> MART. II, LXX, 1 sqq.

Vid. *Domitius in Martialem, loco citato.*

Abluebant se et mulieres, sive a geniali lecto surgerent, sive ab impuro. (Vid. *Tertull. Apologet.* 43; *Lamprid. in vita Commodi*, etc.)

« Ideo aquam duxi, ut ea tu inceste utare. »

CIC. *pro Cœl.* 14.

« Draconem repente irrupisse ad eam (Attiam), pauloque post egressum, illamque expergefactam, quasi a concubitu mariti purificasse se. »

SUET. *Aug.* XCIV, 4.

Sic se *abluisse* dicitur Venus, postquam Vulcano concubuit (*Athen.* XV, 8); et Ceres, quum a Neptuno compressa fuit. (*Pausan. Arcad.*)

Solio argenteo utebantur matronæ beatiores.

« Hujus meminit sæpenumero in medicina Celsus. Tanto

[redacted]

enim luxu factum est, ut esset argenteum quo mulieres lavabantur. Fastidiebant enim solia, nisi essent argentea. »

DOMIT. *in Mart.* II, XLII.

Os suum *abluebant* fellatrices.

Quod fellas, et aquam potas, nil; Lesbia, peccas;
Qua tibi parte opus est, Lesbia, sumis aquam.

MART. II, L, 1 sq.

Abluebant se puerperæ a partu patrato, et quidem continuo.

« *D.* Peperisse eam audivi. *A.* Ah! obsecro, tace, Dinarche. *D.* quid jam? *A.* Horresco misera, mentio quoties fit partionis. Ita pæne tibi fuit Phrosenium: i intro jam, amabo; Vise illam, atque operire ibi: jam exibit, nam lavavit. »

PLAUT. *Truc.* I, II, 92 sqq.

« Nunc primum fac isthæc ut lavet. »

TERENT. *Andr.* III, II, 3.

ABORTIO. — Crimen mulierum quo partum abigebant: 1° ne rugis venter sulcaretur (*Senec. ad Helvid.*); 2° ut illico vacuæ continuo subare possent (*Plut. de Tumid.*); 3° ad illegitimi coitus testimonium abolendum.

« Celabat (graviditatem), metuebatque te, ut ne sibi persuaderes, Ut *abortioni* operam daret, puerumque ut enecaret. »

PLAUT. *Truc.* I, II, 99 sqq.

Venena *abortiva* dantes pœnis mulctabantur.

« Qui *abortionis* poculum dant, etsi dolo non faciant, tamen, quia mali exempli res est, humiliores ad metallum, honestiores in insulam, amissa parte bonorum, relegantur. Quod si eo (poculo) mulier aut homo perierit, summo supplicio afficiuntur. »

PAULL. *Rec. sent.* XXXVIII, § 7.

Præcaventes fœminæ spadonibus utebantur, et tunc *abortivo non* erat *opus* (*Juv.* VI, 367), aut se mixtionibus steriles reddebant. (Vid. EUNUCHI et STERILITAS.)

Inde et pro tempore graviditatis:

ABORSUS. — Abortio paulo post conceptum. (*Non. Marc.*)

ABORTUM. — Non tempestive ortum. (*Festus.*)

ABORTUS. — Prope tempus pariendi : tunc enim moritur quod nascitur. (*Non. Marc.*)

ABORTIVUS. — Pro nano et pumilione. V. *Suet. Aug.* 35.

> .... strabonem
> Appellat pætum pater; et pullum, male parvus
> Si cui filius est, ut *abortivus* fuit olim
> Sisyphus.....
>
> HOR. *Sat.* I, III, 44 sqq.

ABRONIS VITAM AGERE. — Pathice vivere. — A quodam Argivo *Abronis* nomine, cujus mollissima vita in proverbium abiit. (Vid. *Zenodoti Parœmia, et Proverbia Erasmi.*)

ABSENTES COMÆ. — Crines quorum fuco color naturalis adulteratus est.

> Quum sis ipsa domi, mediaque ornere Suburra,
> Fiunt *absentes* et tibi, Galla, *comæ*.
>
> MART. IX, XXXVII, 1 sq.

ACCA. — Hujus nominis duo notatæ sunt mulieres ab antiquariis : *Acca* Laurentia, uxor Faustuli, pastoris regii, altrix Romuli et Remi, celeberrima lupa, id est scortum famosissimum ; nam Romani quascumque

[redacted]

meretrices lupas nuncupabant, ob hujus generis duplicem et corporis et bonorum ingluviem. (V. LUPA.)

Acca altera Tarutia dicebatur, ex marito suo Tarutio, nobili Tusco. Nonnullis eadem est ac Flora. (Vide FLORALIA.)

Festa Laurentiæ celebrabantur mense decembri; Tarutiæ vero, mense aprili. (*Scaliger. Conject. in Varr.*)

Inde :

ACCALIA. — Festa Accæ Laurentiæ, melius Laurentalia.

« *Accalia*, feriæ publicæ Laurentinæ; is dies, quem quidam scribendo Laurentalia appellant, ab Acca Laurentia nominatur, cui sacerdotes nostri publice parentant; et dicunt hunc diem Laurentini, Accas Laurentinas. » (*Varr. L. L.* V, 3.) Multa de *Accaliis* apud *Gell.* VI, 7.

ACCO. — Nomen cujusdam mulieris quæ, quum jam senescens faciem ad speculum explorasset, in insaniam cecidit dolore difformitatis suæ. (*Cœl. Rhod.* VI, 15.)

ACCO. — Nomen terriculamenti, cujus metu solebant matres puellulos in obsequio continere. (*Plutarch.*)

ACCUMBERE INTERIOR. — Accumbere in sinu, in gremio cœnantis, et interiori lecto.

In primum Romanos sedentes cœnitasse indubitatum est.

« Sedes dictæ, inquit Isidorus, quoniam apud veteres Romanos non erat usus *accumbendi*, unde et consedere dicebantur: sed postea viri discumbere cœperunt, mulieres vero sedebant. » « Quod genus severitatis, inquit Val. Maximus, ætas nostra diligentius in Capitolio (Jovis epulo) quam in domibus suis servat. »

VAL. MAX. l. II, c. 1.

Impudicitia enim notabantur mulieres si forte *accubuerint*, ut Cytheris illa in convivio Eutropoli, de quo *Cic. epist. ad Papirium Pœtum*. Bacchides item sorores, apud Plautum, cum amasiis lecto cœnitantes.

Sic et Cicero de Catilinæ sociis (*Or. in Catil.* II, V, 11.)

« *Accubantes* in conviviis, complexi mulieres impudicas, vino languidi, conferti cibo, etc. »

Postea tamen ipsæ *accubuere* fœminæ, et eodem lecto quo dominus.

« Cum omnibus sororibus suis stupri consuetudinem fecit; plenoque convivio singulas infra se vicissim collocabat, uxore supra *cubante*. »

SUETON. *in Caligul.* 24.

« Tum illam (meretricem) infra eum *accubantem* negasse, unquam vidisse quemquam securi ferientem. »

TIT. LIV. XXXIX, XLIII, *ubi de Flaminio.*

Et eodem modo *accumbebant* pueri meritorii.

« Qui in conviviis, adolescentulus cum amatore, cum chiridota tunica interior. »

SCIP. *in orat. adv. Gall.*

Sic apud Gell. lib. VII, Africanus de P. Sulpitio Gallo, qui in convivio adolescentulus cum amatore interior *accubuerat*.

ACCUMBERE. — Etiam sensu venereo.

Gloria Romanis una es tu nata puellis,
Romana *accumbens* prima puella Jovi.

PROPERT. II, III, 29 sq.

« Prandi, potavi, scortum *accubui*, abstuli Hanc cujus hæres nunquam erit post hunc diem. »

PLAUT. *Menœch.* III, II, 11 sq.

« Potavi atque *accubui* scortum; pallam et aurum hoc mihi dedit. »

PLAUT. *ibid.* V, IX, 82.

ACERBA VIRGO. — Cruda, immatura, nondum viripotens, translatione a frugibus ducta.

« Virgo de convivio abducatur, ideo quod majores nostri *virginis acerbæ* aures Veneris vocabulis imbui noluerunt. »

VAR. AGATH. *apud Non. Marc.*

....Tolle cupidinem
Immitis uvæ; jam tibi lividos
Distinguet autumnus racemos
Purpureo varius colore.

HOR. *Od.* II, v, 9, sqq.

Gravissimus auctor Plutarchus, libro *de Præceptis conjugalibus*, scripsit, eos qui prima virginum dissidia non ferunt, nihil differre ab illis qui, quum in uvam *acerbam* incidunt, maturas quoque aliis relinquunt.

ACHÆMENIAN ARDUS. — Ab Achæmenia, Persidis regione, arbusculis odoriferis olim celeberrima. Persicos enim odores commemorat Spartianus.

« Lectum imminentibus quatuor anacliteris fecerat, minuto reticulo undique inclusum, eumque foliis rosæ queis demptum esset album replebat, jacensque cum concubinis, velamine de liliis facto se tegebat, unctus odoribus persicis. »

SPARTIAN. *in vit. L. Æl. Cæs.*

Nunc et *Achæmenia*
Perfundi *nardo* juvat, et fide Cyllenea
Levare diris pectora
Sollicitudinibus.

HOR. *Epod.* XIII, 12 sqq.

ACHERIUS. — Orator romanus, Horatii coævus. Quum

cuidam libertino reo objiciebatur sese patroni sui libidinibus indulsisse, ille, defendens, Impudicitia, inquit, in ingenuo crimen est; in servo, necessitas; in libero, officium. (Vid. *Cœl. Rhod. Antiq. lect.* V, 11.)

ACIDALIA. — Cognomen Veneris, tanquam cientis curas et ærumnas quas Græci ἄχιδα dicunt; sed potius a fonte *Acidalio,* quo Gratiæ lavabantur. Fluebat hic rivulus in Orchomeno, Beotiæ civitate.

> ... at memor ille
> Matris *Acidaliæ,* paulatim abolere Sichæum
> Incipit....
>
> VIRG. *Æn.* I, 723 sqq.

> Nomen *Acidalia* meruit quod arundine pingi,
> Quod Cytherea sua scribere gaudet acu.
>
> MART. IX, XIII, 3 sq.

Inde:

ACIDALIUS NODUS. — Pro balteo Veneris.

> Ludit *Acidalio*, sed non manus aspera, *nodo*,
> Quem rapuit collo, parve Cupido, tuo.
> Ut Martis revocetur amor, summique Tonantis,
> A te Juno petat ceston, et ipsa Venus.
>
> MART. VI, XIII, 5 sqq.

ACONTIUS. — Profectus ad sacra Dianæ, quæ in Delo virginum frequenti conventu celebrabantur, Cydippes amore captus, pulcherrimo in pomo hos versus scripsit:

> Juro tibi sane, per mystica sacra Dianæ,
> Me tibi venturam comitem, sponsamque futuram.

Quos quum Cydippe imprudens legisset, visa est se *Acontio* in uxorem pactam esse, tanquam dictum in templo Dianæ.

[redacted]

Quale fuit malum, quod litera pinxit *Aconti*,
Qua lecta, cupido pacta puella viro est.
Priap. Carm. XV, 5 sq.

ACOSMUS. — Mere græcum. Incultus; Gallice *négligé*.

Nigra μελίχροος est; immunda et fetida, ἄκοσμος.
LUCRET. IV, 1154, ubi vid. *Faber*.

ACROAMA. — Mere græcum. Ἀκρόαμα. Fabula jocosa, sæpissimeque libidinosa.

« Nemo in convivio ejus aliud *acroama* audivit, quam anagnosten. »
CORN. NEP. *Attic.* 14.

« Ludis per quos scena Marcelliani theatri restituta dedicabatur, vetera quoque *acroamata* revocaverat. »
SUET. *Aug.* 74.

Et etiam *acroamata* pro ipsis fabulatoribus et nugivendis.

« Nanos et nanas, et moriones et vocales exoletos, et omnia *acroamata*, et pantomimos populo donavit. »
LAMPRID. *in Sever.* 34.

Vid. *Cic. pro Arch. poet.* et *in Verrem* IV, 22.

Ergon' cachinnis venditus
Acroama festivum fui?
PRUDENTIUS, *in Hymno Sti. Laurentii*, 324.

De *acroamatibus* in cœna adhibitis, vid. *Plin. epist.* VI, 31.

ACTARI. — Scortari. Ab acta, ἀκτή, maris litore, quo spatiari solebant meretrices; unde vox proverbialis : *hodie actabimur*.

« Tametsi in *acta* cum mulierculis jacebat ebrius, etc. »
CIC. *Verrina ult.* XXV, 63.

[redacted]

« Ipse tamen, quum vir esset Syracusis, uxorem ejus parum poterat animo soluto ac libero tot in *acta* dies secum habere; delectatio omnibus et actis voluptatibus anteponenda. »

CIC. *ad Fam.* IX, 6.

ACTORUM LIBRI. — Tabulæ quibus inscribebantur matrimonia, natales et obitus.

Tollis enim, et *libris actorum* spargere gaudes
Argumenta viri. Foribus suspende coronas,
Jam pater es...

JUV. IX, 84 sqq.

« Rumpi tabulas istas jube, Maxime : invenies filium hæredem ; mihi vero tenue nescio quid honoris gratia legatum, ne si quid ei humanitus attigisset, nomen maritus in uxoris tabulis non haberem. »

APUL. *Apologia.*

... et ritu decies centena dabuntur
Antiquo, veniet cum signatoribus auspex.

JUV. X, 335 sq.

ACUS COMATORIÆ. — Ab officio sic nominatæ; officium vero duplex :

1° Ad componendos crines.

« *Acus* sunt, quibus, in fœminis ornandorum crinium compago retinetur. »

ISIDOR. XIX, 31.

Amomo uncti crines in globum colligebantur. Decor enim deerat, si passi et vagantes essent capilli. Globus *acu* sustinebatur.

Tænia nec madidos violent bombycina crines :
Figat *acus* tortas sustineatque *comas*.

MART. XIV, 22.

2° Et e contra, ad dividendos crines ; tunc *discri-*

[redacted]

minalis dicebatur; matronis peculiaris : nam nuptis tantum mulieribus licitum erat a fronte capillos dividere, ut hoc discrimine a virginibus distinguerentur.

« Simul atque se mulieres intellexerunt, vertunt capillum, et *acu* lasciviore comam sibi inserunt, crinibus a fronte divisis, apertam professæ mulieritatem. »

TERTULL. *de Virgin. veland.* 12.

Acu sæpe utebantur meretrices, in viros ad venerem incitandos.

« Volebamus miseri exclamare, sed nec in auxilio erat quisquam; et hinc Psyche, *acu comatoria* cupienti mihi invocare Quiritium fidem, malas pungebat; illinc puella penicillo, quod ipsum satyrio tinxerat, Ascylton opprimebat. »

PETRON. *Sat.*

ADAM. — Universæ hominum familiæ communis appellatio.

« Primi parentis et commune hominum nomen. Porro dictus eo nomine *Adam* a terra unde formatus fuit; nam terra in lingua Hebræorum ADAMA. »

DRUSII *Quæst. hebraic.* III, LXVII, 3.

« Notandum etiam quod per totum librum ubicumque dicitur filii hominum, in Hebræo habet bene *Adam*, hoc est filii *Adam*: et omnis pæne Scriptura hoc idiomate plena est; universum genus hominum *Adam* filios vocat. »

HIERONYM. *in Ecclesiast.* c. 9.

... servasque nepotes,
Deceptum miseratus *Adam*, quem capta venenis
Implicuit socium blandis erroribus Eva.

AUSON. *Eidyll.* I, *versus pascales.*

ADAMIANI. — Hæretici, sic dicti ex eo quod protoparentum nuditatem colerent. Credebant enim nusquam

[redacted]

nuptias locum habituras, si nemo peccasset. Nudi itaque mares et fœminæ conveniebant ad sacra. (Vid. *Hist. eccles.*)

Adducere puellam. — Officium lenonis. Mulierem alteri conciliare.

Hæc mihi te *adducit* tenebris, multoque timore
Conjungit nostras clam taciturna manus.

Tibull. I, vii, 59 sq.

« Utique eam huc ornatam *adducas* matronarum modo; Capite compto, crines vittasque habeat, assimuletque se Tuam esse uxorem : ita præcipiendum est. »

Plaut. *Mil.* III, i, 196 sqq.

Inde *adductrices* pro conciliatricibus. (Vid. *Annotatores Tibulli.*)

Adfectare. — Rem cupide appetere, ardenter insequi.

« Quibus patrem, et me, teque, amicosque omnes *adfectas* tuos Ad probrum, damnum, flagitium, appellere una et perdere. »

Plaut. *Bach.* III, i, 10 sq.

Adfectari. — Coeundi stimulum sentire.

« Si quis ad mulierem non poterit *adfectari.* »

Apul. *de Herbis*, 13.

Adfectata *mulier*, **adfecta.**

« Vel in bonam partem dicitur, velut honorata; vel in malam partem quasi ad extremum periculum adducta. »

Festus.

Sic, sensu obsceno :

« A. Ad vos venio. — S. Accipiam hospitio, si mox venis, Item ut *adfectam.* »

Plaut. *Rud.* II, iv, 4 sq.

a verbo *adficere.*

Adjugare. — Adjungere.

« Mater est terra, ea parit corpus, animam mater *adjugat.* »
Pacuvius, *Chrise, apud Non. Marc.*

« Blandam hortatricem *adjugat* voluntatem. »
Id. *Iliona.*

Adloqui. — Specialiter pro consolari. Proprie de fœminis.

« Hinc *adlocutum* mulieres ire aiunt, quum eunt ad aliquam locutum consolandi caussa. »
Varr. *Ling. lat.* 6.

Inde et eodem sensu peculiari :

Adlocutio.

Quem tu, quod minimum facillimumque est,
Qua solatus es *adlocutione?*
Irascor tibi : sic meos amores?
Paulum quidlibet *adlocutionis,*
Mœstius lacrymis Simonideis.
Catull. *ad Cornific.* XXXVI, 4 sqq.

Adlubescere. — Verbum venereum.

« At illa sumebat appetenter, et nonnunquam basiare volenti promptis suaviolis *adlubescebat.* »
Apul. *Met.* VII.

« Jamque æmula libidine, in amoris parilitatem congermanescenti mecum, jam patentis oris inhalatu cinnameo, et occursantis linguæ illisu nectareo, prona cupidine *adlubescente.* »
Apul. *Met.* II.

Admissarius. — Concubitor. — Ab *admitterre,* verbum technicum in re pecuaria, quum mas fœminæ aut fœmina mari adducebatur; peculiariter tamen dicebatur de genitore equabus misso.

Metonymice vero, et in malam partem, de viris illis qui fœde quamcumque venerem venantur.

« Itaque *admissarius* iste, simul atque audivit voluptatem a philosopho tantopere laudari, nihil exspiscatus est : sic suos sensus omnes voluptarios incitavit,...... ut non magistrum virtutis, sed auctorem libidinis a se illum inventum arbitraretur. »

CIC. *contra Pisonem*, XXVIII, 69.

ADMONITRIX. — Verbum Plautinum de ancilla dominæ conscia libidinibusque consiliaria.

« AST. (*ancilla*) Nunc tibi opus est, ægram ut tu te assimules. PHRON. Tace. Quid adhuc egeo tui, malum *admonitricis?* »

PLAUT. *Trucul.* II, VI, 19 sq.

ADNICTARE. — Leviter oculis annuere. Inter notas amasiorum. (Vid. NOTÆ.)

« Aliis adnutat, aliis *adnictat*; alium amat, alium tenet. »

NÆVIUS *in Tarentilla apud Fest. Pomp.*

ADOLESCERE. — Crescere. (*Nonn.*) — *Adolescunt* qui crescunt et augent; et contra, *obsolescunt* qui decrescunt et inveterascunt.

« Qui natus sit, qui *adoleverit*, qui didicerit. »

CIC. *de Nat. Deor.* I.

Dumque *adolescendi* summum tetigere cacumen.

LUCRET. II, 1114.

ab *adolere*, id est, augere.

Inde *adolescens*, et

ADOLESCENTIARI. — Luxuriari.

« Tum quidem ut faciat censeo, quoniam tu quoque adhuc *adolescentiaris*. »

VARR. *apud Non. Marc.*

ADOLESCENTURIRE. — Inconsultus agere, more juvenum; juveniliter vivere. (*Quint. Varr.* etc.)

« Incipio *adolescenturire*, et nescio quid nugarum agere. »

FABERIUS *apud Nonn. Marc.*

ADONIS. — Filius Cynaræ , regis Cypriorum ; matre vero Myrrha, propria Cynaræ filia. *Adonidem* Venus in deliciis habuit. Hic, primo ætatis flore, dum in Idalio nemore venatur, apri dente sub inguine percussus moritur, et a Venere ipsa in florem Adonium, qui est sanguineo colore, transformatus est.

Dicunt alii in flumen cecidisse *Adonidem*, dum venustatem suam contemplaretur.

Inde:

ADONIA. — Festa Veneris Adonidem plangentis, apud Græcos celeberrima. (*Ammian. hist.* l. 22.) Vid. Hieronymus in Ezechielem his verbis :

« Ecce ibi mulieres sedebant plangentes *Adonidem*. »

Celebrabantur *Adonia* mense Julio, quo Adonis in fluvium cecidisse dicebatur.

ADORARE. — Deos *adorandi* ritum explicat Apuleius his verbis :

« Inaccessæ formositatis admiratione stupidi, et admoventes oribus suis dexteram, primori digito in erectum pollicem residente, ut ipsam prorsus deam Venerem, religiosis *adorationibus* venerabantur. »

APUL. *in Apologia.*

Hac forma translative utebantur adulatores proce-

ribus obvii; necnon amasii erga amicas; nunc adhuc basia digitis impressa ad amasiam jaciuntur.

ADORARE. — Sensu venereo, vehementer amare.

« Imo, inquam ego, per formam tuam te rogo, ne fastidias hominem peregrinum inter cultores admittere. Invenies religiosum, si te *adorari* permiseris. »

PETRON. *Sat.*

ADSECTARI MULIEREM. — Verbum juris.

« Aliud est appellare (matronam scilicet aut virginem), aliud *adsectari*. Appellare est, blanda oratione alterius pudicitiam attentare; *adsectatur* qui tacitus frequenter sequitur. Adsidua enim *adsectatio* quasi præbet nonnullam infamiam. »

ULPIAN. l. 15, *de Injuriis et famosis libellis.*

Idem sonat ac *sectari*; sed hic AD auget.

... quare, ne pœniteat te,
Desine matronas *sectarier* : unde laboris
Plus haurire mali est, quam ex re decerpere fructus.

HOR. *Sat.* I, II, 77 sqq.

ADSESTRIX. — Ancilla quæ puerperæ assidebat, subsidio obstetrici. Matulam portabat, fasciolas plicabat, calefaciebat lintea. (*Cujac. ad leg.* CCXXXVI, *de Verborum significat.*; *Hieron. epist.* XI, 9; *Pignor. de Serv.* etc.)

« Dimittit *adsestricem*, me adesse vocat. »

AFRANIUS, *apud Non. Marc.*

ADSUCTA LABRA. — Humida voluptate aut cupidine.

Quæ complexa viri corpus cum corpore junxit,
Et tenet *adsuctis* humectans oscula labris.

LUCRET. IV, 1187 sq.

ab *adsugere.*

[redacted]

Adulter-Adultera. — *Adulter* et *adultera* dicuntur, tanquam *ad alterum* aut *alteram* se conferant. (*Fest.*)

Quod licet ingratum est; quod non licet acrius urit.
Ovid. *Amor.* II, xix, 3.

Adulterorum graves ærumnas et imminentia damna describit Horatius :

Hic se præcipitem tecto dedit : ille flagellis
Ad mortem cæsus : fugiens hic decidit acrem
Prædonum in turbam : dedit hic pro corpore nummos.
Hunc perminxerunt calones : quin etiam illud
Accidit, ut cuidam testes caudamque salacem
Demeteret ferrum.
Hor. *Sat.* I, ii, 41 sqq.

....
Nec vereor ne, dum futuo, vir rure recurrat,
Janua frangatur, latret canis, undique magno
Pulsa domus strepitu resonet; vel pallida lecto
Desiliat mulier ; miseram se conscia clamet;
Cruribus hæc metuat, doti deprensa ; egomet mi.
Discincta tunica fugiendum est ac pede nudo,
Ne nummi pereant, aut pyga, aut denique fama.
Deprendi miserum est...
Hor. *Ibid.* 127 sqq.

In *adulteros* pœnæ et vindictæ :

... Fiet *adulter*
Publicus, et pœnas metuet quascumque mariti
Irati debent . nec erit felicior astro
Martis, ut in laqueos nunquam incidat. Exigit autem
Interdum ille dolor plus quam lex ulla dolori
Concessit.
Juv. X, 311 sqq.

Lepriatæ quos deprehendebant *adulterantes*, per triduum vinctos circa civitatem ducebant, mox in futurum contemptibiles. Mulieres vero *adulteras* diebus

[redacted]

undecim in foro exponebant, itidem vinctas et veste perlucida circumvestitas.

Apud Ægyptios, virgis cædebatur *adulter* ad mille plagas; conscia vero mulier naribus demutilabatur.

Quibusdam antiquæ Græciæ civitatibus, mœchus deprehensus per civitatem producebatur lana coronatus. (Vid. *Cæl. Rhod. Lect. antiq.*)

Sæpissime plectebantur *adulteri* detruncatione membrorum, aut mutilatione præsertim aurium nariumque, ut deformitate corporis simul crimen et ultio denuntiarentur. Sic laceratus Deiphobus Helenæ *adulter*:

> Atque hic Priamidem laniatum corpore toto
> Deiphobum vidit, lacerum crudeliter ora,
> Ora manusque ambas, populataque tempora raptis
> Auribus, et truncas inhonesto vulnere nares.
>
> VIRG. *Æneid.* VI, 494 sqq.

Pauperibus in *adulterio* deprehensis Athenienses, antiquo more, nates cum cinere calido depilabant, deinde raphanos et mugiles in podicem immittebant. Ad hoc supplicium alludit Juvenalis:

> . . . Necat hic ferro, secat ille cruentis
> Verberibus; quosdam mœchos et mugilis intrat.
>
> JUV. X, 316 sq.

Vid. et *Catull.* XV, 19.

Nec minus acerbi in mœchos mariti romani.

« Sempronius Musca C. Gallium, deprehensum in *adulterio*, *flagellis cecidit*. — C. Memmius L. Octavum, similiter deprehensum, *nervis contudit*. — Carbo Attienus a Bibieno, item M. Pontius a P. Cervio deprehensi, *castrati sunt*. Cn. etiam, Furium Brocchum qui deprehendit, *familiæ stuprandum* objecit. »

VAL. MAX. VI, 1.

Uxorem armati futuis, puer Hylle, tribuni,
Supplicium tantum dum *puerile* times.
Væ tibi, dum ludis, *castrabere*....
MART. II, LX, 1 sqq.

Quis tibi persuasit *nares abscindere* mœcho?
Non hac peccatum est parte, marite, tibi.
Stulte, quid egisti? Nihil hic tua perdidit uxor,
Quum sit salva sui mentula Deiphobi.
MART. III, LXXXV, 1 sqq.

Hic alludit Martialis ad Helenæ mœchum, de quo Virgilius, Æn. VI, vid. supra.

In *adulterum* usus est Aurelianus imperator duarum arborum inflexis capitibus ad pedes mœchi religatis; moxque dimissis, intervulsus utrinque propendebat. (Vid. *Cœl. Rhod.* X, 5.)

Ante legem Juliam, apud Romanos, ut olim apud Græcos, licebat marito uxorem occidere; qua de re Gellius, l. X, c. 23. Licitum et erat in *adulterum* sævire. Lex Julia plus patri in filiam, quam marito in uxorem permisit. Pater enim quemlibet *adulterum* occidere poterat una cum filia; dum maritus, nonnisi viliores, uxorem vero minime.

Soluto matrimonio *adulterii* causa, marito retentio dotis competebat, si vere culpa mulieris stuprum accidisset. Hujus pœnæ exemplum insigne apud Val. Max. l. VIII, c. 2.

Prisco more, pœnam *adulterii* vitabant matronæ, modo ædili continuandæ prostitutionis voluntatem denuntiarent. Tunc statim libro meretricum inscribebantur.

« Satis pœnarum adversum impudicas in ipsa professione flagitii credebant veteres. »

TACIT. *Annal.* II, LXXXV.

Sed extra modum crescente hujus generis inscriptionum proluvie, novis scitis cautum fuit ne quæstum illa faceret, cujus avus, aut pater, aut maritus, eques romanus.

Matronis ob *adulterium* dimissis stola prohibebatur (Vid. MATRONÆ); et in ignominiæ signum toga induebantur (Vid. TOGA), sed albata, ut a pallulata plebecula secerni possint.

Còccina famosæ donas et ianthina mœchæ.
Vis dare quæ meruit munera? mitte *togam*.

MART. II, XXXIX, 1 sq.

Thelin viderat in *toga* spadonem;
Damnatam Numa dixit esse mœcham.

MART. X, LIII, 1 sq.

Hic notandum frequentissimum hoc scelus quo, bellis civilibus, sæpissime duces, quum alicujus secreta scire vellent, uxores ejus de *adulterio* compellabant; quod factitasse Augustum auctores nonnulli tradunt. (*Lævin. Torrent. in Horat. Carm.* III, VI, 17.)

Ex lege Julia, plectebatur ut famosus et reus lenocinii, maritus qui *adulteram* uxorem in matrimonio retinebat: qua de pœna intelligendus est hic Ausonii locus:

Jurisconsulto, cui vivit *adultera* conjux,
Papia lex placuit, *Julia* displicuit.

AUSON. *Ep.* LXXXVII, 1 sq.

ADULTERARE FŒMINAM. — Corrumpere, vitiare.

« *Adulterare* matronas. »

SUET. *Aug.* 67.

ADULTERARI. — Torum alterius inire.

« Latrocinari, fraudare, *adulterari*, turpe est. »

CIC. *de Off.* I.

ADULTERATRIX. (*Gloss. vet.*)

ADULTERINUS. — (*Plin.*) Ex *adulterio* natus.

ADULTERIO. — Adulter. (*Non. Marc. Lubin. antiquar.*)

ADULTUS-ADULTA. — Qui, aut quæ plene adolevit. A verbo *adolesco*. Cognomen Jovis et Junonis : præcipue enim in connubiis, ethnici quinque deos invocabant, Venerem, Suadelam, Dianam, Jovem *adultum* et Junonem *adultam*. (*Plut. in Problem.*)

ADVENTITIUS. — Spurius fortuito coitu genitus, aut stupro transitorio. (*Varr. Ling. lat.* 9.) Gloriabatur Hector se *adventitium* esse, sed mero Trojano.

ADVENTORES. — Hospites in cauponis stabulis, ganeis, fornicibus.

« Ad fores auscultato, atque serva has ædes, Ne quis *adventor* gravior abeat quam adveniat. »

PLAUT. *Trucul.* I, II, 1 sq.

ADVENTORES MERETRICUM. — Quasi hospites, qui eas adeunt ex consuetudine, et rei causa. Gallice *des pratiques*.

« Sic æquum facias, *adventores* meos non incuses. »

PLAUT. *Trucul.* II, VII, 55.

« Tunc exosculata pressule, non qualia in lupanari solent basia jactari, vel meretricum poscinummia, vel *adventorum* negotinummia. »

APUL. *Met.* 10.

[redacted]

Ædes Carmentæ. — Templum Romæ a matronis ædificatum in proclivio montis Capitolini, et eodem loco ubi fuerat habitaculum *Carmentæ*, matris Evandri.

Petentibus maritis, prohibuerat senatus quoddam genus vehiculi ad usum matronarum. Statim ut illæ legem noverunt, inaudita conspiratione, statuerunt neque uterum gerere, neque parere, ideoque viros suos recusare, donec sententia mutaretur. Quo facto, paulo post mariti ipsi senatusconsulti abrogationem rogarunt. Tunc placatæ matronæ templum *Carmentæ* voverunt et ædificaverunt. (*Thesaur. Antiq. Rom. Gr. Morestell. de Feriis Romanorum, Dial.* 5; *Faun. de Antiq. urb.*

Vid. Carmentalia.

Ædilis. — Plebis *ædilis* officium erat tabernis, ganeis et lupanaribus advigilare.

« Virtutem in templo invenies, in foro, in curia, pro muris; voluptatem latitantem sæpius ac tenebras captantem, circa balnea ac sudatoria, *ac loca ædilem metuentia.* »

Senec. *de Vita beata*, cap. 8.

Et etiam scortis et meretricibus : tabula enim apud *ædilem* erat, qua inscribebantur quæ quæstum corporis profiteri cupiebant. Extra numerum vagantes, pecunia mulctabantur, et etiam exsilio. (*Justin.* X, 31.)

Jus dicebat *ædilis* de pretio concubitus, tanquam mercis annonariæ. (*Laur. Polymat.* I, 5.)

Ædituus. — Poeta eroticus, quem memorat Apuleius in Apologia, cum Porcio et Catulo, non *Catullo*.

[redacted]

ÆGYPTII. — Insignes erant puellæ *Ægyptiæ* protervis salibus, necnon suavi cantu, mollissimaque saltatione.

Bellus homo est, flexos qui digerit ordine crines;
  Balsama qui semper, cinnama semper olet;
Cantica qui *Nili*, qui Gaditana susurrat.

MART. III, LXIII, 3 sqq.

« Et adduxit secum et fidicinas et tibicines... et omnia mancipiorum genera, quorum Syria et *Alexandria* pascitur voluptate. »

CAPITOL. *in Verr.*

« Gaudemus si quid licentius dixerint. Verba ne *Alexandrinis* quidem permissa *deliciis*, risu et osculo excipimus. » (*Quintil. Instit. Or.* I, 2; *Senec. Consolat. ad Albinum*, cap. ult., *et Herodianus de Alexandrinis*, lib. IV.)

Non ego mercatus Pharia de puppe loquaces
Delicias, doctumve sui convicia *Nili*
Infantem, linguaque simul salibusque protervum
Dilexi.

STAT. *Sylv.* lib. V, *Carm. ultim.* 66 sqq.

Pueri *Ægyptii* in deliciis.

« Ut ab avunculo rogetur Æthiops qui ad balneas veniat. »
AUCTOR AD HERENN. Vid. *Athenæus* et *Petron. Sat.*

Si quis forte mihi posset præstare locanti,
  Audi quem puerum, Flacce, locare velim.
Niliacis primum puer is nascatur in *oris*:
  Nequitias tellus scit dare nulla magis.

MART. IV, XLII, 1 sqq.

Hic *nequitia* pro blanditiis lascivioribus.

ÆQUA VENUS. — Pro mutuo amore et ardore pari.

Candida perpetuo reside Concordia lecto;
  Tamque pari semper sit *Venus æqua* jugo.
Diligat illa senem quondam; sed et ipsa marito,
  Tunc quoque quum fuerit, non videatur anus.

MART. IV, XIII, 7 sqq.

ÆQUOR VENTRIS. — Nitor ventris immaculati et sine rugis.

« Ne *æquor* illud *ventris* irrugetur, ac de gravitate oneris et labore partus fatiscat. »

AUL.-GELL. I, 2.

Æquor enim ab *æquo* et plano. (*Cic. Academic.* 2, *Non. Marc.*)

Ad cutem *æquandam* nonnulla medicamina apud antiquos. Hic notabimus,

Urinam.

« *Urina* pueri impuberis, quæ ventri illata mulierum, ne rugosus fiat præstare dicitur. »

PLIN. I, XXII, 21 et 50.

Lomentum, id est farina fabæ.

Lomento rugas uteri quod condere tentas,
Polla, tibi ventrem non mihi labra linis.
Simpliciter pateat vitium fortasse pusillum :
Quod tegitur, majus creditur esse malum.

MART. III, XLII, 1 sqq.

Salem mixtum cum nigellæ succo. (*Plin.* XXXI, 7).

ÆTAS. — Appellatio communis omnibus vitæ partibus. A Varrone dividitur ætas in *infantiam*, *pueritiam*, *adolescentiam*, *juventam*, *senectam*.

« Gradus senectutis sunt ætas *ingravescens*, *provecta*, *decrepita.* »

CIC. *de Amicitia*, 10; IDEM, *Tuscul.* I, 39.

ÆTAS AMBIGUA. — Puerorum qui modo adulti, nondum tamen sunt perfecti viri. Sic Gellius de Euripide poeta.

« Ac prius tamen in certamen (Olympicum) per *ambiguam*

[redacted]

ætatem receptus non est. Post, Eleusi et Theseo certante, pugnavit et coronatus est. »

AUL. GELL. *Noct. Attic.* 15-20.

ÆTAS BONA. — Adolescentia.

« *Bonam ætatem* quoque dicimus adolescentiam, vel juventutem: nam prudentissime noster Maro diei partes primas, quasi ejus *ætatem* puberem *meliorem* dixit, nono libro. »

NON. MARC.

« Quod si istis ipsis voluptatibus *bona ætas* fruitur lubentius, primum parvulis fruitur rebus, etc. »

CIC. *de Senectute*.

ÆTAS MALA. — Senectus.

« Miserum puto, si etiam istud ad *malam ætatem* accessit mali. »

TURPIL. *apud Non. Marc.*

« Atque ut te dignam mala *malam ætatem* exigat. »

PLAUT. *Aulul.* I, 1, 4.

Si possent homines delinimentis capi,
Omnes haberent nunc amatores anus.
Ætas, et corpus tenerum, et morigeratio,
Hæc sunt venena formosarum mulierum;
Mala ætas nulla delinimenta capit.

AFRANIUS *in Vopisco, apud Non. Marc.*

ÆTAS ROBUSTA. — Sic dicta a jurisconsultis, quæ XXV annorum est.

« Lex Julia de adulteriis specialiter quosdam adulterii accusare prohibet, ut minorem annis XXV; nec enim visus est idoneus accusator qui nondum *robustæ ætatis* est. »

ULPIAN. l. 15, *de Adulteriis*.

Horatius vero *robustum puerum* dicit, qui adolescentiæ proximus sit, et militiæ rudimentis aptus.

Angustam, amici, pauperiem pati
Robustus acri militia *puer*
Condiscat, et Parthos feroces
Vexet eques metuendus hasta.

HOR. *Od.* III, II, 1 sqq.

Et etiam Cicero :

« Deinde jam *robustus* provinciæ se ac rei militari dedit, atque ibi, piratarum contumelias perpessus, etc. »

Orat. de Aruspicum responsis.

Certe tamen *ætas robusta* pro jam pubere, et plene adolescentia vigente.

ÆTATULA. — Pro ætate tenuiore.

« Monuit ut aut parcius, aut cautius *ætatulæ* indulgeret. »

SUET. *Claud.* 16.

ÆTATULA. — Vita ipsa.

« Vos quæ immunditiis, mollitiis deliciisque *ætatulam* agitis. »

PLAUT. *Pseud.* I, II, 40.

AFFLUERE. — Sæpe de voluptatibus.

« Nam si ea sola voluptas esset, quæ quasi titillaret sensus, ut ita dicam, et ad eos cum suavitate *afflueret* et illaberetur, etc. »

CIC. *de Fin.* I, 39.

AGAGULUS-AGAGULA. — Leno conciliator. Vid. *Petron. Sat.* et *Heinsii annotationes.*)

AGATHIAS. — Cognomento *Scholasticus*, Smyrnæus patria. Post Procopium, Justiniani ducumque ejus Belisarii et Narsetis res gestas scripsit; composuitque quæ vocantur *Daphnica*, opus elegantissimum ; diversaque epigrammata græca in volumen coegit. (V. *Suidas.*)

[redacted]

Agatho. — Tibicen cantilenarum suavitate majorem in modum celeberrimus. Nec mores ejus musicæ suæ dissimiles; laboravit enim infami mollitie. Inde proverbium *Agathonicus cantus*, id est dissolutus. (Vide *Suidas.*) Primus ille *Agatho* chori tragici cantum instituit, teste Aristotele in Poetica.

Ager. — Pro locis fœmineis, et etiam podice, sensu vero obscenissimo.

> Ficosa est uxor, ficosus et ipse maritus;
> Filia ficosa est, et gener, atque nepos.
> Nec dispensator, nec villicus ulcere turpi,
> Nec rigidus fossor, sed nec arator eget.
> Quum sint ficosi pariter juvenesque senesque,
> Res mira est, ficos non habet unus *ager!*
>
> Mart. VII, lxxi, 1 sqq.

Hic ludit Martialis ambiguitate verborum; nam ficus et fructum et morbum significat. (Vid. Fodere.)

Agglutinare. — Verbum suavissimum de complexu venereo.

> « Nam hercle, jam ad me *agglutinandam* totam decretum est dare. »
>
> Plaut. *Cistell.* III, 17.

Agnata membra. — Quæ præter naturam et integritatem animalis nata; exempli causa, homini sextus digitus, tertium femur. (Vid. *Plin.* XI, lii, 113.)

Agon (ἄγων). — Frequentissime hoc nomine appellabantur certamina ludicra, quæ apud Græcos *Olympia*, apud Romanos *Neroniana*, etc. *Agonibus* permiscebantur voluptaria, et etiam obscenissima. (V. *Tertull. advers. gnost.* 6; *Sueton. in Dom.* 4, *et in Neron.* 22.)

Agonodice. — Puella Atheniensis, obstetricum princeps. Ab antiquo, fœminæ puerperio cubantes, medicis tantum, id est viris adjuvabantur, reluctante pudore. Sed ecce *Agonodice*, Junonis hoc officium sexui suo reddere volens, abscissa coma, se, habitu virili, cuidam Hierophilo in disciplinam tradidit ; a quo probe edocta, parturientibus auxiliabatur, plaudente matronarum universitate.

Antiquissimum est proverbium, *nullam esse invidiam super invidiam medicorum ;* iratum ergo totum id genus, se non amplius ad fœminas admitti, rivalem *Agonodicem* in judicium pertractavit, tanquam impudicum et mulierum corruptorem.

At illa tacens, coram Areopagitis, tunica allevata, se fœminam ostendit; quo facto, legem antiquam emendans populus, ártem medicam mulieribus permisit. (*Hygin.*) Vid. Medicæ.

Alcinoi juventus. — Molles et voluptatibus perditi; ab *Alcinoo*, Phæacum rege in Corcyra insula, populoque suo, per quæcumque fœda se diu noctuque volutantibus. Unde proverbium, *Alcinoi mensa* pro luxuriosa.

> Nos numerus sumus, et fruges consumere nati,
> Sponsi Penelopes, nebulones, *Alcinoique*
> In cute curanda plus æquo operata *juventus :*
> Cui pulchrum fuit in medios dormire dies, et
> Ad strepitum citharæ cessatum ducere curam.
>
> Hor. *Epist.* I, II, 27 sqq.

Alicariæ. — Humillima scorta, ante pistrina *alicariorum* solita vagari. (*Fest.*)

[redacted]

« Prosedas, pistorum amicas, reliquias *alicarias.* »

PLAUT. *Pœnul.* I, II, 54.

Per plateas et quadrivia, tabernas instruebant *alicariorum* mancipes, mercisque occasione, de semetipsis quæstum agebant. (Vid. *Laurent. de Adult. et meretric.; Almelorol. Antiq. sacra prof.* p. 36).

ALIGER. — Cognomen Cupidinis.

Ergo his *aligerum* dictis affatur Amorem.

VIRGIL. *Æneid.* I, 667.

Sic πτέρως a Platone in *Phædro;* et *pennatus* a Cicerone *de Naturâ Deorum.*

ALIPTES. — Ab ἀλείφω. Unctor qui in gymnasio palæstritas ungebat.

.....quemvis hominem secum attulit ad nos:
Grammaticus, rhetor, geometres, pictor, *aliptes,*
Augur, schœnobates, medicus, magus; omnia novit.

JUV. III, 75 sqq.

Et etiam in balneis, ubi *alipti* fœminæ etiam pudenda detergenda tradebant.

Balnea nocte subit; conchas et castra moveri
Nocte jubet; magno gaudet sudare tumultu,
Quum lassata gravi ceciderunt brachia massa,
Callidus et cristæ digitos impressit *aliptes,*
Ac summum dominæ femur exclamare coegit.

JUV. VI, 419 sqq.

« Dolosus enim, ait Rigatius, versutusque unctor sciebat dominam suam hujusmodi titillatione et contrectatione gaudere, cujus mœchus forsan erat. »

Variorum annotationes in Juven. loco citato.

Vid. CRISTA, SUMMUM FEMUR.

[redacted]

Allex viri. — Cinædus, pædico, virum sibi subandum quærens. Ab *allicere*.

« Tune hic amator audes esse, *allex viri?* »

Plaut. *Pœnul.* V, v, 31.

Alludere-Alludiare. — Veneri præludere.

« Quando adbibero, *alludiabo;* tum sum ridiculissimus. »

Plaut. *Stich.* II, II, 58.

Alter sexus. — Fœminæ.

..... major tamen illa voluptas
Alterius sexus; magis ille extenditur, et mox
Auribus atque oculis concepta urina movetur.

Juv. XI, 166 sqq.

Alticincti. — Lascivientes, parati ad opus venereum.

« Et *præcincti* certe *altius* eramus : imo ego sic jam paria composueram ut, si depugnandum foret, ipse cum Quartilla consisterem, Ascyltos cum ancilla, Giton cum virgine. »

Petron. *Sat.*

« Ultimo cinædus supervenit myrtea subornatus gausapila, cinguloque succinctus, modo extortis nos clunibus cecidit, modo basiis olidissimis inquinavit; donec Quartilla, ballenatiam tenens virgam, *alteque succincta,* jussit infelicibus dari missionem. »

Petron. *Sat.*

Altiora tangere. — Irrumare.

Quod si tam gravis et molesta pœna
Non profecerit, *altiora tangam.*

Priap. Carm. XXVII, 4 sq.

Aluta. — Pellis flexilis, mollis : metaphorice vero, pro pene languido.

Ulcus habet, Priami quod tendere possit *alutam,*
Quodque senem Peliam non sinat esse senem.

Mart. XI, LXI, 3 sq.

[redacted]

Alveus. — Species labri quo pueri lavabantur, sæpe testudineus.

« Nam quum Cæsariana familia hoc speciale habuerit, ut parvuli domus ejus in testudineis *alveis* lavarentur, etc. »

Capitol. *in Claud.*

Prisce viri ipsi, necnon matronæ eodem puerili *alveo* lavabant. (Vid. *Salm. in Capitolin. loco citato*).

Alvus. — Venter fœminæ, ab *alere;* uterus.

« Ut quam frigidissimus *alvus.* »

Accius *apud Non. Marc.*

..... infans genitricis ab *alvo*
Eripitur....

Ovid. *Met.* III, 310 sq.

Amare. — Absolute pro amore captum esse; et etiam sensu venereo dicebatur. Sic Quintil. in Orat. *Amare in matrimonium*, id est ad legitimum connubium. Inter *amare* et *diligere* eleganter differentiam ponit Catullus.

Dilexi tum te, non tantum ut vulgus amicam,
Sed pater ut gnatos diligit, et generos.
Nunc te cognovi, quare, etsi impensius uror,
Multo ita næ mî tu vilior et levior.
Quî potis est, inquis? Quod amantem injuria talis
Cogit *amare* magis, sed bene velle minus.

Catull. LXVII, 3 sqq.

Inde:

Amare passim. — Id est promiscue, sine jure, sine invidia ulloque discrimine; more priscorum ætatis Saturniæ.

...ne sint modo rure puellæ:
Glans alat, et prisco more bibantur aquæ.
Glans aluit veteres, et *passim* semper *amarunt.*

[redacted]

Quid nocuit, sulcos non habuisse satos?
Tum quibus adspirabat amor, præbebat aperte
Mitis in umbrosa gaudia valle Venus.
Nullus erat custos, nulla exclusura dolentes
Janua; etc.

TIBULL. II, III, 71 sqq.

AMABILITAS. — Amor venereus.

« Si *amabilitas* tibi nostra placet. »

PLAUT. *Stich.* V, IV, 58.

Sic, apud eumdem:

« .... *amabilitati* animum adjiceret. »

Pœnul. V, IV, 1.

AMABO. — Interjectio blandientis et amantis, frequentissima apud *Plaut.*, *Terent.*, etc.

AMASII. — Qui vaga libidine fœminas insectantur. Mulierum vagi proci.

« Audite ac discite nostros quoque antiquiores poetas *amasios* et venereos fuisse. »

AUL.-GELL. XIX, 9.

« Nunc ego istos mundulos, urbanos *amasios* Hoc ictu exponam, atque omnes ejiciam foras. »

PLAUT. *Trucul.* III, I, 13 sq.

« Miserrimum hodie ego hunc habeo *amasium.* »

PLAUT. *Cas.* III, III, 27.

Ab *amasso* aut *amasco*, id est amare incipio. (Vid. *Diomed. de Qualitate verborum*, *et Munkerum ad Anton. Metamorphos.* 34.)

AMASIÆ, AMASIUNCULÆ. — Puellæ Veneri deditæ; virorum venatrices.

« Suadeo bonum tuum concoquas milva, et me non facies rigentem, *amasiuncula;* aliquando experieris cerebrum meum. »

PETRON. *Sat.*

AMASIO. — Idem ac *amasius.*

« Festivus hic *amasio*, mulierem.... gestiebat inscendere. »

APUL. *Met.* VII, *ubi de asino.*

AMASIUNCULI. — Contumeliose, amatores nulli ponderis. Gallice *des galantins.*

« Videbis populi rixam inter zelotypos et *amasiunculos.* »

PETRON. *Sat.*

Et Prudent. *peri Stephan. Hymn.* X, 182.

AMATIO. — De quacumque venere.

« Tua cum hac amica, cumque *amationibus.* »

PLAUT. *Merc.* IV, IV, 54.

« Nimis pene inepta atque odiosa ejus *amatio* est. »

PLAUT. *Rud. apud Non.*

AMATOR. — Hanc dissimilitudinem constituere Latini inter amantem et *amatorem*, quod *amator* fingere possit, dum amans vere amat. (V. *Donat. in Andr. Terentii.*)

Amator sæpissime fœdo sensu. (Vid. *Plaut.*, *Horat.*, *Terent.*, etc.)

« Adeo nullum sine *amatore* vitium est. »

SENEC. *Controv.* I, 5.

AMATOR STERILIS. — Qui nil dat pro venere, avarus, aut ære carens.

« Nam quando *sterilis* est *amator* a datis, improbus est. Si negat se habere quod det, soli pernoctandum est. Nec satis ac-

cipimus, satis quum quod det, non habet. Semper datores novos oportet quærere. »

PLAUT. *Trucul.* II, I, 30 sqq.

AMATORUM SACRAMENTA. — Tunc temporis, ut ævo nostro, omnino cassa, ludibrioque habitissima; unde et quasi speciali nomine *perjuria* dicebantur.

Nec vos aut capiant pendentia brachia collo,
Aut fallat blanda sordida lingua fide.
Et si perque suos fallax juravit ocellos,
Junonemque suam, perque suam Venerem;
Nulla fides inerit: perjuria ridet amantum
Juppiter, et ventos irrita ferre jubet.

TIBULL. III, VII, 13 sqq.

Nec jurare time: Veneris perjuria venti
Irrita per terras et freta summa ferunt.
Gratia magna Jovi: vetuit pater ipse valere,
Jurasset cupide quidquid ineptus amor.

TIBULL. I, IV, 21 sqq.

Tum jam nulla viro juranti fœmina credat,
Nulla viri speret sermones esse fideles;
Qui, dum aliquid cupiens animus prægestit apisci,
Nil metuunt jurare, nihil promittere parcunt:
Sed simul ac cupidæ mentis satiata libido est,
Dicta nihil metuere, nihil perjuria curant

CATULL. LIX, 149 sqq.

Juravi quoties rediturum ad limina nunquam,
Quum bene juravi, pes tamen ipse redit.

TIBULL. II, VI, 13 sq.

Esse deos credamne? fidem jurata fefellit:
Et facies illi, quæ fuit ante, manet.

OVID. *Amor.* III, III, 1 sq.

Credebat tamen veterum superstitio, illos aut illas qui deos pejerando lædere ausi essent, aliqua corporis parte mutilari aut debilitari. Unde Horatius:

[redacted]

Ulla si juris tibi pejerati
Pœna, Barine, nocuisset unquam;
Dente si nigro fieres, vel uno
Turpior ungui :
Crederem : sed tu simul obligasti
Perfidum votis caput, etc.

HOR. *Od.* II, VIII, 1 sqq.

AMATORCULI. — Pene adulti; nec venere, nec pecunia fructuosi.

« Nam quum sedulo munditer nos habemus, Vix ægreque *amatorculos* invenimus. »

PLAUT. *Pœnul.* I, II, 26 sq.

AMATRIX. — Sæpissime in malam partem : quæ virum appetit, quæ venerem ardet et quærit. Meretrix, scortum.

« Sed adire certum est hanc ad *amatricem* africam. »

PLAUT. *Pœnul.* V, V, 25.

Carmina fingentem Sappho laudabit *amatrix :*
Castior hæc, et non doctior illa fuit.

MART. *de Theophila*, VII, LXIX, 9 sq.

AMATRICES AQUÆ. — Quæ ad venerem excitant.

Exutusve puer pennis labentibus? aut qui
Odit *amatrices* Hermaphroditus *aquas.*

MART. X, IV, 5 sq.

Vide eumdem VII, XV.

AMATUS. — Pro catamito.

« Eum Arionem rex Corinthi Periander amicum et *amatum* habuit. »

GELL. XVI, 19.

AMATHA. — Nomen commune novitiarum vestalium, a quadam hujus cognominis, quæ prima ad Vestæ mysteria capta fuit. (Vid. *Carol. Steph. Dict. hist.*)

Amathus. — Insula maris Ægæi, Veneri sacra. (*Plin.* V, v, 12.) Unde:

Amathuntia. — Pro ipsa Venere.

> Nam mihi quam dederit duplex *Amathuntia* curam
> Scitis, et in quo me corruerit genere.
>
> Catull. LXIX, 50 sq.

Hic Catullus duplicem dicit *Amathuntiam*, ex ritu veterum, qui duas statuebant Veneres, alteram ad honestos amores, alteram vero ad libidinem. (Vid. *Apul. in Apolog. et verbum* Venus, quæ etiam *Amathusia* dicta est eodem etymo.)

Amazones. — Notissimæ Scythiæ mulieres; bellicosæ et ipsæ militantes, sed non sine viris degentes, ut nonnulli fabulantur: mares enim non trucidabant, sed tantum mutilabant aut cruribus aut brachiis; ut, si ad militiam invalidi, eo magis ad venerem apti essent, maxime propter otium.

Quum vero ad congressum *Amazonas* illas hortarentur Scythæ, respondens regina Antianira: *Optime, ait, optime claudus init.* (Vid. *Claud. Interpr.*)

Inde proverbium de claudicantium salacitate.

Ambigenæ. — De pecoribus.

> Hæc sunt *ambigenæ*, quæ nuptu dispare constant.
> Burdonem sonipes generat commixtus asellæ;
> Mulus ab Arcadicis et equina matre creatus;
> Tityrus ex ovibus oritur hircoque parente;
> Musinonem capra ex vervegno semine gignit;
> Apris atque sue setosus nascitur Ibris;
> At lupus et catula formant coeundo lyciscam.
>
> Petron. *Pseudepigr.* V, 1 sqq.

[redacted]

AMBITUS. — In venere corporum amplexus tenacissimus.

« Jam pluribus osculis collisa labra crepitabant, jam implicitæ manus omne genus amoris invenerant. Jam alligata mutuo *ambitu* corpora, animarumque mixturam fecerunt. »

PETRON. *Sat.*

Inde :

AMBITIOSUS. — Eodem sensu.

Omnes in Damalim putres
Deponent oculos ; nec Damalis novo
Divelletur adultero,
Lascivis hederis *ambitiosior.*

HOR. *Od.* I, XXXVI, 17 sqq.

AMBRONES. — Turpes, luxuriosi. (*Fest. Isidor. Gloss.*) Ab *Ambronibus*, Galliæ gentibus, qui, subita inundatione quum sedes suas amisissent, rapto vivere cœperunt errantes, brutarumque more sine lege inter se venerem commiscentes. Inde *ambrones* dicebantur vitæ turpis et luxuriosæ viri.

AMBROSIUS. — Epitheton rerum quacumque suavitate præexcellentium, metaphora apud Latinos usitatissima. Sic : *ambrosiæ* dapes (*Mart. passim*); *ambrosiæ* comæ (*Virg. Æneid.* I, 43) ; color *ambrosius* (*Apul. Met.* X) ; *ambrosii* pedes (*Id. ibid.* XI); *ambrosium* corpus (*Id. ibid.* VIII).

« *Ambrosioque* sinu puerum complexa ferocem. »

CLAUD. *de Nupt. Honor.* 110.

Sic Galli nunc dicunt, *un pied divin*, *une taille divine*.

Ab *ambrosia*, deorum cibo.

[redacted]

Ambrosium gemino potabit ab ubere rorem,
Et vere roseo fiet odore rosa.

PETRON. *Frag.* IV, 3 sq.

AMBUBAIÆ. — Vocabulum e Syria Romam prolatum. Fœminæ tibicinæ e grege mimarum et balatronum; et vero plerumque Syriæ, bonæque deæ mysteria agentes.

Ambubaiarum collegia, pharmacopolæ,
Mendici, mimæ, balatrones, hoc genus omne
Mœstum ac sollicitum est cantoris morte Tigelli.

HOR. *Sat.* I, II, 1 sqq.

Raro palam meretricium agebant, propter metum ædilis, cujus albo inscriptæ non erant. (Vid. ÆDILIS.) Sed inter doctas rerum impudicarum peritissimæ ipsæ, asotorum comessationibus vocabantur cum scortis et tibicinis.

« Cœnitabatque nonnunquam.... naumachia præclusa, vel martio campo, vel circo maximo, inter scortorum totius urbis *ambubaiarum* ministeria. »

SUET. *in Neron.* 27.

AMBULARE IN MASCULOS. — De pædiconibus.

« *Ambulat in masculos,* adeo nullum sine amatore vitium est. »

SENEC. *Controv.* I, 5.

AMBULATRIX. — Mulier tecto suo instabilis, quotidieque vagans, loquelæ, et sæpe quidem comessationum, et etiam libidinis causa; genus mulierum rei domesticæ pernicies.

« Ad cœnam ne quod eat, neve *ambulatrix* fiat. »

CAT. *de Re rustic.* c. 143, *de uxore villici.*

AMICA. — Verbum venereum; pudice tamen accipiebatur quum de fœmina ad fœminam; sic et salsa catachresi

[redacted]

tribadarum *amicæ* dictabantur, quæ sub illis patientes; quod, hac lesbiaca libidine, tribas agens virum simulat.

Ipsarum tribadum tribas, Philæni,
Recte, quam futuis, vocas *amicam*.

MART. VII, LXX, 1 sq.

Amica ergo, quæ amata extra conjugium.

« Sive uxor, sive *amica* est, gravida est e Pamphilo. »

TERENT. *Andr.* I, III, 10.

Ut nox longa quibus mentitur *amica*, diesque
Longa videtur opus debentibus, etc.

HOR. *Ep.* I, 1, 20 sq.

Habere *amicam* nolo, Flacce, subtilem,
Cujus lacertos annuli mei cingant,
Quæ clune nudo radat et genu pungat,
Cui serra lumbis, cuspis eminet culo:
Sed idem *amicam* nolo mille librarum.
Carnarius sum, pinguiarius non sum.

MART. XI, CI, 1 sqq.

Militis in galea nidum fecere columbæ.
Adparet Marti quam sit *amica* Venus.

PETRON. *Frag.*

AMICA MANUS. — Manus agens in solitaria venere.

Pontice, quod nunquam futuis, sed pellice læva
Uteris, et veneri servit *amica manus*.

....

Ipsam crede tibi naturam dicere rerum :
Istud quod digitis, Pontice, perdis, homo est.

MART. IX, XLI, 1 sqq.

Turpe quidem factu ; sed ne tentigine rumpar,
Falce manu posita, fict *amica manus*.

Priap. Carm. XXXIII, 5 sq.

AMICARIUS. — Qui amicam habet. (*Diomed. Grammat.*) Et etiam qui amicas amatoribus conciliat. (*Petron. Sat.*)

[redacted]

AMICOSUS.—Qui multas habet amicas. (*Diomed. Gram.*)

AMICTORIUM. — Pectoris indumentum muliebre.

> Mammosam metuo ; teneræ me trade puellæ,
> Ut possint niveo pectore lina frui.
>
> MART. XIV, CXLVII, 1 sq.

AMICULA. — Diminutivus ab *amica*.

> « Uxore haud contentus una, concubinis, pellicibus, *amiculis* delectatus. »
>
> ARNOB. 4 *de Jove*.

> « Cum eo Terracinæ de *amicula* rixatus. »
>
> CIC. *de Orat.* 2.

AMICULUM. — Meretricum pallium, ex lino confectum, quo,

> « Apud veteres, matronæ in adulterio deprehensæ induebantur; ut in tali *amiculo*, potius quam in stola, polluerent pudicitiam. »
>
> ISIDOR. *Orig.* XIX, 25.

AMMON. — Deus generationis et fecunditatis apud Ægyptios. Colebatur Romæ tanquam naturæ conservator. (Vid. *Pamphil.* V, p. 44, et *De la Chausse, de Manibus*, tab. 13.)

AMŒNITAS. — Verbum venereum. Sic in blanditiis :

> « Uxor mea, meaque *amœnitas*, quid tu agis? »
>
> PLAUT. *Cas.* II, III, 13.

Et de corporis venustate :

> « .... profecto, *Amœnitates* omnium venerum atque venustatum affero. »
>
> PLAUT. *Stich.* II, I, 4 sq.

Vide eumdem, *Menæch.* II, III, 5.

AMOMUM. — Frutex odorifer, cujus succo unguentum conficiebatur. Pro quolibet odoramine a Latinis positum. Inter Romanorum mollitias.

Si sapis, assyrio semper tibi crinis *amomo*
Splendeat, et cingant florea serta caput.

MART. VIII, LXXVII, 3 sq.

Vide eumdem, XII, XVII, 7.

Largiter et etiam mortuorum corpora unguentis lutabantur.

.... tandemque beatulus alto
Compositus lecto, crassisque lutatus *amomis*
In portam rigidos calces extendit.

PERS. III, 103.

AMOR.

« Cupido et *amor* idem significare videntur, et est diversitas. Cupido enim inconsideratæ est necessitatis : *amor* judicii. »

NON. MARC. ad *Plaut. Curcul.* I, 1, 3.

« *Cupido* te conficit, anne *amor?* »

PLAUT. *Fragm. Bacch.* 13.

« Discrevit (Plautus) et vim ejusdem diversitatis expressit, dicens : *Quo Venus Cupidoque imperat, suadetque amor.* »

NON. MARC. *Nonnull. dict. in significato differentiæ.*

AMOR CONFESSUS. — Publicus, de illicita venere.

Idæo qualis fudit de vertice flores
Terra parens, quum se *confesso* junxit *amori*
Juppiter, et toto concepit pectore flammas.

PETRON. *Sat.*

Sin *confessus amor* noto te macerat igne.

VIRG. *Ciris*, vers. 244.

AMOR INGENUUS. — Qui adolescentem bene natum decet. Talis est quem his verbis Phædronio præcipit Palinurus servus in *Plauti Curculione :*

« Ita tuum conferto *amorem* semper, si sapis, Ne id quod ames, populus si sciat, tibi sit probro. Semper curato ne sis intestabilis : Quod *amas*, *amato* testibus præsentibus. »

PLAUT. *Curcul.* I, II, 28 sqq.

Et paulo post :

« Dum tete abstineas nupta, vidua, virgine, Juventute, et pueris liberis, *ama* quid lubet. »

......non alia bibam
Mercede : quæ te cumque domat Venus,
Non erubescendis adurit
Ignibus, *ingenuoque* semper
Amore peccas.

HOR. *Od.* I, XXVII, 13 sqq.

AMOR PEREGRINUS. — Extraneus, in alium quam jam amatum; in novum adventorem.

« Imo, inquam, rogo ne fastidias hominem *peregrinum* inter cultores admittere; invenies religiosum, si te adorari permiseris. »

PETRON. *Sat.*

« Diu vocem neuter invenit; nam puer etiam singultibus crebris amabile pectus quassaverat. O facinus, inquam, indignum! quod amo te quamvis relictus; et in hoc pectore quum vulnus ingens fuerit, cicatrix non est. Quid dicis *peregrini amoris* concessio? Dignus hac injuria fui? »

PETRON. *Sat.*

AMORI LITARE. — Concubare.

« Commodum novis amplexibus *amori* rudi *litabant*; commodum prima stipendia Veneri militabant novi et nudi milites. »

APUL. *Met.* IX.

AMORES. — Pro amica : frequentissimum in colloquiis eroticis.

[redacted]

« ....ibo hinc intro nunc jam Ad *amores* meos : et sensi, hinc sonitum fecerunt fores. »

PLAUT. *Mil.* IV, VIII, 66 sq.

Et etiam pro catamitis et pusionibus.

« Manumisit emptos suos *amores* Philolaches, Omnemque absente rem suo absumit patre. »

PLAUT. *Mostell. arg.* 1 sq.

AMORES. — De re ipsa, metonymia de causa ad effectum.

Sed castos docet et pios *amores*,
Lusus, delicias, facetiasque.

MART. X, XXXV, 8 sq.

Hæc primum juvenum lascivos lusit *amores*.

IDEM, XIV, CLXXXV, 1.

AMORES. — Veneris alati filii. Vid. ANTEROS.

O blandos oculos et inficetos,
Et quadam propria nota loquaces:
Illic et Venus, et leves *Amores*,
Atque ipsa in medio sedet Voluptas.

ALCIM. *in Erron. vener.*

Tres *Amores* totidemque Veneres enumerat Cicero. (Lib. III *de Natura deorum*.)

AMORUM BONA OMINA. — Amasiorum fatua auguria.

1° Ex foliis complosis; quum grandes eorum fragor et sonitus.

Neque telephium manu complosum fragorem reddidit;
Sed emarcuit ad tenerum cubitum,
Me experiente an tibi carus essem.

THEOCRIT. *Eidyll.* III, 29 sqq.

2° Ex crepitu lauri prunis positæ. (*Pollux*. IV, 7.)

3° Ex pomorum seminibus; digitis primoribus velut ejaculatis, si triclinii lacunar aut cameram attigissent,

bene, sin minus, male de suis amoribus augurabantur. Vid. *Poll.* IX, 8.

> Quid? quum Picenis excerpens semina pomis,
> Gaudes, si cameram percusti forte, etc.
>
> HOR. *Sat.* II, III, 272 sq.

4° Ex foliis papaveris. (*Porphyr. apud Euseb. Præp. evang.* III, 11.)

5° Ex rosarum petalis super aversam manum altera manu concussis. (*Anacr. Od.* LIII.)

6° — Ex talorum jactu :

> « AR. Jace, pater, talos, ut porro nos jaciamus. DE. Maxume. Te Philenium mihi, atque uxori mortem : hoc venerium est. Pueri plaudite, et mihi ob jactum cantharo mulsum date. »
>
> PLAUT. *Asin.* V, II, 54 sqq.

Jactus enim *Veneris* felix habebatur. Talis dicebatur, quum quatuor tali simul jacti, dissimiliter cecidissent.

AMORABUNDUS-A. — Amoribus deditus, dedita.

> « In lacu Averno mulierem amantem, verbo inusitatius facto *amorabundam* dixit. »
>
> GELL. II, 5.

AMPLECTI. — Valde amare. (*Dolet.*) Unde :

AMPLEXUS-US. — De concubitu venereo.

> « Ego adhuc servo nunquam succubui; nec hoc dii sinant, ut *amplexus* meos in crucem mittam. Viderint matronæ, quæ flagellorum vestigia osculantur. »
>
> PETRON. *Sat.*

> « Sume ergo *amplexum* si placet. »

> « Indormuit alienis *amplexibus*, oblitus juris humani. »
>
> IDEM. *Ibid.*

[redacted]

Primos passa toros, et adhuc placanda marito,
Merserat in nitidos se Cleopatra lacus,
Dum fugit *amplexus;* sed prodiditunda latentem :
Lucebat totis quum tegeretur aquis.

MART. IV, XXII, 1 sqq.

Quam vario *amplexu* mutamus brachia, quantum
Oscula sunt labris nostra morata tuis.

PROPERT. II, XVI, 9 sq.

Inter gannitus, et subantis voculas,
Carpant papillas, atque amplexus intiment.

APUL. Ἀνεχόμενος, 14 sq.

ANADYOMENE. — Mere græcum, *emergens;* inter Apellis opera. Pictura Veneris mari emergentis, quam moriens Apelles imperfectam reliquit, nullusque repertus est qui vellet absolvere. Hanc Augustus dicavit in delubro patris Cæsaris. Consenuit tandem hæc tabula carie ; aliamque pro ea Nero principatu substituit suo. Dorothei manu. (Vide *Artemidorum*, lib. II; *Plutarch.* etc.; *Plin.* libro XXXV.)

Emersam pelagi nuper genitalibus undis
Cyprin, Apellei cerne laboris opus :
Ut complexa manu madidos salis æquore crines
Humidulis spumas stringit utraque comis.

AUSON. *Epigr.* CIV, 1 sqq.

ANAITIS. — Dea apud Lydos et Armenios culta, hoc more condito, ut vel nobilitate præstantes sacro numinis ministerio dedicent filias, quæ inibi corporis pudicitia in vulgus data, et, velut inde augustiores factæ, mox traduntur viris, nemine non conjugii id genus alacriter admittente. Sacra ejus, quotannis, solemniter festivissimeque celebrabantur. (V. *Plin.* XXXIII, 4; *Hermod. in Plin.*; *Strab.* V, 11 et 12.)

[redacted]

Anaticula. — Diminutivus ab *anate* : inter blanditias.

« Dic igitur me *anaticulam*, columbam vel catellum. »
PLAUT. *Asin.* III, III, 203.

Anatis. — Diana apud Persas. Ecbatanis fuit ejus templum, quo sacerdotes, procul a virili contagio, in perpetua virginitate degebant. (*Alex. ab Alex.* V, 12.) Antiquissima ergo a sacerdotibus virginitatis vota.

Anciæ. — Cincinni dependentes prope auriculas. *Isid.*

Ancilla. — Mulier serva. *Ancillæ* primum sic dictæ ab Anco Martio, quarto Romanorum rege, quod is bello magnum fœminarum ceperit. (*Festus.*)

Sine nota posse *ancillas* adamari putabant antiqui.

Ne sit *ancillæ* tibi amor pudori,
Xanthia Phoceu; prius insolentem
Serva Briseis niveo colore
Movit Achillem.
HOR. *Od.* II, IV, 1 sqq.

Ingenuam malo; sed si tamen illa negetur,
Libertina mihi proxima conditio est:
Extremo est *ancilla* loco; sed vincet utramque,
Si facie nobis hæc erit ingenua.
MART. III, XXXIII, 1 sqq.

Sed non in matrimonium ducere licitum erat, imprimis ingenuo et proceri; quod indubitate patet ex Suetonio :

« Acten libertam paulum abfuit, quin justo matrimonio sibi conjungeret, submissis consularibus viris qui regio genere ortam pejerarent. »
SUET. *in Neron.* 38.

Sæpe matronarum consciæ *ancillæ*, nec non libidinibus adjutrices.

« Procedentibus deinde longius logis, rogavi *ancillam*, ut in platanona produceret dominam. Placuit puellæ consilium : itaque collegit altius tunicam, flexitque se in eum daphnona qui ambulationi hærebat; nec diu morata, dominam producit e latebris. »

PETRON. *Sat.*

Tabellas furtim amasiis portabant.

Conscia quum possit scriptas portare tabellas,
Quas tegat in tepido fascia lata sinu.

OVID. *Art. Amat.* III, 621 sq.

Sed quoniam, quamvis vittæ careatis honore,
Est vobis vestros fallere cura viros :
Ancillæ puerive manus ferat apta tabellas.

OVID. *Art. Amat.*, III, 483 sqq.

Lena vetat miserum Phryne, furtimque tabellas
Occulto portans itque reditque sinu.

TIBULL. II, VII, 45 sq.

Ancillæ, ut ævo nostro, persæpissime amasiis suis dominorum secreta provulgabant.

« Jam scies omnem domus nostræ statum; jam scies dominæ meæ miranda secreta. »

APUL. *Met.* III.

Tunc neque te prodet communi obnoxia culpæ,
Factaque erunt dominæ dictaque nota tibi.

OVID. *Art. Amat.* I, 395 sq. *ubi de Ancilla.*

Et etiam *ancillæ* maritorum dictabantur uxores.

« Et nos quæ majores sumus, maritis advenis *ancillæ* deditæ, extorres lare et patria degemus. »

APUL. *Met.* V.

« Primum enim nuptiarum ritus fuerat, quod se maritus et uxor invicem emebant, ne videretur *ancilla* uxor. »

ISIDOR. *Orig.* IV, 24.

[redacted]

« Ex quo illas tabulas quæ matrimoniales vocantur, recitari audissent, tanquam instrumenta quibus *ancillæ* factæ essent. »

AUGUSTIN. *Confess.* III, 9.

ANCILLARUM FESTUM. Vid. *Caprotina sacra.*

ANCILLA. — Convicium in viros servilis et effœminati ingenii.

« Gallus Antipater *ancilla;* bonorum et historicorum dehonestamentum. »

TREB. POLL. *in Claud.* 5.

Vid. *Fustid. apud Sallust. Frag.* I, 131.

ANCILLARI. — Eodem sensu.

« Verum enim dotibus deliniti, ultro etiam uxoribus *ancillantur.* »

TITINNIUS, *apud Non. Marc.*

ANCILLARIOLUS. *Ancillarum* amator. Sic et contemptim vocabant Romani eos qui id humilis et sordidæ veneris genus sectabantur.

« Si quis nulla se amica fecit insignem, nec aliena uxori æmulum, hunc matronæ humilem, et sordidæ libidinis, et *ancillariolum* appellant. »

SENEC. *de Benef.* I, 9.

Ancillariolum tua te vocat uxor, et ipsa
Lecticariola est; estis, Alauda, pares.

MART. XII, LVIII, 1 sq.

ANCILLARIS. — Quod ad *ancillas* pertinet.

« *Ancillari* sordidoque artificio, regiæ virgines, ut tonstriculæ, tondebant barbam. »

CIC. *Tusc.* V, 58.

ANCILLULA. — Diminutive : *ancilla* parvula.

[redacted]

« Nonne ubi mihi dixisti cupere te ex Æthiopia *ancillulam.* »

TERENT. *Eunuch.* I, II, 85.

ANCUBA. — Pro SUCCUBA. (*Isidor. gloss.*) Adultera, concubina.

ANCULI-ANCULÆ. — Dii deæque mancipiorum. (*Fest.*) Quotannis, festo publico, supplicabantur ab ancillarum grege, solatium servitutis rogante, necnon dominarum rarissimam mansuetudinem. Vid. DOMINA; ORNATRIX. De his numinibus, vid. *Ros. Ant. rom.* 2.

ANCUNNUENTÆ. — Mulieres sic dictæ tempore quo menstrua fluunt. A verbo *cunire.* (*Fest.*)

ANDROGYNI. — Mere græcum : Græcis enim vir, ἀνὴρ, cujus nominis casus ἀνδρός; mulier vero, γυνή. Hermaphroditi.

« Gignuntur homines utriusque sexus, quos hermaphroditos vocamus, olim *androgynas* et in prodigiis habitos; nunc in deliciis. »

GELL. IX, 4.

« Quid ortus *androgyni?* nonne fatale quoddam monstrum? »

CIC. *de Divin.* I, XCVIII, 43.

De *androgynis* fabulæ innumeræ apud antiquos; sic populos africos notarunt utriusque naturæ et inter se vicibus coeuntes; dextra mamma viri, et læva mulieres. (*Plin.* VII, II, 28.)

Re vera *androgyni* nil nisi phantasmata. Ab antiquissima doctrina, quatuor eorum species : in viris tres; mulieribus una tantum.

Si quidem in viris : 1° quum in perinæo hirsuta ruga

[redacted]

pudendi muliebris faciem præbet; 2° quum simili hirsuto sulculo intermedium coleorum afficitur; 3° tandem, ut ex vero meatu, quum urina e scroto profunditur, quod visum ævo nostro.

4° Mulieribus, quum ultra modum eminens murtum, et in balanum evadens, penem effingit; ut nuper vidimus Lutetiæ Parisiorum.

Cæterum, ambigui illi uno sexu tantum ad generandum habiles; ad libidinem vero utroque potiuntur, præsertim tribades.

> Maximu' si argenti sexcentum ac mille relinquit
> Imberbi *androgyni* barbato mæchocinædo.
>
> Lucil. *Frag.* XXX, 19.

> *Androgynum* inter utrum, nec utrumque, et utrinque remotum.
>
> Lucret. V, 836.

Vid. *Annotatores* in *Lucret.* et *Ulpian. ad Sab.* l. I.

> « Sinuessæ natum, ambiguo inter marem et fœminam sexu infantem. Quos *androgynos*, vulgus.... »
>
> Tit.-Liv. VII, *de Bell. punic.*

Androgyni. — De illis qui muliebria patiebantur.

> Nolo tamen veteris documenta arcessere famæ:
> Ecce ego sum factus fœmina de puero.
>
> Auson. *Epigr.* LXVIII, 15 sq.

Anethum. — Inter herbas veneficas ad usum incantatricum.

> « *Anethi* modicum, cum lauri foliis mixtum, rore fontano datur lavacrum et poculum. »
>
> Apul. *Met.* III.

Angerona. — Dea silentii, cui sacrificabatur ad diem XII kalend. januarii. Simulachrum ejus in ara Volupiæ

collocatum erat, significando voluptatis angores patientia et silentio sæpissime sublevari. Vid. *Plin.* III, 5; *Macrob. Saturn.* I, 10.

Anguis. — Pro pene languido.

> Licebit æger, *angue* lentior,
> Tereris usque, donec, ah! miser, miser,
> Triplexque, quadruplexque compleas specum.
> *Priap. Carm.* LXXXIII, 33 sq.

Talis enim *anguis* gradiens. Jam Aristophanes in *concionatricibus*, ὄφιν posuerat pro pudendo remisso.

Anilitas. — (*Catull.*) Anilis ætas. (*Columell.* II, 1, 2.) Senectus, non fœminarum peculiariter, ut interpretantur multi, sed cujuscumque sexus, et etiam de rebus inanimatis. Eadem compositione *virilitas* (*Mart.*) et *juvenilitas*. (*Varr. Eudæmon.*)

Hujus ætatis tremulam vocem tremulis verbis lepide fingit Catullus.

> Usque dum tremulum movens
> Cana tempus *anilitas*.
> Omnia omnibus annuit.
> Catull. LVI, 161 sqq.

Anniversarium nuptiarum. — Apud Romanos religiose celebrabatur, auspice Mercurio.

> Hunc semper Norbana diem cum conjuge Caro
> Læta colat, primis quo coiere toris.
> Mart. VII, lxxiii, 7 sq.

Annulus. — *Annulorum* origo, teste Plinio, e Græcia fuit: sera tamen; nam iliacis temporibus nulla illorum mentio. Signandi causa dicuntur inventi, singuli vero, et ferrei. Sed, augescente luxu, aureos sump-

serunt senatores et equites, nulli alio tamen permissos; unde *jus annuli,* legibus romanis.

Postea tamen, *aureo* donati sunt liberti; sed nunquam servi. Ancillis *aureos* possidere licebat, sed in peculio tantum, gestandi digitis manente interdicto. Inde, *aureum promittere* pro *manumissionem polliceri.*

« Si effexis, soleas tibi dabo, et *annulum* in digito *aureum,* et bona plurima. »

PLAUT. *Casin.* III, V, 63 sq.

Primo, unus tantum *annulus* ad sinistræ manus digitum minimo proximum. (*Gell.* X, 10.) Tres Horatius sæculo suo ponit.

Cum tribus *annellis,* modo læva Priscus inani,
Vixit inæqualis, etc.

HOR. *Sat.* II, VII, 9 sq.

Sed, crescente hujus generis luxuria, dempto medio digito, reliquos omnes ostendit sua ætate Plinius onerari solere: ac privatim etiam articulos minoribus aliis, ita ut uni minimo tres sæpe congererentur. Certe Lucianus, dialogo qui *Gallus* inscribitur, divitis cujusdam manum *annulis* sexdecim onustam depingit.

Per cujus digitos currit levis *annulus* omnes.

MART. V, LXI, 5.

In luctu *annulos* deponebant Romani et Romanæ. (*Dio.* l. XL; *Xiphilinus in Epit. Commod.*)

« Quid aliud in luctu quam purpuram atque *aurum* deponunt? quid quum eluxerunt, sumunt?

TIT.-LIV. XXIV.

Sponsæ, die nuptiarum, *annulus* a sponso mittebatur.

Conventum tamen et pactum, et sponsalia nostra
Tempestate paras, jamque a tonsore magistro
Pecteris, et *digito pignus* fortasse *dedisti.*

JUV. VI, 25 sq.

Erant autem et *æstivi annuli*, id est pondere leviores. Crispini, apud Juvenalem, carpitur illa tunc temporis adhuc inaudita mollities.

Quum pars Niliacæ plebis, quum verna Canopi
Crispinus, Tyrias humero revocante lacernas,
Ventilet *æstivum* digitis sudantibus *aurum*,
Ne sufferre queat majoris pondera gemmæ,
Difficile est satyram non scribere.

JUV. I, 26 sqq.

Dilectorum imagines *annulis* portabant antiqui, pala insertas loco lapilli.

« Nec tamen Epicurum licet oblivisci, si cupiam : cujus imaginem, non solum in tabulis nostri familiares, sed etiam in poculis et in *annellis* habebant. »

TULL. *de Finib. bon. et mal. ex Non. Marc. de Honestis.*

ANNULUS PRONUBUS. — Quo sponsæ digitum vir oppignerare consueverat. Vid. *Cæl. Rhod.* VI, 12, et *Gassendi in vita Peirescii.*

ANNULUS. — Pro interfemineo muliebri. Vid. DIGITUS.

ANSER. — Verecundus antiquis habebatur, teste Plinio, I, X, 20, quo loco pariter de pavone; sed postea in obscena verba conversus. Priapo enim sacri erant *anseres;* interiori templo diversabantur.

« Occidisti Priapi delicias, *anserem* omnibus matronis acceptissimum. »

PETRON. *Sat.*

[redacted]

ANSER. — Poeta eroticus; de quo Ovidius:

> Cinna quoque his comes est, Cinnaque procacior *Anser*.
>
> OVID. *Trist.* II, 435.

ANSER. — Pro scorto. (*Artemidorus*, II, LXXIII, et IV, LXXXV.)

ANTECŒNIUM. — Præludia rei venereæ.

> « Gladiatoriæ veneris *antecœnia*. »
>
> APUL. *Met.* I.

Vid. PROMULSIS.

ANTEROS. — Filius Veneris et Martis, cujus meminit Cicero *de Natura deorum*, 3, et Pausan. 1. Dicit Porphyrius Eroten et *Anteroten* eadem matre, sed non eodem partu natos. Nam, ait, quum priorem filium (Eroten) mater Venus parum crescere animadverteret, Themin consuluit, quæ respondit priori illi Cupidini alterum esse necessarium; cui consilio adhærens Venus, *Anteroten* genuit.

Sed, vix illo edito, primævus Eros crescere cœpit, et alas explicare, et quoties adesset *Anteros*, procerior etiam formosiorque videri. Qua venustissima fabula nos docent antiqui nullum esse felicem amorem, nisi mutuum.

ANTEVENTULÆ. — Comæ ante frontem dependentes.

> « Et discerptæ comæ semicanæ, sordentes inspersu cineris, plerumque ejus *anteventulæ* contegebant faciem. »
>
> APUL. *Met.* IX.

ANTIÆ. — Capilli muliebres in frontem dimissi. (*Fest.*. *Lubin.*)

ANUS-ANI. — Podex; gallice *le fondement.*

« Profert Enothea scorteum fascinum, quod ut oleo et minuto pipere atque urticæ trito circumdedit semine, paulatim cœpit inserere *ano* meo. »

PETRON. *Sat.*

ANUS-US. — Gallice *une vieille*. Plerumque magicæ *anus*, de quibus insignis locus apud Laertium in Dione, ubi *anus* ejusmodi ministerio functa describitur.

Ipseque ter circum lustravi sulphure puro,
Carmine quum magico præcinuisset *anus*.

TIBULL. I, v, 11 sq.

Num te carminibus, num te pallentibus herbis,
Devovit tacito tempore noctis *anus*.

TIBULL. I, VIII, 17 sq.

Jam jam efficaci do manus scientiæ
Supplex, et oro regna per Proserpinæ,
Per et Dianæ non movenda numina,
Per atque libros carminum valentium
Refixa cœlo devocare sidera;
Canidia, parce vocibus tandem sacris,
Citumque retro solve, *solve turbinem.*

HOR. *Epod.* XVII, 1 sqq.

Turbine intelligendum est speciale carmen, quo mens veluti in gyrum agi videatur; maleficii antiquissimi species, qua ad amorem incitabant illæ *anus*. Vid. *Antiq. interpret.*

Magiæ præerat Diana, id est luna; unde magica sacra fere semper nocturna.

...... O rebus meis
Non infideles arbitræ,
Nox et Diana, quæ silentium regis,
Arcana quum fiunt sacra,
Nunc, nunc, adeste.

HOR. *Epod.* V, 49 sqq.

[redacted]

Anicula. — Contemptim, de *anu* abjectissima.

« *Aniculæ* minime suspiciosæ purgat se. »

Cic. *pro Flac. et Tusc.* 2.

« *Aniculæ*, quamvis solutæ mero ac libidine essent, eamdem viam tentant, et per aliquot vicos secutæ fugientem, etc. »

Petron. *Sat.*

Apator. — Sine patre. (*Tertull. de Præscript.* c. 53.) Inde pro spurio, quum pater ejus sit ignotus. (*Plut. in Problem. et Instit. de Nupt.* §. 12.)

Apella. — Recutitus, circumcisus. Cujusdam Judæi nomen ab Horatio, suo more, fictum a *pelle,* aut tegumine balani.

Dum, flamma sine, thura liquescere limine sacro
Persuadere cupit; credat Judæus *Apella*.

Hor. *Sat.* I, v, 99 sq.

Aphrodita, Ἀφροδίτη. — Cognomen Veneris, ab ἀφρὸς, *spuma*, non maris tamen, sed mentulæ, teste *Aristotel. de Generat. animant.*

« Nam genitura spuma est; spuma autem alba est; quod nec antiquos homines latuit; namque deam quæ rei venereæ præest ab ea ipsa facultate *Aphroditen* nominarunt. »

Cæl. Rhod. XVI, 15.

Æneadum genitrix, vicino nomen aprili
Dat Venus: est Marti namque *Aphrodita* comes.

Auson. *Distich. de mensib.* 7 sq.

Aphrodisia. — Festa Veneris, quæ quotannis solemniter peragebantur.

« Die festo celebri nobilique, *Aphrodisiis.* »

Plaut. *Pœnul.* III, v, 13.

« Ego in ædem Veneris eo, nisi quid vis, Milphio; *Aphrodisia* hodie sunt. »

Id. *Ibid.* I, 1, 62 sq.

Cuilibet puellæ, in templo monetam offerenti, reddebatur *phallus* cum mensura salis. (*Arnob.* V, *Clem. Alex. in Protreptico.*)

Inde recentiorum

APHRODISIACA. — Res quæ ad venerem impellunt.

« Sensum vero excitant nepeta, thymum, satureia, hyssopum; præcipueque pulegium, ruta, *cepa.* »

Cels. *Medicin.* II, 32.

Nasturtium et abrotonum.

« *Nasturtii* succum cum *abrotono* miscet, perfusisque inguinibus meis, viridis urticæ fascem comprehendit. »

Petron. *Sat.*

Erucæ, bulbi.

Stare, Luperce, tibi jampridem mentula desit:
Luctaris demens tu tamen arrigere.
Sed nihil *erucæ* faciunt, *bulbique* salaces,
Improba nec prosunt jam *satureia* tibi.

Mart. III, lxxv, 1 sqq.

APOCOPUS.—Exsectus, spado. Ab ἀπὸ et κόπτω. (Vid. *Cæl. Rhod.* IV, 7.)

« In octavo ab horoscopo loco, Mercurius cum Venere, si vespertini ambo, inefficaces et *apocopos* reddent, et qui nil agere possint. »

Firm. XIII, 14.

APOLAUSTUS. — Mere græcum. Voluptatibus inserviens.

« Habuit et Agrippam histrionem, quem *apolaustum* nominavit. »

Capitolin. *in Vero.*

« Juvenes omnino ad voluptatem propensiores pernoscuntur: suntque imprimis *apolausti*, id est, gaudentes, voluptuariique, quoniam eorum præcipue augescit corpus, etc. »

CÆL. RHOD. IX, 14.

Vid. *Lamprid. in Commod.*

APOSTROPHIA. — Cognomen Veneris, a στρέφω, *verto*. Sic a Cadmo cognominata, ut ab omnibus spurcis artibus avocaretur, obscenaque libidine ac concupiscentiis averteretur. (*Pausan.* libb. I et IX.) Eadem est ac *Venus pudica* Romanorum.

APPELLARE. — Ad stuprum blanda oratione allicere.

« Aliud est *appellare*, aliud adsectari. *Appellare* est blanda oratione alterius pudicitiam attentare. Adsectatur, qui tacitus frequenter sequitur. »

ULP. XV, *de Injuriis et famosis libellis.*

APPETERE. — Valde petere, cupere. Inde

APPETITUS-US.

« Libidinem et *appetitum*, vel æmulationem, etiam honestæ rei possumus dicere, ut sit libido omne quod libuerit. »

NON. MARC. *de Impropriis.*

APPETONES. — Qui valde appetunt. (*Non. Marc. de Honest.*)

« Alienum *appetonibus*, viæ perditæ diverticula sequi. »

LAB. *de Virgine, ex Non. Marc.*

APPLICIOR NEXUS. — Intimus.

« Spinam prehendens meam, *appliciore* nexu inhærebat. »

APUL. *Met.* X.

APRICUS. — Proprie soli expositus; unde *aprici* dicti erant senes qui, ut nunc, ad *apricationem* ire solebant

diebus hibernis, et illic acta tempora laudare, consequens ævum distringentes.

> Corporis exigui, præcanum, *solibus aptum.*
>
> Hor. *Epist.* I, xx, 24.

> ....Vigila, et cicer ingere large
> Rixanti populo, nostra ut floralia possint
> *Aprici* meminisse *senes.*
>
> Pers. V, 177 sqq.

Sed erat altera insolatio mollium et effœminatorum, qui, nudi ad solem, dropacistis levandum et unguentariis ungendum corpus propudiosi tradebant.

> I, precor, et totos avida cute combibe soles:
> Quam formosus eris.....!
>
> Mart. X, xii, 7 sq.

> At si unctus cesses, et figas incute solem,
> Est prope te ignotus cubito qui tangat, et acre
> Despuat in mores; penemque, arcanaque lumbi
> Runcantem, populo marcentes pandere vulvas.
>
> Pers. IV, 33 sqq.

Vid. eumdem, ibid. 17 sq.

Aprilis. — Romanorum secundus mensis, Veneri dedicatus, tanquam Æneæ matri. Verisimiliter quasi *aphrilis,* ab *Aphrodita.*

Non ergo saltem dici potuit *aprilis* ab *aperiendo,* ut notant Macrobius et alii, et eo quod tunc arbores se in germen aperire incipiant. Nam, fine februarii, jam Romæ virent et arva segetibus, et prata herbis, et foliis arbores pleræque.

Aptare. — Specialiter de cultu et ornatu. Sic Virgil. *Danaumque insignia nobis Aptemus,* etc. *Æneid.* II, 339 sq

Ista hæc persuadet facies, auroque lacertos
Vinciat, et tyrio prodeat *apta* sinu.

TIBULL. I, IX, 69 sq.

AQUÆ FONS, PUTEUS.—Sæpissime de re venerea in Sacris Literis.

« Ex eodem *puteo*, ex eadem matre. »

ISAI. LII.

« Bibe *aquam* de cisterna tua, et fluenta *putei* tui. »

SALOM. *Proverb.* V, 15.

AQUAM PETERE, SUMERE.—Pro vesicam exonerare, mingere; nam Romani, ut jam diximus verbo ABLUERE, solutis hujus generis naturæ debitis, se accurate lavabant.

« Trimalchio, lautissimus homo, digitos concrepuit: ad quod signum matellam spado ludenti supposuit. Exonerata ille vesica, *aquam poposcit ad manus*, digitosque paululum adpersos in capite pueri tersit. »

PETRON. *Sat.*

Scilicet obstabit custos ne scribere possis,
Sumendæ detur quum tibi tempus *aquæ*.

OVID. *Art. Am.* III, 619 sq.

Simili, sed obscenissimo sensu, *aquam sumere* pro *irrumari*, ob oris usitatam lotionem, post hanc fœditatem.

Vade per has vites; quarum si carpseris uvas,
Quam *sumas* aliter, hospes, habebis *aquam*.

Priap. Carm. XXX, 1 sq.

AQUARII. — Lixæ. (*Porteurs d'eau.*) Geruli domibus aquam gestantes pretio constituto, virosarum anuum admissarii.

Illa jubet sumpto juvenem properare cucullo.

Si nihil est, servis incurritur; abstuleris spem
Servorum, veniet conductus *aquarius.*

Juv. VI, 330 sqq.

« Aggerundaque aqua sunt viri duo defessi. »

Plaut. *Pœnul.* I, ii, 14.

AQUARIOLI. — Aquam ministrantes in lupanaribus.

« Mulierum impudicarum sordidi asseclæ. »

Fest.

Lenonum officio fungebantur, conditionesque meretricibus conciliabant.

« Hisce auditis, exercebatur *aquariolus* iste uxoris suæ; ita ira extumuit, ita exarsit furore, ut in fœminam sanctissimam et pudicissimam, præsente filio ejus, digna cubiculo suo diceret. »

Tertull. *Apolog.* 43.

Vide *Dacerium in Festo.*

Aquariolos etiam suos habebant et vaga scorta meretriculæque, qui vilissimis fœminis et in publicum prodeuntibus aquam sine ullo pudore circumferebant. De hoc officio sic Frontinus :

« Martiam (aquam) splendore et rigore gratissimam balneis ac fullonicis, et relatu quoque fœdis ministeriis deprehendi servientem. »

Frontin. *de Aquæductu.*

Ab *aquariorum* et *aquariolorum* lenocinio, factum est verbum nuptum :

AQUACULARE.—Lenocinari, conciliare. (*Lexic. vet.; Turneb.* I, XIV, 2.)

ARABIA. — Celeberrima apud Romanos, unguentis et fruticibus aromaticis.

Urantur pia thura focis; urantur odores
Quos tener e terra divite mittit *Arabs.*
TIBULL. II, II, 3 sq.

Non *arabo* noster rore capillus olet.
OVID. *epist. Saph. ad Phaon.* 76.

Vid. *Virg. Georg.*; *Plaut.* passim, etc.

« Vel nunc *guttis arabicis* obunctus, et pectinis arguti dente tenui discriminatus. »
APUL. *Met.* I.

ARANEOSUS. — Neglectus, sordidus, ad similitudinem barathri araneis obsessi. Frequentissima cavillatio apud poetas :

Rugosiorem quum geras stola frontem,
Et *aranearum cassibus* pares mammas.
MART. III, XCIII, 4 sq.

..... inter atra cujus inguina,
Vagaque pellé, tectus inguinum gelu
Araneosus obsidet fores situs.
Priap. Carm. LXXXIV, 28 sqq.

ARARE. — Frequentissima rei rusticæ vocabulorum ad rem veneream translatio. Sic in Sacris Literis.

« Si non *arassetis* in vitula mea, etc. »
JUD. XIV, 18.

« Ille opere foris faciendo lassus noctu advenit: Fundum alienum *arat*, incultum familiarem deserit. »
PLAUT. *Asin.* V, II, 23 sq.

*Arent*que sulcos molli in arvo venerio.
APUL. Ἀνεχόμενος, 16.

ARBILLA. — Fœda pinguedo corporis. (*Fest.*)

ARCUM TENDERE. — Arrigere.

[redacted]

« Ubi primam sagittam sævi Cupidinis in ima præcordia mea delapsam excepi, *arcum meum* et ipse vigore *tetendi.* »

APUL. *Met.* II.

Astra igitur mea mens *arcum* dum *tendit* in illa,
Ex imo ad summum viva sagitta volat.

PETRON. *Epigr.* III, *ubi de mentula.*

ARDERE. ARDESCERE. — Peculiariter de venere.

Nec simili venere *ardescunt*, nec moribus unis
Conveniunt, nec sunt eadem jucunda per artus.

LUCRET. V, 897.

Donec non aliam magis
Arsisti, neque erat Lydia post Chloen.

HORAT. *Od.* III, IX, 5 sq.

Formosum pastor Corydon *ardebat* Alexim.

VIRG. *Eclog.* II, 1.

ARETALOGUS. — Mere græcum, ἀρεταλογὸς : e familia scurrarum et acroamatum. Genus philosophorum fere cynicorum, qui convivia beatorum frequentabant, saturosque Romanos, disputationibus de virtute et visio oblectabant.

« Nam et ad communionem sermonis tacentes provocabat, et aut acroamata, aut etiam triviales e circo ludios interponebat, ac frequentissime *aretalogos*.

SUET. *Aug.* 74.

..... bilem aut risum fortasse quibusdam
Moverat et mendax *aretalogus*.

JUV. XV, 16 sq.

ARGUMENTA VIRI. — Liberi; eo sensu quod pueri patrum virilitatem testantur.

Nullum ergo meritum est, ingrate aut perfide, nullum,
Quod tibi filiolus, vel filia nascitur ex me?

Tollis enim, et libris actorum spargere gaudes
Argumenta viri.

JUV. IX, 82 sqq.

ARGUTATIO LECTI. — Clangor lecti, concubantium succussibus leviter crepantis, et quasi ingemiscentis. Nam proprio sensu *argutatio* est tenuis sonus. Sic Virgilius *argutam ilicem* dicit, et *argutum nemus.*

Sertisque atque syrio fragrans olivo
Pulvinusque, peræque et hic et illic,
Attritus, tremulique quassa *lecti*
Argutatio, inambulatioque.

CATULL. VI, 8 sqq.

ARIMPHÆI. — Populi Scythiæ, prope Riphæos montes, insignes moribus pudicis et placidissimis. Detonsos capillos gestabant et mares et fœminæ; unde :

« *Arimphœus capillus* juxta fœminis virisque in probo existimatur. »

PLIN. VI, 13.

ARISTIDES. — Poeta milesius, qui scripsit de luxuria deliciisque patriæ suæ. Unde *Libri milesii,* quorum *Plutarch. in Crass.* et *Lucian. in Amm. Politian. Miscellan.* 16. Vid. MILESIUS SERMO.

Junxit *Aristides* milesia crimina secum.

OVID. *Trist.* II, 413.

ARISTIPPUS. — Cyrenæus, Socratis auditor, qui primus quæstu philosophatus est. Idem est quem Diogenes *canem regium* appellabat, quod Dionysio adularetur ventris gratia. Dicebat enim lautiorem victum nulli impedimento esse ad bene vivendum. Voluptate sapientiam metiebatur, opposite Stoicis. Quod lepide redarguit Horatius :

[redacted]

Nunc agilis fio, et mersor civilibus undis,
Virtutis veræ custos, rigidusque satelles :
Nunc in *Aristippi* furtim præcepta relabor,
Et mihi res, non me rebus, subjungere conor.
HOR. *Ep.* I, I, 16 sqq.

Inde *Cyrenaici* dicebantur azoti et voluptuosi.

ARMA - ORUM. — Pro hasta virili.

Et, quamvis duplici correptum ardore juberent,
Hac Amor, hac Liber, durus uterque deus,
Subjecto leviter positam tentare lacerto,
Osculaque admota sumere, et *arma* manu ;
Nec tamen ausus eram dominæ turbare quietem....
PROPERT. I, III, 13 sqq.

« Paratus miles, *arma* non habui »
PETRON. *Sat.*

Frequentissime enim Romani militiæ vocabula ad venerem transferebant.

ARMATA VENUS. — A Lacedæmoniis culta. Quam memorant Lactantius, Pausanias et Quintil. Obsessi a Lacedæmoniis Messenii, deceptis obsessoribus, furtim egressi sunt ad diripiendam Lacedæmonem; sed a Spartanis mulieribus fusi fpgatique turbate recesserunt.

Interea, cognitis Messeniorum insidiis, hostem insequentes Lacedæmonii, armatas mulieres obvias invenerunt, quæ, quum Messenios esse putarent, ad pugnam corpora sua nudarunt. At illi, uxoribus recognitis, venereum prælium commisere. Cujus ad memoriam congressus, *Veneri armatæ* ædem et simulacrum posuerunt.

Armatam Venerem vidit Lacedæmone Pallas :
Nunc certemus, ait, judice vel Paride.
Cui Venus : *Armatam* tu me temeraria temnis,
Quæ, quo te vici, tempore, nuda fui ?
AUSON. *Epigr.* XLI, 1 sqq.

ARMATA VIRGO. — Sacerdotissa, victimas sacrificans.

« Tunc togæ laciniam rejiciebat *armo*, id est humero. »
FEST.

Quod annotandum pictoribus et statuariis.

ARMILLÆ. — Sequiori sexui antiquitus in usu tantum; sed, et mox gliscente luxuria, ad virorum ornamenta traductæ sunt. Vid. *Plin.* XXXIII, 3, et *Suet. in Calig.*

« Et ne has tantum ostenderet divitias, dextrum nudavit lacertum, *armilla* aurea cultum, et eboreo circulo lamina splendente connexum. »
PETRON. *Sat.*

ARRHÆ SPONSALIUM. — Plerumque monilibus consistebant. Vide *Cod. Justin.* sub hoc titulo, et verbum SPONSALIA.

ARRIGERE. — Adstare pene.

Arrigis ad vetulas, fastidis, Basse, puellas;
Nec formosa tibi, sed moritura placet.
Hic, rogo, non furor est ? non est hæc mentula demens ?
Quum possis Hecubam, non potes Andromachen.
MART. III, LXXVI, 1 sqq.

Et inquietus inguina *arrigat* tumor.
Priap. Carm. LXXXIV, 42.

Virgo virgulam amat, rigens, rigentem;
Mentem explere suam nequit puella;
Arrecta est juveni flagrans cupido.
PETRON. *ex Virgiliocentonibus*, 29.

ARVUM. — Mulierum pudenda.

Atque in eo est Venus, ut *muliebria* conserat *arva*.
LUCRET. IV, 1101.

« Iisdem etiam pudicitiam ejus aggressus est..... conciliante gratiam ancilla, ac subinde dicente :

.... Placitone etiam pugnabis amori ?
Nec venit in mentem, quorum consederis *arvis ?* »
PETRON. *Sat.*

Inter gannitus, et subantis voculas,
Carpant papillas, atque amplexus intiment,
Arentque sulcos molli in *arvo venerio*.
L. APUL. Ἀνεχόμ. 14, sqq.

ASIATICA LUXURIA.

« Deinde tunc primum per Cneium Manilium proconsulem de Gallogræcis triumphantem, *asiatica luxuria* Romam, hosti omni pejor, irrepsit. Tunc enim primum, lecti ærati et pretiosa stragula visa perhibentur ; tunc, inductæ in convivia psalteriæ, et aliæ licentiosæ nequitiæ. »
AUG. *de Civ. Dei.* III, 21.

Vid. *Tit.-Liv.* XXXIX.

ASINUS. — Symbolum salacitatis apud antiquos.

« Et insanivit libidine super concubitum eorum, quorum carnes sunt sicut carnes *asinorum*. »
EZECH. XXIII, 20.

« Insanivit quondam in concubitu Ægyptiorum, quorum carnes sunt ad similitudinem *asinorum*, et tam largus seminum fluxus, ut equorum superent difformitatem. ».
HIERONYM. *Hom.* I.

... contra tamen ille quid adfert ?
Negligit, atque alium bipedem sibi quærit *asellum*.
JUV. *Sat.* IX, 91 sq.

Sic Paullin. Carm. XIII, *asinum* dicit ad libidines

[redacted]

pronum. Eam ob causam Lampsaceni *asellum* Priapo immolabant. Vid. *Lamprid. in Commod.* 10.

Illa calens veniet, dorsum dabit iste calenti,
Cogeturque suo suras submittere *asello*,
Concubitu turpi monstrum paritura biforme.

PETRON. *Fragm. de electione conjugii.*

ASINARUM LAC. — Inter fucos celeberrimum, Poppææ, ut nemo nescit, quotidiana lotio.

« Mulas habebat aureis funibus subligatas; et quinquaginta *asinas* quæ proxime peperissent, quotidie mulgebat, ut ipsarum *lacte* lavaretur. »

XIPHILIN. *in Epitome Dion.*

Interea fœda adspectu, ridendaque multo
Pane tumet facies, aut pinguia Poppæana
Spirat, et hinc miseri viscantur labra mariti.

JUV. VI, 461 sqq.

ASOTUS. (ἄσωτος). — Luxu fœdisque voluptatibus perditus.

« Noli enim mihi fingere *asotos*,......... qui in mensam vomant, et de conviviis auferantur crudi; postridieque se rursus ingurgitent; qui solem, ut aiunt, nec occidentem unquam viderint, nec orientem; qui consumptis patrimoniis egeant. Nemo nostrum istius generis *asotos* jucunde putat vivere. »

CIC. *de Fin.* II.

Inde :

ASOTIA. — Nequitia, luxuries.

« Cedere equidem vobis debui, ut in tali *asotia* atque nequitia artium vinceretis. »

GELL. XIX, 9.

ASSÆ. — Nutrices, quod *assent* eis quos nutriunt. (*Non. Marc.*) *Assa* voce cantare dicebantur qui canebant

sola voce, nullo concinente instrumento musico, (*Varr. Cat.*) ut solent nutrices.

ASSILIRE. — Fœminas inire. De brutis tantum dicebatur.

« Nam nisi prius ea marem cognovit, *assilientem* admissarium calcibus proturbat.

COLUMELL. I, 6.

ASTRA. — In blanditiis.

.... Spectabam in fronte Coletæ
Sidera quæ esse alti mens putat *astra* poli;
Astra igitur mea mens arcum dum tendit in illa,
Ex imo ad summum viva sagitta volat.

PETRON. *Epigr.* III.

ATELLANÆ. — Comœdiæ mimicæ, sic dictæ ab *Atella*, Oscorum oppido, in quo primum cœptæ. Ab ortu joculares ac scurriles, resque serias in risum vertentes, ut apud Gallos quod vocant *des parodies*.

Sed, gradatim obscenæ, in fœdissima tandem abierunt. Memorat Suetonius quoddam exodium *atellanicum*, quo palam et in theatro hircus vetulus repræsentabatur caprarum naturam liguriens. (Vid. *Sueton. in Tiber.* 45.)

« *Atellanæ* poetam, ob ambigui joci versiculum, media amphitheatri arena cremavit. »

SUET. *Caligul.* 27.

ATTALICÆ CONDITIONES. — Luxuriosæ. Ab *Attalo*, Pergami rege, pecunia ditissimo, eodem qui populum romanum hæredem scripsit. Unde proverbium *attalicæ vestes*, *attalica supellex*.

Nec sit in *attalico* mors mea nixa toro.

PROPERT. II, XIV, 22.

[redacted]

.... *Attalicis* conditionibus
Nunquam dimoveas, ut trabe cypria
Myrtoum pavidus nauta secet mare.

HOR. *Od.* I, 1, 12 sqq.

ATTAMINARE. — Temerare : gallice *violer*.

« Omnibus ante juratis viris ne ullam quis *attaminet*. »

JUST. *Hist.* I, 21.

ATTINGERE. — Sensu venereo.

Primum igitur virgo quod fertur tradita nobis,
Falsum est : non illam vir prior *attigerat*,
Languidior tenera cui pendens sicula beta
Nunquam se mediam sustulit ad tunicam.

CATULL. LXII, 19 sqq.

ATTRECTARE. — Femora, mammas manu libidinosa tractare.

« In conviviis exoletos maxime juxta se ponebat, eorumque *attrectatione* et tactu præcipue gaudebat.

LAMPRID. *in Heliogabal.*

« Est enim dictum ab illis fore, qui dicerent uxores suas e cœna redeuntes, *attrectatas* esse a Cælio. »

CIC. *pro Cœlio.*

AUCTORARI. — De questu corporis.

« Nec a genuina levitate descivit mulier, sed execrando metallo pudicitiam suam *auctorata est*. »

APUL. *Met.* IX.

AURA GENITABILIS. — Favonius; ventus ab occasu æquinoctiali vernum inchoans. Sic dictus tanquam ferens vitam novam.

Nam simul ac species patefacta est verna diei,
Et reserata viget *genitabilis aura* Favoni, etc.

LUCRET. I, 10 sq.

AURES. — De ornamentis aurium. Vid. INAURES.

AURICULIS PRENDERE. — Amasiorum osculi genus, quo mutuo apprehensis auribus se pares collabellabant.

« .... sine te *prendam auriculis*, sine dem savium. »
PLAUT. *Pœnul.* I, II, 163.

AURUM. — Ab omni memoria omnipotens *aurum* in amore.

In custodes :

Inclusam Danaen turris ahenea
Robustæque fores, et vigilum canum
Tristes excubiæ munierant satis
Nocturnis ab adulteris;
Si non Acrisium, virginis abditæ
Custodem pavidum, Jupiter et Venus
Risissent; fore enim tutum iter et patens,
Converso in pretium deo.
HOR. *Od.* III, XVI, 1 sqq.

Et quidem in puellas :

Discite formosas *aurum* superare puellas.
PETRON. *Frag. de electione conjugii*, 9.

Auri captandi peritissimæ præsertim meretrices.

.... invenit artem
Fœmina, qua cupidi carpat amantis opes.
Institor ad dominam veniet discinctus emacem,
Expediet merces teque sedente suas.
Quas illa, inspicias, sapere ut videare rogabit;
Oscula deinde dabit; deinde rogabit, emas.
Quid? quasi natali quum poscit munera libo,
Et, quoties opus est, nascitur ipsa sibi?
Multa rogant utenda dari; data reddere nolunt.
....
....

Non mihi, sacrilegas meretricum ut prosequar artes,
Cum totidem linguis, sint satis ora decem.
OVID. *Art. Am.* I, 420.

« Aut *aurum* periit (inauris), aut conscissa pallula est, Aut empta ancilla, etc. »
PLAUT. *Trucul.* I, 1, 32 sq.

Nota refert meretricis acumina, sæpe catellam,
Sæpe periscelidem raptam sibi flentis; uti mox
Nulla fides damnis, verisque doloribus adsit.
HOR. *Ep.* I, XVII, 55 sqq.

AURUM IN GENIS. — Inaures aureæ.

« *Aurum in genis* et in tunicis, ibi inflexum, hic intextum, matronam profecto confitebatur. »
APUL. *Met.* I.

AUSPICIUM. — Nullæ nuptiæ, præsertim legitimæ, sine *auspicio.*

« . . . . . . nedum consulem designatum, cum uxore principis, prædicta die, adhibitis, qui obsignarent, velut suscipiendorum liberorum caussa, convenisse; atque illam audisse *auspicum* verba, subiisse, sacrificasse apud deos. »
TACIT. *Annal.* XI, XXVII.

. . . . Tyriusque palam genialis in hortis
Sternitur, et ritu decies centena dabuntur
Antiquo : veniet cum signatoribus *auspex*.
JUV. *Sat.* X, 334 sqq.

AUTOMATA (αὐτόματα). — Motus puellæ crissantis, annominatione machinarum, quæ sponte moveri videntur.

« Itaque ego quoque, ne desidia consuetudinem perderem, dum frater sororis suæ *automata* per clostellum miratur, accessi, tentaturus an pateretur injuriam. »
PETRON. *Sat.*

AVERE. — Ardenter cupere. (*Cic.*. *Horat.*)

AVERE VIRUM. — Virum venari.

« Satis scitum filum mulieris; *virum* hercle *avet.* »

PLAUT. *Merc.* IV, IV, 15.

Vid. *Gronov. in Plaut.*

AVERSUS JACERE. — Concubanti tergum vertere, ut accidit tardis aut negligentibus maritis.

Est pretium curæ penitus cognoscere, toto
Quid faciant agitentque die. Si nocte maritus
Aversus jacuit, periit libraria; ponunt
Cosmetæ tunicas..... etc.

JUV. VI, 474 sqq.

Hic arguit Juvenalis mulierum morositatem post noctem viduam.

AVERSA VENUS. — Pædicatio, cujus duo genera, in fœminas et in mares.

Primum genus a voluptate naturali fere quasi non immutatum, si pathicis creditur, quum mulieres sint, et totæ, et qualibet parte cunnus.

Incurvabat Hylam posito Tirynthius arcu:
  Tu Megaram credis non habuisse nates?
Torquebat Phœbum Daphne fugitiva; sed illas
  Œbalius flammas jussit abire puer.
Briseis multum quamvis *aversa* jaceret,
  Æacidæ propior levis amicus erat.
Parce tuis igitur dare mascula nomina rebus,
  Teque puta cunnos, uxor, habere duos.

MART. X, XLIV, 5 sqq.

Frequens enim erat a maritis posteræ veneris usus in uxores.

« Novimus istam maritorum abstinentiam qui, etiam si virginibus timidis remisere noctem, vicinis tamen locis ludunt. »

SENEC. *Controv.* I, II.

[redacted]

Sic etiam, purioribus nuptiis, sæpe primum sponsus nuptæ *aversam* virginitatem delibabat.

> Pædicare semel cupido dabit illa marito,
>   Dum metuit teli vulnera prima novi.
> Sæpius hoc fieri nutrix materque vetabunt,
>   Et dicent : Uxor, non puer, ista tibi est.
> Heu! quantos æstus, quantos patiere labores,
>   Si fuerit cunnus res peregrina tibi!
> Ergo Suburranæ tironem trade magistræ.
>   Illa virum faciet; non bene virgo docet.
>
> MART. XI, LXXIX, 5 sqq.

Alterum vero genus in pueros : cum spondis puerisque certe licita pædicatio, sed viris innuptis tantum.

> Diceris male te a tuis
> Unguentate glabris marite
> Abstinere : sed abstine.
> . . . .
> Scimus hæc tibi quæ licent
> Sola cognita; sed marito
> Ista non eadem licent.
>
> CATULL. LVI, 141 sqq.

Nulla enim lege prohibebatur puerorum amor, ante legem Scantiniam, eamdem quæ postea *Julia* nuncupata est.

Masculam venerem primus edocuisse fertur Orpheus.

> Ille etiam Thracum populis fuit auctor, amorem
> In teneros transferre mares.
>
> OVID. *Met.* X, 83 sq.

Idcirco erant pervigilia orphica, quæ memorant Herodotus et Cic. *de Natura Deorum, lib.* 3.

Quum pædicationem significare vellent Ægyptii, geminas pingebant perdices masculas, sese invicem

[redacted]

ineuntes. (*Interpret. in Priap. Carm.* XXVII, *ex musæo Simonis abbes.*) Ejusdem fœditatis hoc signum erat apud Romanos : digitum medium arrigebant, alteris flexis; qua forma manus Priapi specimen præbebat coleis muniti. Sic hodie, et præsimili modo, Hispani, necnon Gallo-provinciales inter medium digitum et indicem rectum pollicem inserunt, contractis vero reliquis digitis.

« Nec unquam verbis pepercit infamiam, quum digitis infamiam ostentaret. »

LAMPRID. *in Heliogabal.*

« Osculandam manum offerre, formatam commotamque in obscenum modum. »

SUETON. *in Calig.* 56.

Erant autem lupanaria puerorum, patientiumque exoletorum. (Vid. *Cod. Theodos.* IX, VII, 6.)

Ut internosci possint, tunicas gestabant meritorii, sed cum manicis, more mulierum. Inde :

« Manuleatam tunicam habere hominem decet. »

PLAUT. *Pseudol.* II, IV, 48.

Præduris et exoletis pusionibus inguina levabantur.

« Ferebant in Hispania Icelum e veteribus concubinis, non modo arctissimis osculis palam exceptum, sed, ut sine mora *velleretur*, oratum, atque seductum. »

SUET. *in Galb.* 22.

Obscenissima connexi catena in lupanariis *faciebant* et *patiebantur* catamiti, ut ait *Senec. Quæst. nat. in extremo libro.*

Tres uno in lecto; stuprum duo perpetiuntur;
Et duo committunt : quatuor esse reor.

Falleris; extremis da singula crimina, et illum
Bis numeres medium qui *facit* et *patitur*.
AUSON. *de Trib. Incest. Epigr.* CXIX, 1 sqq.

AVUS-ATAVUS, etc. — Inter parentes enumerant jurisconsulti romani *avum*, *proavum*, *atavum* et *tritavum*. Inter vero liberos, *filium*, *nepotem*, *pronepotem*, *abnepotem*, *adnepotem* et *trinepotem*. Cæteri quidem omnes qui supra *tritavum*, generali nomine, *majores* nuncupantur; dum *minores*, qui infra *trinepotem*.

« *Avi* et *atavi* nostri, quum allium et cepe eorum verba olerent, tamen optime animati erant. »
VARR. *apud Non. Marc.*

BABY

BABYLON. — Urbs Chaldææ caput, totiusque Assyriæ princeps, a Nimbrothe aut Nimbroto condita (*Sacr. Litt. et Beros.* I, 3), a Semiramide vero restaurata, coctilique muro circummunita.

Priori illi Semiramidi, circa corporis cultum occupatæ, quum defectio *Babylonis* nuntiata esset, soluta adhuc altera parte capillorum protinus ad pugnam accurrit, nec prius comam in ordinem redegisse dicta est quam urbem recepisset. Vid. *Val. Max.* IX, 2.

Luxuriæ mater fuit *Babylon*, inde per totum orbem diffusæ. Ex publica auctoritate, uxores emebantur, quod hodie apud Musulmanos servatur. (*Polydor. Virg. de Rerum invent.* IV, 4.)

Mos et erat fœminas, tum nuptas, tum virgines,

[redacted]

ex oraculo quodam, commisceri, die festo Veneris, cum hospitibus et quibuscumque adventitiis. A fano quisque suam abducebat, data pecunia, quæ post stuprum deæ offerebatur. (*Cæl. Rhod.* VIII, 21.)

Nec minus inclyta *Babylon* vestium luxu, mollitiaque suppellectilium. Inde :

BABYLONICUS CALIX. — Cupa voluptatum, metaphora ethnicis et christianis concionatoribus usitatissima

« *Calix aureus Babylon* in manu domini inebrians omnem terram. »

JEREM. LI, 7.

« *Calix Babylonicus aureus*, vice adagii, usurpatur a Hieronymo. « Multa, inquit, de perfectione dicuntur, ut qui volumen philosophi nesciunt, sub martyris nomine bibant de *aureo calice Babylonis.* » Meminit elegantissime item Ambrosius quodam loco : « Ille, inquit, apud me primus qui omnium perditissimus; ille meus est qui suus non est; ille mihi gratior qui sibi nequitior; *calix babylonicus aureus* in manu mea inebrians omnem terram...... »

CÆL. RHOD. VIII, 21.

BABYLONICI NUMERI. — Species sortis aut divinationis, Romæ puellis in magnam fidem. A Cicerone *Chaldæi* et *Assyrii* dicti.

« *Chaldei* (*numeri*) non ex artis, sed ex gentis vocabulo nominati, diuturna observatione siderum putantur effecisse, ut prædici posset quid cuique eventurum, et quo quisque fato natus esset. »

CIC. *Divinat.* I, *initio.*

Sic Horatius ad Leuconoen meretricem :

Tu ne quæsieris scire, nefas, quem mihi, quem tibi,

Finem dî dederint, Leuconoë : nec *babylonicos*
Tentaris *numeros*, etc.
HOR. *Od.* I, XI, 1 sqq.

BABYLONICÆ VESTES. — In deliciis fœminarum et mollium.

« Colores diversos picturæ intexere *Babylon* maxime celebravit, et nomen ejus imposuit. »
PLIN. VIII, 48.

Non ego prætulerim *babylonica picta* superbe
Texta, Semiramia quæ variantur acu.
MART. VIII, XXVIII, 17 sq.

Hæc tibi Memphitis tellus dat munera : victa est
Pectine niliaco jam *Babylonis acus*.
MART. XIV, CXLVIII, 1 sq.

BACARIO. — Servulus qui lupanaribus aquam ministrabat, ad usum scortorum. Vid. ABLUERE. Idem est ac *aquariolus*. (*Gloss. vet. et interpret. ad Plaut. Pœnul.* I, II, 14.) Græce πορνοδιάκονος. A *baca*, specie vasis aquarii. Vid. *Gloss. Isidor.*

BACCÆ.—Pro margaritis, a similitudine *baccarum*, quæ proprie sunt fructus minuti et orbiculati arbusculorum racemiferorum, ut myrti, sambuci, juniperi, etc.

Hæc *baccam* conchæ rasisse, et stringere venas
Ferventis massæ crudo de pulvere jussit.
PERS. II, 66 sq.

Filius Æsopi detractam ex aure Metellæ,
Scilicet ut decies solidum exsorberet, aceto
Diluit insignem *baccam*.
HOR. *Sat.* II, III, 239 sqq.

Sub Augusto excudebantur solidi aurei ad numerum quadraginta quinque in libra : quisque ergo solidus

pollebat, pondere gallico, 1 *gros* 68 *grains*, pretioque nostri temporis, 19 fr. 30 c.

Sed rationariis romanis quotiescumque summa per adverbium scripta est, cententuplicato intelligenda est. Sic *sexagies sestertium* pro 6,000 sestertiis.

Baccæ ergo Metellæ pretium erat mille solidorum, et monetæ nostræ, 19,300 fr.

> Nec sit marita, quæ rotundioribus
> Onusta *baccis* ambulet.
>
> HOR. *Epod.* VIII, 13 sq.

Baccas enim gestare, fœminarum gloria erat, digitis et auribus, sæpeque binas aut ternas. Vid. ELENCHUS et INAURES.

> Quo margarita cara *tribacca* Indica?
> An ut matrona ornata phaleris pelagiis
> Tollat pedes indomita in strato extraneo?
>
> PETRON. *Sat.*

Viris etiam usurpabantur *baccarum* uniones : quod patet ex Lampridio.

« Gemmarum quod fuit vendidit, et aurum in ærarium contulit, dicens gemmas viri usui non esse; matronas autem regias contentas esse debere uno reticulo, atque inauribus et *baccato monili*, et corona cum qua sacrificium facerent, et unico pallio auro sparso, et cyclade quæ sex unciis auri plus non haberet. »

LAMPRID. *in Alex.*

Quanto plura hodie possident, quanto impudentius ostendunt meretriculæ nostræ!

BACCATUS. — *Baccis* ornatus.

> ...... colloque monile
> *Baccatum.*
>
> VIRGIL. *Æneid.* I, 658 sq.

......*baccatum* induta monile.
SIL. ITAL. VIII, 134.

BACCHA. — (Singulari numero.) Mulier insaniens.

« *Bacchæ* bacchanti si velis adversarier, ex insana insaniorem facies. »

PLAUT. *Amph.* II, II, 71.

BACCHANAL. — Proprie locus quo *Bacchi* sacra celebrabantur : sæpe pro ganeo et lupanare.

« Quî, amabo? Quia, Bacchis, Bacchas metuo et *Bacchanal* tuum.

PLAUT. *Bacch.* I, I, 19.

BACCHANALIA. — *Bacchi* festa, quibus cum ululatu et rumore promiscua stupra, inter vina et epulas, noctu agebantur, patientibus non tantum fœminis, sed et pueris tenerulis.

« Initia erant (*bacchanalium*) quæ primo paucis tradita sunt; deinde vulgari cœpta per viros mulieresque : additæ voluptates religioni vini et epularum, quo plurium animi illicerentur. Quum vinum animos et nox, et misti fœminis mares, ætatis teneræ majoribus, discrimen omne pudoris exstinxissent..... nec unum genus noxæ; stupra commiscua ingenuorum fœminarumque erant. »

TIT. LIV. XXXIX, 8.

« *Bacchanalia* sacra, vel potius sacrilegia, sunt instituta, de quorum rabiosa turpitudine post tam multos annos sic senatus erubuit, ut in urbe Roma esse prohiberet. »

AUG. *de Civ. Dei.* XVIII, 13.

Fœmineæ voces, et mota insania vino,
Obscenique greges, et inania tympana vincant?

OVID. *Met.* III, 536 sq.

Inde :

BACCHANALIA VIVERE. — Perdite vivere.

..... quoties aliquid de moribus audent
Qui Curios simulant, et *Bacchanalia vivunt*.
JUV. II, 2 sq.

BACCIBALLUM. — In blanditiis; quasi diceres *bella bacca*. Gallice *mon bijou*.

« Noveratis Melissam Taurentiam, pulcherrimum *bacciballum*. »

PETRON. *Frag. de Cœna Trimalchionis*.

BACTRIASMUS. — Saltatio lascivi generis, lumbis tremulis et molliter fluctuantibus. (*Bulenger. de Theatr.* I, 51.)

BADAS. — Pro cinædo. Mere grecum βάδας, a Latinis usurpatum. Vid. *Cæl. Rhodig.* XV, 17.

BADIZARE. — Βαδίζειν. Proprie de molli incessu equi tolutatorii, a Plauto ad motus venereos translatum. Notatur enim a Palmerio genus quoddam libidinis quod *equus* nominabatur.

« Si verum quidem est decorum, herum vehere servum, inscende..... Inscende actutum. — ego fecero; hem! quid istuc est? ut tu incedis! Demam hercle jam de ordeo, tolutim ni *badizas*. »

PLAUT. *Asin.* III, III, 111 sqq.

BAGOAS. — Βαγώας. Lingua persica spado. (*Plin.* XIII, IV, 9), Latinis eodem sensu usurpatum. (*Quinctil.* V, XII, 21.) Orsines, nobilissimus satrapes, quum Alexandrum et amicos ejus muneribus cumulasset, *Bagoæ* regis, nil quicquam honoris detulit. Admonitus a quibusdam quam Alexandro cordi esset, respondit

se amicos regis colere, non scorta. Vid. *Suid.* et *Curt.* X, 1, 26.

> Quem penes est dominam servandi cura, *Bagoe*.
>
> OVID. *Am.* II, II, 1.

BAIAE-ARUM. — Civitas Campaniæ, secus mare sita; sic nominata a *Baio*, Ulyssis socio, illic sepulto. Hujus agro sunt aquæ libidinibus famosissimæ. *Baianas* balneas insectatur Seneca, *Epist. moral.* I, 7, tanquam diversorium omnium nequitiarum.

> « Si quæ non nupta mulier domum suam patefecerit omni cupiditati; si hoc in urbe, si in hortis, si in *Baiarum* illa celebritate faceret.....
>
> CIC. *pro Cæl.* 49.

> Casta, nec antiquis cedens Lævina Sabinis,
> Et quamvis tetrico tristior ipsa viro;
> Dum modo Lucrino, modo se permittit Averno,
> Et dum *Baianis* sæpe fovetur *aquis*;
> Incidit in flammas, juvenemque secuta, relicto
> Conjuge, Penelope venit, abit Helene.
>
> MART. I, LXIII, 1 sqq.

> Tu modo quam primum corruptas desere *Baias*;
> Multis ista dabunt litora dissidium,
> Litora quæ fuerant castis inimica puellis.
> Ah! pereant *Baiæ* crimen amoris *aquæ*!
>
> PROPERT. I, II, 27 sqq.

BALANUS. — Βάλανος. Glans arboris arabici, cujus oleum in unguentis laudatur a Plinio, XII, 21; XIII, 1, sub nomine *myro-balani*.

> Tyrrhena regum progenies, tibi
> Non ante verso lene merum cado
> Cum flore, Mecænas, rosarum, et
> Pressa tuis *balanus* capillis
> Jamdudum apud me est.
>
> HOR. *Od.* III, XXIX, 1 sqq.

[redacted]

Balanus in deliciis mollium et cinædorum. Unde Persius :

> Tu quum maxillis *balanatum* gausape pectas
> Inguinibus quare detonsus gurgulio exstat?
>
> PERS. IV, 37 sq.

Oleo *balanino* ungebantur infantes post balneum frigidum, tanquam remedio.

BALANUS.— Pessarium, id est, veretrum lanæ carminatæ, quod vulvæ ad medicamentum intromittitur. Sed infimæ latinitatis; nam id genus remedii Celsus notare volens, vocabulo latino nominare non potuit.

BALNEÆ. — In deliciis populi romani, tanquam cœtus garrulorum et famigeratorum, necnon loci fœdissimæ libidinis. Plebeculæ aperiebantur minimo pretio; quandoque, impendio nullo ex munificentia procerum.

> « *Balneum* quo usus fuisset, *sine mercede* exhibuit. »
>
> JUL. CAPITOLIN. *in Anton. Pio.*

Balneis publicis quadrante lavabantur tenuiores. (*Senec. Ep.* 87.)

> Sportula nulla datur : gratis conviva recumbis.
> Dic mihi, quid Romæ, Gargiliane, facis?
> Unde tibi togula est, et fuscæ pensio cellæ?
> Unde datur *quadrans?*
>
> MART. III, XXX, 1 sqq.

> Ne longum faciam, dum tu *quadrante* lavatum
> Rex ibis, neque te quisquam stipator, ineptum
> Præter Crispinum, sectabitur....
>
> HOR. *Sat.* I, III, 137 sqq.

Quadrans vero monetæ gallicæ : = 0 fr. 31 c.

Gratis lavabantur pueri nondum quadrimi.

[redacted]

Atque una transire vadum tot millia cymba,
Nec pueri credunt, nisi qui *nondum ære lavantur*.

JUV. II, 151 sq.

Quadruplices *balnearum* species, unde totidem cellæ ad singulos usus; 1° frigidariæ; 2° tepidariæ; 3° caldariæ; 4° sudatoriæ vaporibus siccis. Vide *Laudent. Joubert de Balneis antiquorum*; et *Martial. de Etrusci thermis, lib.* VI, *epigr.* XLII.

Primo obscura *balnea* propter verecundiam, nec non servandum calorem. Tale Scipionis *balneolum* Linterni apud *Senecam*, *Epist.* 87.

...in medio qui
Scripta foro recitent, sunt multi; quique lavantes;
Suave locus voci resonat conclusus.

HOR. *Sat.* I, IV, 74 sqq.

Redde Lupi nobis tenebrosaque *balnea* Grylli.

MART. I, LX, 3.

Sed paulo post omisso pudore, abundantia luminis elucebant.

« In hoc *balneo* Scipionis, minimæ sunt rimæ, magis quam fenestræ, ut sine injuria lumen admitterent. Sed nunc, blattaria vocant *balnea*, si non ita aperta sunt ut totius diei solem fenestris amplissimis recipiant; nisi, et lavantur simul et colorantur; nisi ex solio agros et maria prospiciunt. »

SENEC. *Ep.* 87.

« Intra conclave succensum solidus dies; et hæc abundantia lucis inclusæ, ut verecundos quosque compellat aliquid se plus putare quam nudos. »

SIDONIUS APOLLINARIS, *lib.* II, *ep.* II.

Priscorum *balneæ* ex ligno, aut opere cæmentitio; sed, crescente luxu, undique marmoratæ summo nitore præluxerunt.

Illic Taygeti virent metalla,
Et certant vario decore saxa,
Quæ Phryx, et Libys altius cecidit.
Siccos pinguis onyx anhelat æstus,
Et flamma tenui calent Ophitæ.

MART. VI, XLII, 11 sqq.

« Fœminæ lavantur, et, nisi argentea, solia fastidiunt..... videret hæc Fabricius, et stratas argento *balineas*, ita ut vestigio locus non sit cum viris lavantium. »

PLIN. XXX, 54.

Balnea inter lupanaria primaria. Ad horam nonam patebant, eamdem qua lustra et tabernæ. Prohibuit Hadrianus ante octavam. (*Cæl. Spart. in Hadrian.*)

Mixtim lavabant et viri et fœminæ. Vid. *Plin.* loco supra citato. Lavacra, pro sexu, separavit Hadrianus.

In *balneis* vagabant meretrices.

« Tales, ubi comitantibus singulos quadraginta ministris, *tholos* introierint *balnearum*, ubi, ubi sunt, minaciter clamantes, si apparuisse subito ignotam compererint meretricem, aut oppidanæ quondam prostibulum plebis, vel meritorii corporis veterem lupam, certatim concurrunt; palpantesque advenam deformitate magna blanditiarum ita extollunt, ut Semiramin Parthi, etc. »

AMMIAN. MARCELLIN. XXVIII.

« Omnes de circo, de theatro, de stadio, de omnibus locis et *balneis*, meretrices collegit in ædes publicas, et apud eas concionem habuit, etc. »

LAMPRID. *in Heliogabal.*

Quum te lucerna *balneator* exstincta
Admittat inter bustuarias mœchas.

MART. III, XCIII, 14 sq.

Inde *balneæ* furtis venereis aptissimæ.

Quum custode foris tunicam servante puellæ,
Celent furtivos *balnea* tuta jocos.

OVID. *Art. Amat.* 639 sq.

Omnia fœmineis quare dilecta catervis
Balnea devitat Blattara? ne futuat.

MART. XI, XLVIII, 1 sq.

Modus lavandi in *balneis* : e vaporibus siccis aut aqua calida, ad frigidam ibant Romani.

Ritus si placeant tibi Laconum,
Contentus potes arido vapore,
Cruda Virgine, Marciave mergi.

MART. VI, XLII, 16 sqq.

Vid. *Petron.* infra. Et *Senec. Epist.* 84.

Post lotionem, se oleo perfundebant, quandoque unguentis; quo facto, corpus linteis aut palliis lana confectis tergebatur.

« Ac simul e promptuario, oleum unctui, et lintea tersui, et cætera huic eidem usui, profer ocyter, et hospitem meum produc ad proximas *balneas.* »

APUL. *Met.* I.

« Itaque intravimus *balneum*, et sudore calefacti, momento temporis ad frigidam eximus. Jam Trimalchio unguento perfusus tergebatur, non linteis, sed palliis ex mollissima lana factis. »

PETRON. *Sat.*

Balneis et etiam cœnæ et comessationes.

« Nepotinis sumptibus omnium prodigorum ingenia superavit; commentus novum *balnearum* usum, portentosissima genera ciborum atque cœnarum : ut calidis frigidisque unguentis lavaretur. »

SUET. *in Calig.* 37.

Qui cœnam dabant, *balneum* quoque præbebant, et

[redacted]

si non illis privatum domi erat, ad publicum convivas mittebant, jam ante de mercede securos.

« Tene asymbolum venire ! unctum atque lautum e *balneis*,
Otiosum ab animo, quum ille et cura et sumtu obsumitur. »
TERENT. *in Phormion.* II, II, 25 sq.

Inde :

BALNEARES. — Instrumenta *balneorum*, ut strigiles, ampullæ, oleum, lintei ad abstergendum corpus, etc.

« Hæc adhuc me loquente, manu firmiter injecta Milo, jussis *balnearibus* adsequi, produxit ad lavacrum proximum. »
APUL. *Met.* III.

BAPTÆ. — Sacerdotes Cotyttus, deæ impudicitiæ, cui nocturna sacra peragebant, saltationibus, omni voluptatum generi indulgentes. Dicti *Baptæ* a græco βάπτειν, quod, qui sacris Cotyttus initiabantur, aqua calida tingerentur. Vid. COTYTTO.

In *Baptas* comœdiam scripsit Eupolis, quam illorum nomine appellavit, et in qua libidines eorum promulgavit; qua de re accensi, opus et auctorem in mare submerserunt. Vid. *Suid.* et *Politian. Miscellan. cap.* X.

Talia secreta coluerunt orgia tæda
Cecropiam soliti *Baptæ* lassare Cotytto.
JUV. II, 91 sq.

Hinc *baptæ* pro mollibus et impudicis.

BARATHRUM. — Nomen commune apud Græcos, pro quovis loco cavo et profundo ; ab Horatio translatum ad stomachum helluonis ; a Martiale usurpatum pro locis muliebribus :

Quid cum *fœmineo* tibi, Bætice Galle, *barathro?*
Hæc debet medios lambere lingua viros.
MART. III, LXXXI, 1 sq.

BARBA. — Primitias *barbæ* deponebant juvenes, magna cum celebritate conviviorum et ludorum, in solemne indicium adeptæ virilitatis.

Lux tibi post Idus numeratur tertia Maias,
....
Libat florentes hæc tibi prima genas.
MART. III, VI, 1 et 4.

BARBATULI. — Juvenes molles et lascivi, sic irrisione dicti, quod primam diu lanuginem servabant, ut delicatiores viderentur.

« Concursabant *barbatuli* juvenes, totus ille grex Catilinæ. »
CIC. *ad Att.* I, XIII.

BASIARE. — De quacumque venere dictum, et voluptate etiam spurcissima.

Aut quam sidera multa, quum tacet nox,
Furtivos hominum vident amores,
Tam te basia multa *basiare*
Vesano satis et super Catullo est.
CATULL. VII, 7 sqq.

« Hilarior post hanc pollicitationem facta, mulier *basiavit* me spissius, et ex lacrymis in risum mota, descendentes ab aure capillos meos dentata manu duxit. »
PETRON. *Sat.*

Fartus papyro dum tibi torus crescit,
Flentes superbus *basiabit* eunuchos.
MART. VIII, XLIV, 14 sq.

Quem quum fenestra vidit a Suburana
Obscena nudum lena, fornicem cludit,
Mediumque mavult *basiare*, quam summum.
MART. XI, LXII, 3 sqq.

Basium. — Veneris præludium. Vid. **Osculum**, **Columbare**, **Collum applicare**. Proprie ad os refertur; sed, ut supra vidimus, dicebatur de cujuscunque corporis partis osculatione.

« Ultimo cinædus supervenit. . . . extortis nos clunibus cecidit, modo *basiis* olidissimis inquinavit. »

Petron. *Sat.*

Basium nuptiale. — Basiatio casta et ore obstricto, ut publice inter sponsum et sponsam; ex more enim romano, matrimonium titulus dignitatis erat, non voluptatis.

Et æstuantem basiant, et algentem,
Et *nuptiale basium* reservantem.

Mart. XI, xcix, 1 sq.

Basium mutum. — Frigidum; quo nec linguæ vibrant, nec labia conferruminantur.

Ne sint *basia muta*, nec maligna;
Nec clusis aditum neget labellis.

Mart. XII, lv, 9 sq.

Basium.—Posci-nummium.—Negoti-nummium. Quæstus causa datum, more meretricum.

« Tunc exosculata pressule, non qualia in lupanari solent *basia* jactari, *posci-nummia*, vel adventorum *negoti-nummia.* »

Apul. *Met.* X *in fine.*

Inde et simili compositione:

Basiballum, Basibolum. — Scortillum. (*Petron. Sat.*) *Bolus* enim idem est ac præda.

Bassus. — Poeta eroticus, Propertii coævus.

Quid, mihi tam multas laudando, *Basse*, puellas,
Mutatum domina cogis abire mea?
PROPERT. I, IV, 1 sq.

Bassi et meminit Ovidius. Vid. *Voss. Tract. de poet. latin. legitim.*

BATUERE. — Percutere. Ad obscena translatum, et tunc a βάλλειν, inire.

« Et quidem jam, etiam non obscena verba pro obscenis sunt. *Batuit,* inquit, impudenter; depsit, multo impudentius. »
CIC. *Ep.* IX, XXII.

« ... Quî, quæso potius quam sculponeas Quibus *batuatur* tibi os, senex nequissime? »
PLAUT. *Casin.* II, VIII, 59 sq.

BELLUM. — De militia venerea: nam frequentissima dilogia verba rei castrensis ad venerem convertebantur. Sic Horatius:

Vixi puellis nuper idoneus,
Et militavi non sine gloria:
Nunc arma, defunctumque *bello*
Barbiton hic paries habebit.
HOR. *Od.* III, XXVI, 1, sqq.

Tum victor madido prosilias toro,
Nocturni referens vulnera prælii.
CLAUD. *in nupt. Honor. et Mariæ*, 126 sq.

BELLUS. — Proprie venustus, elegans; sed sæpe in malam partem. Sic:

BELLUS. — Obsequiosus; qui alterius libidini favet; conciliator benevolus. Gallice *un complaisant.*

Gallus habet fratres, quorum est lepidissima conjux
Alterius, lepidus filius alterius.

[redacted]

Gallus homo est *bellus* : nam dulces jungit amores,
Cum puero ut bello bella puella cubet.

CATULL. LXXIII, 1 sqq.

BELLUS. — Pro molli et effœminato. Gallice *un petit-maître*. Putidum genus, sic a Martiale adumbratum.

Bellus homo est, flexos qui digerit ordine crines;
Balsama qui semper, cinnama semper olet;
Cantica qui Nili, qui Gaditana susurrat;
Qui movet in varios brachia vulsa modos;
Inter fœmineas tota qui luce cathedras
Desidet, atque aliqua semper in aure sonat;
Qui legit hinc illinc missas, recipitque tabellas;
Pallia vicini qui refugit cubiti;
Qui scit quam quis amet; qui per convivia currit;
Hirpini veteres qui bene novit avos :
Quid narras? hoc est, hoc est *homo*, Cotile, *bellus*?
Res prætricosa est, Cotile, *bellus homo*.

MART. III, LXIII, 3 sqq.

BELLATULUS. — Vox blandientis : nam infantilibus verbis gaudent amores.

« Cubitum ergo ire volt. — Quin imus ergo? — Bella *bellatula*. »

PLAUT. *Casin.* IV, IV, 27 sq.

Gallice *mon petit mignon*.

BENE VIVERE. — In deliciis.

« *Vixit*, dum vixit, *bene*. »

TERENT. *Hecyr.* III, V, 11.

Conjuges, *bene vivite*, et
Munere assiduo valentem
Exercete juventam.

CATULL. LVI, 233 sqq.

BERECYNTHIA. — Cognomen Cybeles, a *Berecynthio*,

monte Phrygiæ, ubi templum matris divûm frequentissimum.

> Ipsa deûm fertur genitrix *Berecynthia*....
>
> VIRGIL. *Æneid.* IX, 82.

Romæ celebrabantur festa *Berecynthiæ* sexto kal. aprilis, cum magno strepitu (Hor. Od. I, XVIII, 13; Lucret. II, 598 sqq.), nec non libidinibus, famosaque infamia.

> « *Berecynthiæ*, matri omnium deorum, ante cujus lecticam.. talia per publicum cantitabantur a nequissimis scenicis, qualia, non dico matri deorum, vel quorumlibet honestorum virorum, nec matrem ipsorum scenicorum deceret audire. »
>
> AUG. *de Civ. Dei*, II, 4.

Vid. *Catull.* LVIII, *de Aty.*

BETA. — Olus vile et plebeium, foliis lentis et pendentibus; unde de pene flaccido.

> Primum igitur virgo quod fertur tradita nobis,
> Falsum est : non illam vir prior attigerat,
> Languidior tenera cui pendens sicula *beta*,
> Numquam se mediam sustulit ad tunicam.
>
> CATULL. LXII, 19 sqq.

Hoc etymo :

BETISARE. — Mentula languescere. (*Suet. in Aug.* 87.)

BETALIS. — (*Petron. Sat.*) Eodem sensu.

BIBERE. — Mentio sæpe fiebat amicarum in compotationibus. Nominum earum numeratis literis, tot cyathos hauriebant. De hoc baccheo more fuse et aperte Horatius, Od. III, XIX.

> Nævia sex calathis, septem Justina *bibatur*;
> Quinque Lycas, Lyde quatuor, Ida tribus.

[redacted]

Omnis ab infuso numeretur amica Falerno;
Et quia nulla venit, tu mihi, Somne, veni.

MART. I, LXXII, 1 sqq.

BIBERE. — Ad venerem translatum.

« *Bibe* aquam de cisterna tua, et fluenta putei tui. »

SALOM. *Proverb.* V, 15.

Id est, utere uxore tua.

« Ascyltos, jam deficiente fabularum contextu: quid ergo? inquit, non sum dignus qui *bibam?* Ancilla risu meo prodita complosit manus, et apposui quidem, inquit, adolescens: solus tantum medicamentum ebibisti? Itane est, inquit Quartilla, quidquid satyrii fuit, Eucolpius ebibit? »

PETRON. *Sat.*

Dum crebros ictus *combibente* lumine,
Trepida in decursu venere, et anima fessula,
Ejaculent tepidum rorem niveis laticibus.

APUL. Ἀνεχόμ. 18 sqq.

BIBIOTE. — Voluptates insequens: mere græcum.

« Homini non recta, sed voluptuaria quærenti, nonne *bibioti?*

CIC. *ad Attic.*

BICORS. — Fallax.

« Virgo *bicors.* »

COMMODIAN. *in Tacit.* II.

BILINGUI, BILINGUES. — Verbum nuptum; quorum mutuis basiis linguæ in promiscuum vibrant. Vid. COLUMBARE.

« .... ubi labra ad labella adjungit, Ubi alter alterum *bilingui* manifesto Inter se prehendunt, etc. »

PLAUT. *Pseud.* V, 1, 14 sqq.

BILLIS. — Semen humanum humi profusum (*Fest.*);

ab Hebræa lingua deductum. Solitariæ enim thalassiones usitatissimæ apud Judæos.

Bimaritus. — Duarum mulierum simul maritus contra leges.

« *Bimaritum* appellat, ut verba etiam fingas, non solum crimina ? »

Cic. *pro Planc.* xxx, 12.

Vid. *Hieronym. in Ruffin.* I, *in fine.*

Bini esse. — De concubitu venereo. Verbum nuptum.

« Quum loquimur terni, nihil flagitii dicimus; at quum *bini*, obscenum est. »

Cic. *Epist.* IX, xxii.

Bipinna. — Mentula minuscula; quæ tubos duarum pennarum crassitudine non superat.

Drauci Nata sui vocat *bipinnam*,
Collatus cui Gallus est Priapus.

Mart. XI, lxxiii, 1 sq.

Vid. *Turneb. Adversat.* viii, 4; ubi de codicibus quibus legitur : *pipinna.*

Bis cincta. — Virgo pertinacis pudicitiæ ; a notissimo veterum more, quo novæ nuptæ maritus zonam solvebat. Vid. Zona.

Nec cruciare animum, nec satiare volo ;
Nec *bis cincta* Diana placet, nec nuda Cythere;
Illa voluptatis nil habet, hæc nimium.

Auson. *Epigr.* xxxix, 4 sqq.

Bivira. — Iterum nupta, sed soluto primo conjugio. (*Fest.*) Secunda conjux (*Papias*). Multi-nuba quotacunque vice. (*Hieronym.*)

[redacted]

« *Biviras* quas usus viduas appellat. *Varr. Lege Menia :* Ad *biviram* venio, quum vellem ostendere quid vellem, Metamellos inconstantiæ filius me reprehendit. »

NON. MARC. *de Honestis dictis.*

BLANDIRI. — Proprie ad tactum pertinet; unde sæpe et de tractatione venerea, et quibuscunque voluptatis antecœniis. Eodem sensu Galli dicunt *caresser.*

« Remotum ab arbitris cubile conquærit; atque, etiam ipsos paranymphos, et quoscumque ingredi quælibet necessitas permiserat, ante mittit foras quam vel *blandiri* conjux conjugi incipiat. »

AUG. *de Civ. Dei*, XIV, 28.

BLAPSIGONIA. — Mere græcum, a βλάπτω, *noceo,* et γόνος, *fœtus :* partus læsio.

« Quum flavos non explent, *cleron* vocant. Idem *blapsigoniam*, si fœtum non peragant. »

PLIN. *de Morbis Apium,* II, 19.

BLATTERATUS. — Effututus, quasi *blattis* erosus.

« Quæ et si possint ab his utiliter *blatterata*, ob mercedem et auctoramenta impudentiæ deprehensa haberi. »

APUL. *in Apolog.*

BLAX. — Mollis, lascivus, delicatus. (*Fest.*)

BLITEÆ, BLITIDÆ. — Fœminæ infimæ plebis, a *blito,* olere vili et sine sapore.

« Viles, abjectas fatuasque mulieres vocabant *blitidas*. »

SUID.

« *Blitea* et lutea est meretrix, nisi quæ sapit in vino ad rem suam. »

PLAUT. *Trucul.* IV, IV, 1.

« Bipedem, *bliteam*, belluam. »

LABERIUS.

Vid. *Non. Marcell.*

Quibusdam *blitea* pro meretrice, ab ornamento quodam calceorum meretricibus usurpato. Vid. *Plaut.* · *Commentatores.*

Blitum iners videtur ac sine sapore aut acrimonia ulla; unde convicium fœminis apud Menandrum. (*Plin.* XX, 22.)

BONUS. — Pro formoso.

Verum a te metuo, tuoque pene
Infesto pueris *bonis* malisque.

CATULL. XV, 9 sq.

Id est, venustis et invenustis.

« Ut, ni vis *boni* In ipsa inesset forma, hæc formam exstinguerent. »

TERENT. *Phorm.* I, II, 58.

Vid. Iterum *Catull.* XXXVII, 9.

BONUS. — Qui uxoris suæ libidinibus aut suorum inservit. Gallice *un mari complaisant.*

Gellius est tenuis: quidni? cui tam bona mater,
Tamque valens vivat, tamque venusta soror,
Tamque *bonus* patruus, tamque omnia plena puellis
Cognatis, quare is desinat esse macer?

CATULL. LXXXIV, 1 sqq.

Subagitabat enim Gellius uxorem patrui sui: nam de eodem jam dixerat Catullus:

Quid facit is, Gelli, qui cum matre atque sorore
Prurit, et abjectis pervigilat tunicis?
Quid facit is, patruum qui non sinit esse maritum?
Ecquid scis quantum suscipiat sceleris?

CATULL. LXXXIII, 1 sqq.

Bona dea. — A veteribus modo *Fauna*, modo *Fatua* dicta. Tantæ pudicitiæ fuit, ut, dum vixit, illam nemo mas præter maritum viderit, nec nomen ejus audierit. Quapropter, matronæ romanæ sacra ejus celebrabant absque viris, noctu et in operto. Vid. *Alexandr. ab Alex.* VI, 8.

> Exibit quam sæpe time, seu visere dicat
> Sacra *bonæ* maribus non adeunda *Deæ*.
>
> Tibull. I, vi, 21 sq.

Pudica ergo fuere hæc pervigilia ab initio, et ex instituto : sed, gradatim corrupta, in fœdissima abierunt. Notissimum est quemadmodum Publius Clodius, veste psaltriæ occultatus, *bonæ Deæ* pudicitiam profanavit.

Saltabant matronæ ad tibiam, more Baccharum, tribadico furore spumantes, donec, ubique sudore madidæ, somno impuro obruerentur.

> Nota *bonæ* secreta *Deæ*, quum tibia lumbos
> Incitat, et cornu pariter vinoque feruntur
> Attonitæ, crinemque rotant, ululantque Priapi
> Mænades. O quantus tunc illis mentibus ardor
> Concubitus! quæ vox saltante libidine! quantus
> Ille meri veteris per crura madentia torrens!
> Lenonum ancillas posita Laufella corona
> Provocat, et tollit pendentis præmia coxæ :
> Ipsa Medullinæ frictum crissantis adorat.
> Palmam inter dominas virtus natalibus æquat.
>
> Juv. VI, 314 sqq.

Bona fœmina. — Pro casta et verecunda.

> Vos unis senibus *bonæ*,
> Cognitæ bene fœminæ,
> Collocate puellulam.
>
> Catull. LVI, 186 sqq.

Bona mulier. — Mœchis lubens et commoda; de venere numquam recusans.

> Gellius est tenuis : quidni? cui tam *bona* mater,
> Tamque valens vivat, tamque venusta soror, etc.
>
> Catull. LXXXIV, 1 sq.

Gellius enim ille matrem et sororem contaminaverat, ut patet eodem Catullo, LXXXIII, 1 sqq.

Bona venus. — Amor conjugalis.

> Ut lubentius audiens
> Se citarier ad suum
> Munus, huc aditum ferat
> Dux *bonæ Veneris, boni*
> Conjugator *amoris*.
>
> Catull. LVI, 41 sqq.

Bona. — Absolute. Verbum nuptum.

« O, inquit, o Enothea, hunc adolescentem quem vides, malo astro natus est : nam neque puero, neque puellæ *bona* sua vendere potest. Numquam tu hominem tam infelicem vidisti : lorum in aqua, non inguina habet. »

Petron. *Sat.*

« Ut ego hodie Casinam deosculabor! ut mihi *Bona* multa faciam, clam meam uxorem! »

Plaut. *Casin.* II, VIII, 31 sq.

Brutarum amor. — Antiquissima fœditas, cujus duplex genus.

1° Virorum in fœminas bestias.

Ab hominibus bestias concipi posse profitebatur antiquitas, ut patet ex *Plutarch.* in *Parallelis minoribus:*

« Ariston Ephesius, mulieres perosus, cum asina rem habuit; ex quo concubitu genita est puella, quam *Onoscelin* nominavit, ab asininis crinibus. »

Et iterum :

« Fulvius Stellus ex equa filiam formosissimam habuit, cui nomen *Epona* impositum fuit. »

Vid. *Jacob. Ruff. de mulieribus*, V, III.

Omnibus notissimum est pastores siculos capras suas inire; quod patet, et oh pudor! illustratur monumentis Musæi Herculani. Inde capræ pro meretricibus.

2° Mulierum cum brutis coitio.

Ab antiquissimis temporibus, fuere fœminæ quæ, ad grandioris penis beneficium, se jumentis subjecerunt.

« Mulier, quæ succubuerit cuilibet jumento, simul interficietur cum eo. »

Lib. Levitici, XX, 16.

Cum hircis concubabant interdum mulieres ægyptiæ (*Herodot*. IV, X); et, teste Plinio, pharetrata illa Semiramis equo prostabat.

Erant etiam inter Romanas quæ, more Pasiphaæ, *se juvencas faciebant*. (*Pasiphaæ fabul. ex metr. Horat. vers.* 18.)

........hic si
Quæritur, et desunt homines, mora nulla per ipsam,
Quo minus imposito clunem submittat asello.

Juv. VI, 332 sqq.

Et in theatro effingebatur hæc summa impudicitia, fere nullo pudente.

« Inter Pyrrhicarum argumenta, taurus Pasiphaen ligneo juvencæ simulacro abditam iniit, ut multi spectantium crediderunt. »

Suet. *in Neron.* XI.

Bubinare. — (*Fest.*, *Lucil.*) Menstruo mulierum polluere. Vid. *Pollux*, IV, 24; et XII, 4.

Hæc te *imbubinat*, et contra te imbulbitat ille.
- Lucil. *Frag. ex incert. lib.* 36.

A βούβων, *inguen*.

Bubis.—Apud Isidorum pro barba; sed male: jam sub Nerone, et ab Armeniis, B. pro P. aliquando scribebatur. *Bubis* ergo, ni fallor, pro *pube*.

Bubonium. Βουβώνιον. — Genus herbæ quæ inguinibus auxiliatur.

« Aster ab aliquibus *bubonium* appellatur, quoniam inguinibus præsentaneum remedium est. »
Plin. XXV, 5.

Bucca. — Plebeculæ vocabulum, pro ore; scriptoribus vero fere semper in obscenis. Sic:

Bucca. — Pro mulierum pudendis.

Sed nec pædico es, nec tu, Sextille, fututor;
Calda Vetustillæ nec tibi *bucca* placet.
Ex istis nihil es, fateor, Sextille; quid ergo es?
Nescio; sed tu scis res superesse duas.
Mart. II, xxviii, 3 sqq.

Bucca pura. — De pueris et puellulis nondum fœdatis.

Cœpisti *puras* opibus corrumpere *buccas*.
Sic quoque non vivit sollicitata Venus.
Mart. III, lxxv, 5 sq.

Buccam offendere. — Irrumare.

« Mittit veretrum in frumen, *offendit*que *buccam* Tolumnio. »
Varr.

Vid. Fellare.

[redacted]

Bulbi. — Inter aphrodisiaca ; apponebantur sponsis cum pipere et nucleis pineis. (*Varr. et Apicius.*)

> Quum sit anus conjux, et sint tibi mortua membra,
> Nil aliud *bulbis* quam satur esse potes.
> Mart. XIII, xxxi, 1 sq.

Bulga. — Proprie folliculus ; primum pro vulva.

> « Ita ut quisque nostrum e *bulga* matris in lucem editus. »
> Lucil. *Frag.* xxvi, 36.

Vid. Vulga et Vulva.

Bustuariæ. — Scorta vilissima, quæ stabant inter *busta* et monumenta.

> Abscondunt spurcas hæc monumenta lupas.
> Mart. I, xxxv, 8.

> Quum te lucerna balneator exstincta
> Admittat inter *bustuarias* mœchas.
> Id. III, xciii, 14 sq.

CADU

Cadere. — Verbum nuptum, de stuprum patiente.

> « Ne sis plora, libera eris actutum, si crebro *cades.* »
> Plaut. *Pers.* IV, iv, 104.

> Gratum est securus multum quod jam mihi de me
> Permittis, subito ne male inepta *cadam.*
> Tibull. IV, x, 1 sq.

Caduceus. — Baculus Mercurii, ex Ægyptia disciplina symbolum generationis. *Caduceum* enim Mercurio dant Ægyptii in speciem duorum draconum, maris et fœminæ, qui, parte media connexi, sinuoso flexu virgam

ambiunt. Inde, Romæ, dies nuptiarum consecrabatur Mercurio,

Cyllenes cœlique decus, facunde minister,
Aurea cui torto virga dracone viret;
....
Hunc semper Norbana diem cum conjuge Caro
Læta colat, primis quo coiere toris.
MART. VII, LXXIV, 1 sqq.

CADURCUM. — Proprie culcita, lodix, stragulum lecti; inde ad rem veneream translatum. Vid. *Isidor.* et *vet. schol.* ad *Juv.* VI, qui *cadurcum* accipit pro mulierum pudendis, quorum est velamen in lecto.

Ille petit veniam, quoties non abstinet uxor
Concubitu sacris observandisque diebus;
Magnaque debetur violato pœna *caduroo.*
JUV. VI, 535 sqq.

CÆDERE. — Pædicare.

« *Cædundus* tu homo es; nimias delicias facis. »
PLAUT. *Casin.* III, 1, 14.

Deprendi modo pupulum puellæ
Trusantem : hunc ego, si placet Dionæ,
Pro telo rigida mea *cecidi.*
CATULL. LII, 5 sqq.

Ipsi cernitis exfututus ut sim,
Confectusque, macerque, pallidusque,
Qui quondam ruber et valens solebam
Fures *cædere* quamlibet valentes.
Priap. Carm. XXV, 7 sqq.

CÆLEBS VITA. — Gallice *le célibat.*

.....pœnæque graves in *cælibe vita,*
Et gravior cautis custodia vana maritis.
AUSON. *Eidyll.* XV, 6 sq.

CALAMISTRATUS. — Mollis, effœminatus; a *calamistro,*

[redacted]

quo juvenes et mulieres capillos crispabant. Eodem sensu *ciniflones* apud *Horat. Sat.* I, II, 98.

« Quisnam istuc accredat tibi, cinæde *calamistrate* !
PLAUT. *Asin.* III, III, 37.

CALENDÆ. — *Calendas* omnes Junoni tributas docet Macrob. *Saturn.* I, 9. Hinc Juno *calendaris* dicta. Sed Martiis *calendis*, Junoni præcipue sacrificabant matronæ, ut novus annus ab exordio faustus esset et in partu et in amore conjugali. Munera sibi invicem missitare solebant. Hinc Juvenalis :

Munera fœminis tractes secreta *calendis*.
JUV. IX, 53.

« Verum priusquam galli cantent, quæ me somno suscitat,
Dicat : da mihi, vir, *calendis* meam quod matrem juverit. »
PLAUT. *Mil.* III, I, 96 sq.

CALLIPYGOS. — Cognomen Veneris, sic dictæ a pulchris clunibus. Duæ enim puellæ, de natium præstantia contendentes, pacto convento, quemdam adolescentulum judicem constituerunt. At ille, utraque puella diligenter inspecta, natu majori palmam indixit, eamque conjugio sibi copulavit. Quo facto, et in memoriam hujus clunium dimicationis, Syracusani Veneri *Callipygæ* templum ædificarunt. (*Palæph.* lib. II, 12.)

CALLISTRATE. — Poetria lesbia, obscenis versibus notata. Vid. *Xenoph.* et *Athen.* V.

CALVITIUM. — In opprobrium, tanquam signum vitæ in libidinibus peractæ.

[redacted]

« Urbani, servate uxores; mœchum *calvum* adducimus. »
SUETON. *in Jul. Cæs.* 51.

CALVUS. — Orator Ciceronis coævus et æmulus, cum quo de elocutionis principatu diu litigavit. Carmina scripsit spurcissima, sed acuti ingenii. *Exiguus* dictus ab Ovidio, ob staturam minimam.

Par fuit exigui similisque licencia *Calvi*,
Detexit variis qui sua furta modis.
OVID. *Trist.* II, 431 sq.

CAMPANUS MORBUS. — Spurcissima lues, ex fellatoria exercitatione nata, a Capua civitate, in qua frequens et quasi peculiare stuprum oris. Vid. *Advers. Turneb.* 19, et *Miscell. Brod.* 24. Capua enim, ut nemo nescit, totius erat Campaniæ caput; a Cicerone notatur tanquam *domicilium superbiæ, luxuriæ* et *infamiæ*. Vid. *Orat. de lege agraria contra Rullum*, et item *Orat. post reditum in senatu.*

... At illi fœda cicatrix
Setosam lævi frontem turpaverat oris.
Campanum in *morbum*, in faciem permulta jocatus,
Pastorem saltaret uti Cyclopa, rogabat.
HOR. *Sat.* I, v, 60 sqq.

Hinc :

CAMPANI. — Pro pathicis et omnimodo libidinosis.

« Credo ego istuc, Stasime ita esse : sed *Campas genus* multo Syrorum jam antidit patientia. »
PLAUT. *Trinum.* II, IV, 144.

CANATHUS. — Fons juxta Naupliam, nunc *Napoli de Romanie*, quo Juno quotannis lavabatur, virginitatis

recuperandæ causa; quod credentes mulieres argivæ sæpissime factitabant. Vide *Paus. in Corinth*. Aspera erat aqua *Canathi* et astrictoria.

CANIS. — Sæpe pro impudicitia.

« Non offeres mercedem prostibuli, nec pretium *canis* in domo Domini Dei tui, etc. »

Deut. XXIII, 18.

« Inter quadrupedes *canis* voluptas.

JACOB. MYCILL. *Carm. Sylv.* IV.

« Complura masculi *canis* cubilia. »

Proverbium de homine mulieroso, *ex Erasm. Prov.* II, x, 18.

CANOPUS. — Urbs ægyptia, libidinibus famosissima: hic lascivia ex more, et tanquam civile officium. *Canopi* erat Serapidis templum, cujuscumque impudicitiæ domicilium: ad fanum ejus navigabatur per fossam, carinis pictis et ornatis, nocte dieque, plenis virorum et mulierum simul commiscentium. Vid. *Strab.* XVII.

Nupta senatori, comitata est Hippia ludum
Ad Pharon et Nilum, famosaque mœnia Lagi,
Prodigia et mores urbis damnante *Canopo*.

JUV. V, 82 sqq.

.... Horrida sane
Ægyptus: sed luxuria, quantum ipse notavi,
Barbara famoso non cedit turba *Canopo*.

ID. XV, 44 sqq.

Vid. *Stat. Sylv.* III. Distabat *Canopus* ab Alexandria centum et viginti stadiis; stadium Alexandrinum pollebat *soixante-seize toises*.

CANTATIONES CINÆDICÆ. — Cantilenæ libidinosæ, verbis lumbos titillantibus. Gallice *Chansons libres*.

« . . . . . proinde, ut consuetus antehac, celeriter Lepidam et suavem *cantationem* aliquam occipito *cinædicam*, Ubi perpruriscamus usque ex unguiculis : inde huc aquam !

PLAUT. *Stich.* V, v, 18 sqq.

CANTERIUS. — Equus castratus. (*Varr. de Re Rustic.* 2.) Vid. *Cæl. Rhod. Lect. ant.* VIII, 4.

CAPER. — Inter insignia libidinum. Stratonicus poculis suis satyros cælare jussit, dormientes pene erecto.

Criminibus debent hortos, prætoria, mensas,
Argentum vetus, et *stantem extra pocula caprum*.

JUV. I, 75 sqq.

Stat *caper* Æolio Thebani vellere Phryxi
Cultus ; ab hoc mallet vecta fuisse soror.

MART. VIII, LI, 9 sq.

CAPRA. — Pro scorto sordido et vilissimo.

Gestari junctis nisi desinis, Ædile, *capris*,
Qui modo ficus eras, jam caprificus eris.

MART. IV, LII, 1 sq.

« Germana illuvies, rusticus, hircus, hara suis, Canis *capræ* commista.

PLAUT. *Mostell.* I, 1, 39 sq.

CAPRARIUS. — In adagium, de viro insatiatæ libidinis. Vid. *Suidas* et *Erasm. Prov.* II, VII, 95.

CAPILLATI. — Impuberes. Pueri enim, non meritorii tantum, sed et ingenui atque honeste habiti, comam gestabant per cervicem et humeros demissam, more puellarum. Sic Virgilius de Ascanio puero :

..... Fusos cervix cui lactea crines
Excipit, et molli subnectit circulus auro.
Æneid. X, 137 sq.

Sed mox viri facti, juvenes statim tondebantur.

Insperata tuæ quum veniet pluma superbiæ,
Et, quæ nunc humeris involitant, deciderint comæ.
Hor. *Od.* IV, x, 2 sq.

Et etiam meritorii, tanquam a puerili officio dimissi.

Ille metit barbam, crinem hic deponit amati;
Plena domus libis venalibus.
Juv. III, 186 sq.

Flammea texuntur sponsæ, jam virgo paratur:
Tondebit pueros jam nova nupta tuos.
Mart. XI, lxxix, 3 sq.

Delicati vero et molles, majore cura, diutius comam nutriebant, solliciti semper, ait Plinius, ut virilitatem effugerent. Inde:

Capillati. — Pro catamitis et impudicis.

« Haud inscitum exstat adagium : nullus *comatus* qui non idem cinædus. »

Ambros. *lib.* VI, *Hexaemer.*

Et pædagogo non jubente, lascivi
Parere gaudent villico *capillati.*
Mart. III, lviii, 30 sq.

Capilli. — Pro pilis obscenis.

Num tandem prior est puella, quæso,
Quam sunt, mentula quos habet *capilli?*
Priap. Carm. XLV, 6 sq.

Caprotina. — Cognomen Junonis, cujus sacra, sub eadem appellatione, Nonis Juliis agebantur, in memoriam

ancillarum, quæ propriis verendis pudicitiam matronarum et Romam ipsam tutatæ sunt.

Post urbem a Gallis captam, sedato tumultu, sed exhausta republica, finitimi Romanorum, fæciali missso, ad senatum postularunt ut, si vellet reliquias urbis suæ incolumes habere, statim matresfamilias virginesque dederentur.

Qua de re quum anceps esset deliberatio, ecce ancilla quædam, nomine Philoris, secum adductis cæteris omnibus ancillis, ad hostes transiit, assumpto habitu matronarum et ingenuarum virginum.

Quum ad castra pervenissent, militibusque distributæ essent, vino quæque suum provocavit, et *caprifico* signo dato, manu sua trucidavit.

Tanti beneficii grati patres et mariti omnes ancillas manumiserunt; et ex senatusconsulto, eodem die sacra annua instituta fuere sub *caprifico*, adhibito lacte in rei memoriam. Vid. *Macrob.* I, 11.

> Festa *caprotinis* memorabo celebria nonis,
> Quum stola matronis dempta teget famulas.
> Quatuor illa etiam discretis partibus anni
> Solstitia, et luces nocte dieque pares.
>
> AUSON. *de Feriis Rom.* 8 sqq.

CAPULUS. — Pro testiculis virorum, colei.

« Dum gladium ne habeat quæro, arripio *capulum*. »

PLAUT. *Casin.* V, II, 30.

> Intra viscera furis ibit usque
> Ad pubem, *capulumque* coleorum.
>
> *Priap. Carm.* XXIV, 6 sq.

Colei enim sunt mentulæ, quod *capulus* gladio.

Caput. — Pro pene. Vid. *Douz. Præcidan. in Tibull.* I, xvii.

> Si natibus natricem impressit crassam et *capitatam*.
>
> Lucil. *Frag.* III, 9.

> Venus fuit quieta, nec viriliter
> Iners senile penis aperit *caput*.
>
> *Priap. Carm.* LXXXIV, 4 sq.

Inde :

Caput aperire. — Arrigere. Nam, jacente mentula, caput ejus præputio inclusum est.

« Namque illa (mentula) metu frigidior rigente bruma, confugerat in viscera, mille operta rugis ; ita non potui supplicio *caput aperire*. »

Petron. *Sat.*

Caput. — Pro ore, sensu flagitioso.

« De istis loquor, quorum teterrima libido et execrabilis furor ne *capiti* quidem parcit. »

Lactant. *Divin. institut.* 6.

> . . . auratam Junoni cæde juvencam,
> Si tibi contigerit *capitis* matrona pudici.
>
> Juv. VI, 48 sq.

Sic :

Caput demittere. — De patiente in irrumatione.

« Quære hoc, inquit, e Sex. Clodio, scriptore legum tuarum ; jube adesse ; latitat omnino ; sed, si requiri jusseris, invenient hominem apud sororem tuam, occultantem se *capite demisso*. »

Cic. *Pro domo*, XXXI, 83.

> Nam nihil est quicquam sceleris quo prodeat ultra,
> Non si *demisso* se ipse voret *capite*.
>
> Catull. LXXXIII, 7 sq.

Caput præbere. — Scilicet irrumandum.

> Fœmina, si furtum faciat mihi, virque puerque,
> Hæc cunnum, *caput* hic, *præbeat* ille nates.
>
> *Priap. Carm.* XXI, 1 sq.

Caput habere positum cum aliquo. — Concubare.

> Pulsabant alii frustra, dominamque vocabant;
> *Mecum habuit positum* lenta puella *caput.*
>
> Propert. II, xv, 21 sq.

Caput limare. — Vid. Limare.

Capiti illudere. — Irrumare.

« Fœminarum quoque, et quidem illustrium, *capitibus* quantopere solitus sit *illudere*, evidentissime apparuit Malloniæ cujusdam exitu : quam perductam, nec quidquam amplius pati constantissime recusantem, delatoribus objecit; ac ne ream quidem interpellare desiit ecquid pœniteret, donec ea, relicto judicio, domum se arripuit, ferroque transegit, obscœnitate oris hirsuto atque olido seni clare exprobata. »

Suet. *in Tiber.* 45.

Capitalis luxus. — Irrumatio.

> Et quam Nolanis *capitalis luxus* inussit.
>
> *Epigr.* LXX, 5.

Oris enim immundi habita erat Nola, urbs Campaniæ. Vid. Campanus morbus.

Carbatinus. — Verbum Catullianum, de muliere in venerem ardente; a *carba*, vento africo natura sua admodum æstuoso.

> Ista cum lingua, si usus veniat tibi, possis
> Culos et crepidas lingere *carbatinas.*
>
> Catull. XCIII, 3 sq.

Carmenta. — Dea prægnantium, cui duæ statuæ; altera *prorsa*, ad partum rectum rogata : vid. **Prorsa**. Altera vero *postversa*, ad malum et periculosum avertendum. Vid. **Postversa**.

Carmentæ sacra singulis annis celebrabantur a matribus familias, xviii kalend. feb. In piaculum deæ afferebatur frustulum corii agni aut vituli morte sua perempti. Vid. *Ovid. Fast.* I, et *Alex.* XVI, 8.

Carmina obscena.—Usitatissima in theatro. Vid. **Atellanæ**. Et in comessationibus. Vid. **Comessationes**.

> ....liquido quum plasmate guttur
> Mobile colluerit, patranti fractus ocello,
> Hic neque more probo videas, neque voce serena
> Ingentes trepidare Titos, quum *carmina* lumbum
> Intrant, et tremulo scalpuntur ubi intima versu.
>
> Pers. *Sat.* I, 17 sqq.

Casalides, Casorides, Casoritæ. — Meretriculæ; vel a *casa*, vocabulo latino, vel a *χάσσα*, *χασσαύρα*, *κασωρὶς*, *meretrix*. Inde :

Casaurium. — Pro lupanare.

> « *Casarium* etiam, sive *casalrium*, pro impudicarum loco inveniunt qui Athenis fuerat in Ceramico. »
>
> Cæl. Rhod. *Lect. antiq.* XIII, 8.

Simili relatione, factum est verbum gallicum **Bordel** a *bordello* infimæ latinitatis, pro ædiculo.

Casta. — Pro vetula, quum veneri non det operam; quæ res a vetulis puellas distinguit.

> Dicebam tibi, Galla, senescimus, effugit ætas;
> Utere vere tuo; *casta* puella, *anus* est.
>
> Auson. *Epigr.* XIII, 1 sq.

[redacted]

Castaneæ. — Inter munuscula amatoria.

> Aurea mala mihi, dulcis mea Martia, mittis,
> Mittis et hirsutæ munera *castaneæ*.
>
> Petron. *Epigr.* I, 1 sq.

Casta Venus. — Coitus legitimus; videlicet in matrimonio.

> Præstatur cano tanta indulgentia cunno,
> Quem nec *casta* potest jam decuisse *Venus*.
>
> Mart. II, XXXIV, 3 sq.

Castitas. — Quæ mulier casta? Sic respondet Ovidius:

> Si qua, metu demto, *casta* est, ea denique *casta* est:
> Quæ, quia non liceat, non facit, illa facit.
>
> Ovid. *Amor.* III, iv, 3 sq.

> Ludunt formosæ: *casta* est quam nemo rogavit;
> Aut, si rusticitas non vetat, ipsa rogat.
>
> Id. *Amor.* I, viii, 43 sq.

> *Casta* pudicitiam servat domus.....
>
> Virg. *Georg.* *Æn.* II, 524.

Certe tamen sub hoc titulo non omittenda regina Palmyrenorum Zenobia, quæ dicitur ea fuisse castitate, ut cum viro suo ne congrederetur, nisi prolis gratia.

Castrare. — Vide Eunuchus. *Castrabantur* vernulæ a mangonibus promercii causa. *Lib.* 4, *ff. de Sicariis; Senec. Controv.* X, 4.

> Persarum ritu, male pubescentibus annis,
> Subripuere viros; exsectaque viscera ferro
> In venerem fregere: atque ut fuga mobilis ævi
> Circumscripta mora properantes differat annos;
> Quærit se natura, nec invenit.....
>
> Petron. *Sat.*

Puerorum *castrationem* vetuit Domitianus.

« Juvat veterem laudare Domitianum, qui, ... receptissima inclaruit lege, qua minaciter interdixerat, ne intra terminos jurisdictionis romanæ *castraret* quisquam puerum. »

AMMIAN. MARCELL. lib. XVIII.

Hoc edictum Nerva confirmavit. Vid. *Suet. in Domit.* 7, et *Xiphilin. in Nerva.*

Medicis ipsis non licebat quemque *castrare*, nisi prætore permittente. Vid. *Herald. in Mart.* V, L.

De *castratione* fœminarum, vid. EUNUCHUS; et de *castratione* mœchorum in vindictam adulterii, vid. ADULTER.

« ... Illum hircum *castrari* volo. ...... Quasi hircum, metuo ne uxor me *castret* mea. »

PLAUT. *Merc.* II, II, I et 4.

CATADACTYLICUS. — Puerarius, pædico. A κατὰ et δακτύλιος, *annulus*; nam frequentissime Græci *annulum* pro sedis ostiolo dictitabant. *Cæl. Rhod. Lect. antiq.* XV, II. Eodem sensu Massilienses nunc dicunt *dati.*

CATAMITUS. — Puer et etiam vir qui muliebria patitur: mere latinum. (*Arnob.*, *Fest.*, *Lubin.*)

« Ubi aquila *Catamitum* raperet, aut ubi Venus Adoneum. »

PLAUT. *Menæchm.* I, II, 35.

Verum aut Persephonæ Cynireius ibis Adonis,
Aut Jovis Elysii tu *Catamitus* eris.

AUSON. *Epitaph.* XXXIII.

Catamitum posuit Cicero pro impudico aut effœminato, *Philipp.* II, quo intellexit Antonium.

CATAPYGON. — Mere græcum. Scortillum. (*Cæl. Rhod.*

IV, 8.) Nates enim Græci *pygæ* vocabulo significant, ut supra diximus verbo CALLIPYGOS.

CATELLUS, CATELLA. — In blanditiis amasiorum.

« Dic igitur me anaticulam, columbam vel *catellum*. »

PLAUT. *Asin.* III, III, 123.

A mulierculärum *catellis*, qui tunc temporis, ut et nunc, in deliciis fœminarum. Constat enim pluribus marmorum inscriptionibus, fuisse ancillas et libertinas, A. CVRA. CATELLÆ.

« Delicatum te hodie faciam, cum *catello* ut accubes; Ferreo ego dico. »

PLAUT. *Curcul.* V, III, 13 sq.

Nota refert meretricis acumina, sæpe *catellam*,
Sæpe periscelidem raptam sibi flentis.....

HOR. *Epist.* I, XVII, 55 sq.

CATHEDRÆ. — Sunt proprie sellæ muliebres : dissimile enim erat sedile virorum. Inde apud satyricos pro fœminis ipsis.

....famam contempserat olim
Cujus apud molles minima est jactura *cathedras*.

JUV. VI, 90 sq.

Eodem etymo :

CATHEDRALITII. — Molles, effœminati, fœminei (vid. BELLUS), qui more fœminarum, et inter fœminas, diem totum degunt. Gallice *une femmelette*.

Quum *cathedralitios* portet tibi rheda ministros.

MART. X, XIII, 1.

Bellus homo est ....
....
....

Inter fœmineas tota qui luce *cathedras*
Desidet, atque aliqua semper in aure sonat.
MART. III, LXIII, 37 sq.

CATILLARE. — Sensu proprio, per alienas domos ligurire, gyrare. (*Fulgent. de Prisc. Serm.*) Metonymice vero de illis qui aut quæ foris venerem quærunt.

« Quæ otiosæ et curiosæ domos circumeunt ; nulla illis nisi ventris cura , et *quæ ventris sunt proxima :* istiusmodi scortari solent et dicere : Mi catelle , rebus tuis utere, et vive dum vivis. »

HIERONYM. *epist ad Eustoch. de evitandis mulieribus.*

« .....operam uxoris polliceor foras, Quasi *catillatum :* flagitium hominis , qui dixit mihi Suam uxorem hanc arcessituram esse. »

PLAUT. *Casin.* III, II, 21 sqq.

CATULIRE, CATULLIRE. — Libidinari. Tractum a canibus quum in venerem pruriunt.

« Scinde unam exoleto impatienti *catullientem* lupam. »

LABER. *apud Non. Marc.*

Inde :

CATULITIO.

« *Catulitionem* vocant rustici, gestante natura semina accipere. »

PLIN. XVI, 125.

CAUDA. — Pro pene; vulgatissimum.

....quin etiam illud
Accidit, ut cuidam testes *caudamque* salacem
Demeteret ferrum.
HOR. *Sat.* I, II, 44 sqq.

......acris ubi me
Natura incendit, sub clara nuda lacerna

> Quæcumque excepit turgentis verbera *caudæ*,
> Clunibus aut agitavit equum lasciva supinum, etc.
>
> HOR. *Sat.* II, VII, 47 sqq.

CAULIS. — Mentula.

> Testam sumit homo Samiam, sibique illico telo
> Præcidit *caulem*, testesque una amputat ambo.
>
> LUCIL. *Fragm.* VII, 1 sq.

CAUPONÆ. — Sæpe pro lupanaribus, et CAUPONARIÆ, pro scortis et quæstuariis. Vid. *Chrysost. Serm. de pœnit.* 2; et *Dietric. Antiq. bibl.*

CAVERNA. — Obscenissimum; de utraque fossa.

> Deglubit, fellat, molitur per utramque *cavernam*.
>
> AUSON. *Epigr.* LXX, 7.

CAVUM. — Corporis quicumque sinus, libidinum capax; ut os, podex, vulva, axillæ, manus in vaginam complicata, etc.

> « Quis enim ferre possit principem per cuncta *cava* corporis libidinem recipientem? »
>
> LAMPRID. *in Heliogabal.*

Vide eumdem *in Commod.*

CELOX. — Navis oneraria ad usum frumentariorum, sic dicta tanquam celer. Sæpe in obscenis et pro concha muliebri. Vid. NAVIS.

> « Obsecro hercle operam *celocem* hanc mihi, ne corbitam date. »
>
> PLAUT. *Pœnul.* III, 1, 40.

Id est, mulierem clune agili; corbita enim navis tardissima.

CENSORIUS. — Vir præstans forma et corporis dignitate;

relatio sumpta a muneribus publicis. Sic Galli dicunt : *Il a un port de roi*. Vid. *Salm. ad Jul. Capit. de Antonio philosopho.*

CENTO. — Velum ostiarium, pannorum frustis confectum, ad usum ganearum et lupanarium.

« *Centonem* anus urbana rejicit. »

PETRON. *Sat.*

Sed nigrum flavo crinem abscondente galero,
Intravit calidum veteri *centone* lupanar,
Et cellam vacuam atque suam.

JUV. VI, 120 sqq.

Culcitulæ accedunt privæ *centonibu'* binis.

LUCIL. *Frag.* XXX, 48.

CENTO. — Carminis genus, ex variis jam editorum carminum segmentis confarcinatum. Vid. *Tertullian. de Præscript. adver. hæretic.* ubi de *centonibus* ex Homero. *Centonem* nuptialem scripsit Ausonius ex Virgilio. Eodem modo, concinnata sunt Luciliani a Joanne Douza Nordovice selecta ex locis spurcioribus. Vide CONCILIATRIX.

CERÆ PUSILLÆ. — Literulæ amatoriæ. Gallice *billets doux*.

..... Conscia matri
Virgo fuit; *ceras* nunc hac dictante *pusillas*
Implet, et ad mœchum dat eisdem ferre cinædis.

JUV. XIV, 28 sqq.

CERERIS SACRA. — Noctu celebrabantur primum pudica, et castis tantum fœminis propria.

Paucæ adeo *Cereris* vittas contingere dignæ,
Quarum non timeat pater oscula.... .

JUV. VI, 50 sq.

Postea stupris et adulteriis fœdata.

« Et hic qui poscet eam sibi uxorem senex, Is adolescentis illius est avunculus, Qui illam stupravit noctu, *Cereris vigiliis.* »

PLAUT. *Aulul. Prolog.* 34 sqq.

Nuper enim, ut repeto, fanum Isidis, et Ganymedem
Pacis, et advectæ secreta palatia Matris,
Et *Cererem*, (nam quo non prostat fœmina templo?)
Notior Aufidio mœchus scelerare solebas, etc.

JUV. IX, 22 sqq.

CESTUS. — Balteum Veneris, cujus percussio ad castos amores revocabat. Apud *Homer. Iliad.* XIX, petit Juno a Venere *ceston* suum, ad coercenda Jovis adulteria.

Ut Martis revocetur amor, summique Tonantis,
A te Juno petat *ceston*, et ipsa Venus.

MART. VI, XIII, 7 sq.

Collo necte, puer, meros amores,
Ceston de Veneris sinu calentem.

MART. XIV, CCIV, 1 sq.

CEVERE. — Proprie de palponibus, ex more canum qui, quum blandiuntur, clunes movent et caudam.

....Doctas posuisse figuras
Laudatur: bellum hoc; hoc bellum? an, Romule, *ceves?*

PERS. I, 87 sq.

Translatum vero ad utramque venerem, sed de viris tantum, quum *crissare* sit mulierum.

..... Sed pejores qui talia verbis
Herculis invadunt, et de virtute locuti
Clunem agitant. Ego te *ceventem*, Sexte, verebor...

JUV. II, 19 sqq.

Et idem de avaro:

Quod tamen ulterius monstrum quam mollis avarus?

Hæc tribui, deinde illa dedi, mox plura tulisti.
Computat ac *cevet.*

JUV. IX, 38 sqq.

Sed pædicaris, sed pulchre, Nævole, *ceves.*

MART. III, XCV, 13.

Hinc *cevetes* vocantur molles et effœminati. Vid. *in Petron. Satyricon animadversiones, Lut. Paris. apud Stephan. Vallet,* 1601, p. 401.

CHALCIDICA UXOR. — Quæ plurimos pueros peperit : fuit enim mulier quædam hujus cognominis, quæ centum pueros enixa est; inde proverbium : *tanquam Chalcidica nobis peperit uxor.* Vid. *Proverb. Erasm.* II, X, 66.

CHALCIDISSARE, Χαλκιδίζειν. — Pædicare. A *Chalcidensibus,* quos notat Hesychius male audire ob puerorum amores. Vid. *Erasm. Adag.* III, II, 40.

CHARYBDES. — Meretrices; a celeberrimo Italiæ barathro, et tanquam corpus et opes simul vorantes. (Vid. *Sidon. Apollin.* IX, 6, 7.)

CHARITES. — Veneris comites notissimæ. Quare tres, quare manibus implexis, quare nudæ aut pellucida veste; quare solutis zonis quamvis virgines; quare tandem Veneri datæ comites, plene et plane Annæus Seneca, *lib.* I *de Benef.* Vid. verbum GRATIÆ.

Tres fuerunt *Charites;* sed dum mea Lesbia vixit,
Quatuor. Ut periit, tres numerantur item.

AUSON. *Epigr.* CXXI, 1 sq.

CHORAGIUM. — Apparatus nuptiarum. Græce enim χοραγὸς choreæ princeps et qui expensam suppeditat.

« Ipse ornamenta a *chorago* hæc sumpsit suo periculo. »

PLAUT *Trinumm.* IV, II, 16.

« Jam feralium nuptiarum miserrimæ virginis *choragium* struitur. »

APUL. *Met.*

Quum primum istorum conduxit mensa *choragum*,
Sexque deos vidit Mallia, sexque deas.

SUET. *in Aug.* 70.

CICER. — Veneri sacratum : pervigiliis ejus et ex ritu religioso, mensæ ministrabantur *cicera*, aqua cocta cum sale. Vid. *Plin.* XVIII, 12. Manet hic usus apud Gallo-provinciales, die dominica Palmarum.

CINÆDI. — Proprie saltatores et pantomimi : ἀπὸ τοῦ κινεῖν τὸ σῶμα.

Stulte saltatum te intervenisse *cinædos.*

LUCIL. *Frag.* II, 10.

Vid. *Non. Marc.*

Deinde pro pathicis et pædiconibus.

« Viden' ut *cinædus* orbem digito temperet? »

SUET. *in Aug.* 68.

......Castigas turpia, quum sis
Inter Socraticos notissima fossa *cinædos.*

JUV. II, 9 sq.

Huc huc convenite nunc, *spatalocinædi.*
Pede tendite, cursum addite, convolate planta,
Femore facili, clune agili, et manu procaces,
Molles, veteres, Deliaci manu recisi.

PETRON. *Sat.*

Vid. *Martial.* passim.

CINÆDICA FRONS. — Impudica, impudens.

Quartus *cinæda fronte*, candido vultu,
Ex concubino natus est tibi Lygdo.

MART. VI, XXXIX, 12 sq.

CINCTUS. — Castus. Vide BISCINCTUS. Et contra, *in-*

[redacted]

cestus pro non casto. Sic apud Tacitum, *incestæ nuptiæ;* et apud Ciceronem, *os incestum* pro ore impuro et fellante. Græci quoque χυσιζώδους vocant puellas venerem expertas.

CINNA (Helvius.) — Musas coluit impudicas.

> *Cinna* quoque his comes est, *Cinna*que procacior Anser.
>
> OVID. *Trist.* II, 435.

CINXIA. — Cognomen Junonis in nuptiis; a *cingulo* nuptæ, id est zona virginali, quam prima nocte maritus solvebat.

> « Cingulo nova nupta præcingebatur, quod vir in lecto solvebat, factum ex lana ovis, sicut illa in glomos sublata conjuncta inter se sit, sic vir suus secum cinctus vinctusque esset. Hoc Herculano nodo vinctum vir solvit ominis gratia, ut sit ille felix in suscipiendis liberis, sicut Hercules qui LXX liberos reliquit. »

Et paulo infra:

> « *Cinxiæ* autem Junonis numen sanctum habebatur in nuptiis, quod initio conjugii solutio erat cinguli, quo nova nupta erat cincta. »
>
> FESTUS.

CIRCULATRIX. — Vaga meretrix, opposite scortis quæ domi quæstum faciunt.

> Ecquando Telethusa *circulatrix*,
> Quæ clunem tunica tegente nulla
> Extis aptius, altiusque motat,
> Crissabit tibi fluctuante lumbo?
>
> *Priap. Carm.* XVIII, 1 sqq.

CIRCUMCISIO VIRORUM. — Præputii incisio ab antiquo,

et ob munditiam Judæis divinitus præscripta, subsolanis populis admodum saluberrima.

Dum flamma sine, thura liquescere limine sacro
Persuadere cupit: credat Judæus *Apella*,
Non ego.

Hor. *Sat.* I, v, 99 sqq.

Labra moves tacitus, recutitaque sabbata palles.

Pers. V, 184.

Circumcisio fœminarum. — Resectio clitoridis. Mulieribus persicis, arabicis et ægyptiis sæpe excrescebat hæc caruncula, ita ut ea arrigentes aliis fœminis et etiam podice virili abuterentur; unde mos erat, præsertim Ægyptiorum, murtum illud puellis præscindere, non solum ob eam causam, sed et propter munditiam. Resecabant et *nymphas*, ne crassiores et extus prominentiores fierent. Vide *Galenum*, et *Huet. in Origen.* et *Cœl. Rhod. Lect. antiq.* XIII, 8.

Cirratæ. — Mulieres innuptæ. Crines enim cervici dimissos et *cirratos* gerebant nondum nuptæ; matronæ vero, in amplexum comatos, in visendæ conditionis signum: quod notandum a statuariis et pictoribus.

« Et licet, quocumque oculos flexeris, fœminas affatim multas spectare *cirratas*, quibus si nupsissent, etc. »

Ammian. Marc. XIV.

Vide statuas Romanorum in Musæis publicis, et verbum Acus discriminalis.

Claves. — Dabantur parturientibus, ob significandam partus facilitatem (*Fest.*); et novæ nuptæ, quod ei res

domestica committebatur. Uxori divertenti et exeunti adimebantur *claves*. Sic *leg*. XII *tab*. CLAVES ADIMITO.

CLAVUS. — Pro pene.

Nec mora, nec requies : *clavumque* affixus et hærens
Nusquam amittebat, oculosque sub astra tenebat.
AUSON. *Cent. Nupt. imminut.* 24 sq.

CLAZOMENÆ. — Scissuræ podicis pædicatione triti et lacerati; inter morbos venereos : a *Clazomenis*, Ioniæ asiaticæ civitate, postera venere famosissima; vel a χλάζεσθαι, *frangi* et *dividi*.

Sed quod et elixo plantaria podice vellis,
Et teris incusas pumice *clazomenas*;
Causa latet : bimarem nisi quod patientia morbum
Appetit, et tergo fœmina, pube vir es.
AUSON. *Epigr.* CXXII, 3 sqq.

CLINOPALES. — A χλίνη, *lectus*, et πάλη. Quasi diceres palæstra venerea : coitus assiduitas tanquam in quotidianum et regularem usum.

« Libidinis nimiæ, assiduitatem concubitus, velut exercitationis genus, *clinopalem* vocabat. »
SUET. *in Domit.* 22.

CLINO-PEDALIS. — Ad venerem invalidus, ab ea antiqua opinione, frigiditatem pedum concubituris admodum officere. Vid. *Arist. sec.* IV, *problem.* 5; longius *ep.* IX, 2; *Cæl. Rhod. Lect. antiq.* XV, 6, ubi *clinopalem* dicit, sed male, ut patet ex vocabulo præcedenti.

Divus Franciscus calceamentorum monachis suis usum negavit, ut calopodiis solum uterentur, ad ser-

vandam castitatem. Vid. *Elysius jucundarum quæstionum campus*, 15-19.

CLITERNINI. — Colei. Verbum Ciceronis in Epistola ad Pætum.

« Honesti colei lanuvini; *cliternini* non honesti. »
CIC. *ad Famil.* 9.

Vid. *Annotat. in Priap. lus.* IV, *ex Musæo Simonis Abbes.*

CLITORIS. — Mere græcum. Glans muliebris interfœmineo prominens, angulo nympharum. In pruritu venereo arrigit ut virga virilis; hic fœminarum sedes voluptatis. *Clitoride* abutebantur inter se lesbiæ saphicæque mulieres. Vid. MURTUM, TRIBADES, CIRCUMCISIO FOEMINARUM.

Inde apud Græcos κλιτοριάζειν, pro *clitoridem* attrectare; genus masturbationis mulieribus proprium.

CLUACINA. — Cognomen Veneris; clara, illustris; a *cluere.*

« Tum duo Cæpiones multum *cluentes* consilio et lingua. »
CIC. *de Clar. orat.*

Contra vero Tertullianus *Cluacina* ducit a *cloaca*, quod non verisimile. Veneris *Cluacinæ* simulacrum eodem loco positum erat, quo facta est pax inter Sabinos et Romanos, post raptum puellarum. Vid. *Aurel. Vict.*

CLUNES. — In palæstra venerea. Existimabant antiqui

[redacted]

mulieres non concipere, modo in concubitu *clunes* retractent, quum hoc motu semen virile vulva ejiciant.

Ejicit enim sulci media regione viaque
Vomerem, atque locis avertit seminis ictus.

LUCRET. IV, 1267 sq.

CLUNES MOTARE. — De muliere, motu obsceno ad venerem incitante.

Ecquando Telethusa circulatrix,
Quæ *clunem* tunica tegente nulla
Extis aptius, altiusque *motat*.

Priap. Carm. XVIII, 1 sqq.

.... ut Gaditana canoro
Incipiant prurire choro, plausuque probatæ
Ad terram *tremulo* descendant *clune* puellæ.

JUV. XI, 162 sqq.

CLUNES TORQUERE. — Specialiter dicebatur de patiente in pædicatione.

« Lascivia deinde luxuriantis adsumpta huc atque illuc *clunes torquet.* »

ARNOB. I, 2.

« Ultimo cinædus supervenit...... cinguloque succinctus, modo *extortis* nos *clunibus* cecidit, modo basiis olidissimis inquinavit. »

PETRON. *Sat.*

Eodem sensu :

..... Sed pejores qui talia verbis
Herculis invadunt; et de virtute locuti
Clunem agitant.

JUV. II, 19 sqq.

CLUNE NUDO RADERE. — De puella exili et macilentula.

Habere amicam nolo, Flacce, subtilem,
Cujus lacertos annuli mei cingant,

Quæ *clune nudo radat*, et genu pungat,
Cui serra lumbis, cuspis eminet culo....

MART. II, CI, 1 sqq.

CLUNÆ-SIMIÆ. — Mulieres, natibus venere confectis, a *simia*, cujus clunes ex natura rasiles videntur et quasi tritæ. Vid. *Fest. et Lubin. Antiquarium.*

CLUSINUM PECUS. — Meretrices lautæ et urbanæ ad usum procerum; prostitutarum primus ordo, a *Clusio*, oppido Etruriæ; hic enim aquæ erant medicæ celeberrimæ, necnon famosarum conventus, ut nunc videmus aquis nostris. Vid. *Plaut. in Trucul.* II, II, 14; et *Lubini Antiquarium.*

CNIDIA. — Cognomen Veneris, a *Cnido*, urbe nobilissima, propter statuam Veneris a Praxitele confectam. Vid. *Plin. lib.* XXX; *Arnob.* VI, et *Luciani dialog. cui titulus* Ἔρωτες.

O Venus, regina *Cnidi* Paphique!

HOR. *Od.* I, XXX, 1 sq.

Vera Venus *Cnidiam* quum vidit Cyprida, dixit:
Vidisti nudam me, puto, Praxitele.

AUSON. *Epigr.* LVI, 1 sq.

COA-ORUM. — Gallice, *de la gaze*. Textum perlucidum ex bombyce tenuissima; sic dictum a Co, insula juxta Eubœam, ubi inventum est. Vestis muliebris impudicissima.

« Video sericas vestes, si modo vestes vocandæ sunt, in quibus nihil est quo aut defendi corpus, aut tegi pudor possit; quibus sumtis, mulier parum liquide nudam se non esse jurabit. Hæ ingenti summa ab ignotis ad commercium gentibus accer-

suntur, ut matronæ nostræ ne adulteris plus suî in cubiculo, quam in publico ostendant. »

SENEC. *de Benef.* VII.

« Quid si contigisset, illum videre nostri temporis telas, quibus vestis nil celatura conficitur, in qua non dicam nullum corpori refugium, sed nullum pudori est? »

IDEM, *Epist.* 91.

Simili texto, similique cum impudentia mulieres non nullas vidimus vere denudatas, per vicos Parisienses, anno MDCCCII.

....*Cois* tibi pæne videre est
Ut nudam : ne crure malo, ne sit pede turpi.
Metiri possis oculo latus; an tibi mavis
Insidias fieri, pretiumque avellier, ante
Quam mercem ostendi?

HOR. *Sat.* I, II, 101 sqq.

COEMPTIO. — Modus matrimonii apud Romanos, (Vid. MATRIMONIUM.) ordine civili secundus, cujus formula ad ritum christianum transiit. Vis-ne, aiebat maritus, mihi materfamilias esse? Mulier respondens : Volo. Post mulier viro : Vis et tu mihi esse paterfamilias? R. Volo et ego. Tunc in manum mariti mulier conveniebat, quod dicebatur *usu convenire in matrimonium*. Vid. *Serv. in AEneid.* IV.

Coemptio sic dicta, quod tali pacto vicissim hæredes utriusque fiebant maritus et marita, quasi res suas *coementes*. Inde apud *Plaut. Bacchid.* IV, IX, 52, *coemptionalis* vocatur, qui hac formula hæreditatem carpit uxoris suæ.

COETUS. — Pro concubitu.

Præter legitimi genitalia fœdera *cœtus*,
Repperit obscenas veneres vitiosa libido.

AUSON. *Epigr.* LXX, 1 sq.

Sic et in Tertulliani Apologetico :

« Neque eas, *cœtus* incestu sanguinis agnoscat. »

Nil tamen hoc ad nos; qui *cœtu* conjugioque
Corporis atque animæ consistimus uniter apti.

LUCRET. III, 857 sq.

COGERE. — *Cogitur* mulier quæ invita nubet. (*Valer. Flacc. Argonaut.* VII, 48.)

COACTUS THALAMUS. — Apud Statium, pro virgine per vim temerata; puella violata.

COGNOSCERE. — Rei venereæ frequentissimum verbum in Sacrarum Literarum interpretatione latina *Vulgata* dicta. Vid. *Ovid. Epist.* XVII.

COHIRCINATIO. — Lascivia fœdissima, more *hircorum*.

« Quæ tamen omnia in paucis annis ita hic degulator studiose in ventrem condidit, et omnimodis *cohircinationibus* dilapidavit. »

APUL. *in Apolog.*

COIRE. — Simul venerem agere.

Hunc semper Norbana diem cum conjuge Caro
Læta colat, primis quo *coiere* toris.

MART. VII, LXXIV, 9 sq.

Mos erat Massagetis palam *coire* instar canum. Vid. *Herodot. lib.* IV in fine. Hinc substantiva :

COITIO.

« Prima *coitio* acerrima.

TERENT. *Phorm.* II, II.

COITUS-US.

« ...Nam *coitus* jam longa oblivio. »

JUV. X, 204.

Post *coitum*, miseri et avari mentulam lana tergebant.

At tibi nil faciam : sed lota mentula lana
Λειχάζειν cupidæ dicet avaritiæ.

MART. X, LIX, 11 sq.

Sic Lucilius :

A læva lacrymas mutoni absterget amica.

Frag. VIII, 12.

COLEI. — Testiculi virorum. *Coleus* enim apud Ciceronem pro testimonium dicente in judicio.

Quum depilatos, Chreste, *coleos* portes,
Et vulturino mentulam parem collo.

MART. IX, XXVII, 1 sq.

Derisor Fabianus herniarum,
Omnes quem modo *colei* timebant
Dicentem tumidas in hydrocelas, etc.

MART. XII, LXXXIII, 1 sqq.

Sed quum tu, posito, deus, pudore,
Ostendas mihi *coleos* patentes,
Cum cunno mihi mentula est vocanda.

Priap. Carm. XXVIII, 3 sqq.

Vid. CLITERNINI.

COLERE. — Verbum technicum, pro corpus, vestes et ornamenta componere, *faire toilette.*

Ah! pereant artes et mollia jura *colendi.*

TIBULL. II, III, 79.

Ridebis ventos hoc munere tectus et imbres;
Nec sic in tyria sindone *cultus* eris.

MART. IV, XIX, 11 sq.

Vid. CULTUS substantive.

[redacted]

Coliphium, κωλίφιον. — Panis sub cinere coctus, ad athletarum cibum. Aliquando fingebatur in similitudinem penis, et tunc tanquam virile signum roboris et vigoris. Sic, et duplici sale, Juvenalis arguit mulieres in theatris certantes :

> Luctantur paucæ, comedunt *coliphia* paucæ.
>
> Juv. II, 53.

Vid. *Cæl. Rhod.* IX, 16, et Siligo.

Collabellare. — Labra vicissim osculis commiscere.

> « *Collabella*, adjunge labra. »
>
> Laber. *Annal.*
>
> « Peranna, *collabella* osculum. »
>
> Non. Marc. *de Honest. dictis.*

Nam compositione latina *col* conjungit.

Collocare. — Verbum nuptiale : dicebatur quum pronubæ novam nuptam in lecto ponerent.

> Vos bonæ senibus viris,
> Cognitæ bene fœminæ,
> *Collocate* puellulam.
>
> Catull. LVI, 186 sqq.

Inde, *collocare nuptum*, *nuptui*, apud *Ciceronem*, *Cæs.* et *Colum.*, est puellam in connubium dare.

Collum. — Et etiam partes suas habet cervix in palæstra venerea.

Collum tumidum, forte. — Signum ætatis adultæ.

> Et tibi jam tumidæ nares, et *fortia colla.*
>
> Nemesianus, *Eclog.* II.

Vid. Pubertas.

Nec non indicium delibatæ virginitatis, apud antiquos. Primum enim ante concubium, novæ nuptæ *col-*

[redacted]

lum filo circumdabat, aut nutrix ejus aut altera matrona. Postero mane eadem mensura revisebatur cervix, etsi filum breve inveniebatur, pronubæ eam antea virginem et hac nocte defloratam clamabant. Sed contra, id est, si nulla cervicis accretio, adhuc integra dicebatur conjux, aut jam pridem et ante matrimonium delibata.

Non illam nutrix orienti luce revisens
Hesterno *collum* poterit circumdare filo.
CATULL. LIX, 376 sq.

COLLUM AMPLECTI.

Amplexa collum, basioque tam longo
Blandita, quam sunt nuptiæ columbarum,
Rogare cœpit Phyllis amphoram vini.
MART. XII, LXV, 7 sqq.

COLLUM APPLICARE. — Molliter plicare et inflectere, ad suavia danda aut accipienda.

.... *applicansque collum*,
Jucundum os oculosque suaviabor.
CATULL. IX, 8 sq.

Sic de eodem motu Horatius:

Dum flagrantia detorquet ad oscula
Cervicem.
HORAT. *Od.* II, XII, 25 sq.

COLLUM PLAUDERE. — Palma leviter percutere. (*Ovid. Art. Amat.* I, 27.)

COLUMBÆ. — Veneri dicatæ, tanquam in amore præmollissimæ. Vide *Juvenalem*, III, 201.

Amplexa collum, basioque tam longo
Blandita, quam sunt nuptiæ *columbarum*.
MART. XII, LXV, 7 sq.

Basia me capiunt blandas imitata *columbas* :
Tu mihi das, aviæ qualia mane soles.
MART. XI, CV, 9 sq.

Ex antiquo, symbolum fidei matrimonialis.

« Conjugii fidem non violant *columbæ*. »

PLIN. X, 34.

COLUMBARE. — Mixtis linguis sese invicem osculari.

« Quid si quis fœminæ cirro crispatæ labris *columbatur?* »

SENEC. *Ep.* 115.

COLUMBARIA. — Proprie sunt foramina in peristrophiis, ubi columbæ nidulentur.

« Credo alium in aliam belluam hominem vortier, Illic in *columbum*, credo, leno vortitur. Nam in *columbari* collum haud multo post erit. In nervum illic hodie nidamenta congeret. »

PLAUT. *Rud.* III, VI, 48 sqq.

COLUMBATIM. — Molliculum verbum Catulli. Vid. *Plin. Epist.* 202.

Pande, puella, genas roseas,
....
Porrige labra, labra corallina.
Da *columbatim* mitia basia.
Ex Catalect. vet. poet. edente Valeto, 1601.

COLUMNA. — Pro pene.

Spectas me tamen et subinde rides :
Nimirum tibi salsa res videtur,
Adstans inguinibus *columna* nostris.
Priap. Carm. IX, 6 sqq.

Nec quæ stat rigida supina vena,
De ligno mihi quolibet *columna* est.
MART. VI, XLIX, 2 sq.

Simili metaphora Juvenalis :

......Sed omnes
Noverunt Mauri atque Indi, quæ psaltria penem
Majorem quam sunt duo Cæsaris Anticatones, etc.
Sat. VI, 336 sqq.

Duo enim libri Cæsaris adversus Catonem, in unum volumen complicati, ingentis scopi figuram referebant.

COLUMNA LACTARIA. — Ad quam deponebantur pueri expositii : stabat in foro olitorio. Vid. *Fest.*, *Alex. Rup.*, *Plaut.*, *Publ. Victor.*, etc.

COLUSTRA, COLUSTRUM, COLOSTRUM. — Lac novum in mammis. (*Non. Marc.*, *Laber.*, *Lucil.* VIII, 10.)

Surripuit pastor quæ nondum stantibus hædis
De primo matrum lacte *colostra* damus.
MART. XIII, XXXV, 1 sq.

Inde, *colustri* dicebantur, infantes aliti a muliere prægnante. (*Plin.* XVI, 28.)

COMA. — Ex more antiquorum, qui *comam* nutriverant, circa nuptias detondebant.

Conventum tamen et pactum, et sponsalia, nostra
Tempestate paras, jamque a tonsore magistro
Pecteris.......
JUV. VI, 25 sqq.

COMA NIGRA. — In laude apud antiquos.

Spectandum nigris oculis, *nigroque capillo.*
HOR. *de Art. Poet.* 37.

Et Lycum nigris oculis, *nigroque*
Crine decorum.
HOR. *Od.* I, XXXII, 11 sq.

Capillitium nigrum Musis tribuit Pindarus.

COMA FLAVA. — Sed dum pleræque Romanæ capite ni-

grabant, meretrices contra, fere omnes alienigenæ, flavis crinibus dignoscebantur. Sic, mutata veste, Messalina, meretricis personam induens:

.....Nigrum *flavo* crinem abscondente *galero*,
Intravit calidum veteri centone lupanar.
JUV. VI, 120 sq.

Et Martialis ad quamdam impudicam nomine Lesbiam:

Arctoa de gente *comam* tibi, Lesbia, misi,
Ut scires quanto sit tua *flava* magis.
MART. V, LXVIII, 1 sq.

COMA MYRTEA. — Eadem quam Galli *castaneam* dicunt.

« Hodie quoque dicunt *myrteum* qui medius est inter flavum et nigrum. »
VET. INTERPRET.

Intonsi crines longa cervice fluebant,
Spirabat tyrio *myrtea* rore *coma*.
TIBULL. III, IV, 27 sq.

COMATI. — Molles, cinædi, parthici. Puerorum coma alebatur per cervicem demissa.

...Fusos cervix cui lactea crines
Excipit, et molli subnectit circulus auro.
VIRGIL. *Æneid.* X, 137 sq.

Sed statim ut puberes facti, capillis attondebantur, in signum virilitatis; et cæsaries eorum, Apollini sacrata, aut alii deo, templo ejus appendebatur. Vid. *Stat. Sylv.* III, *præfat. ad Pollium. et Mart.* IX, XVII.

Delicati vero et catamiti indetonsi manebant, *semper solliciti,* ait Plinius, *ut virilitatem effugerent;* inde apud Synesium et Suidam adagium illud : *nullus comatus, qui idem non sit cinædus.*

Comam enim alere parum virile putabant Stoici. Vide *Juvenalem*, II, 15, et XI, 149.

Comedere. — Sensu obsceno.

Adsequitur nec opinantem, in caput insilit, ipsum
Commanducatur totum complexa, *comestque*.

Centon. ex Lucil. X, 5 sq.

« Talis est via mulieris adulteræ, quæ *comedit*, et tergens os suum, dicit : Non sum operata malum. »

Salom. *Proverb.* XXX, 20.

Comessationes.—Epulæ libidinosæ; a cœna differebant: nam cœna casta erat, si non parca et temperata; dum *comessatio* solutissima et longe in noctem producta.

« Convivabatur frequenter et large, sed pæne raptim : certe non ultra solis occasum, nec ut postea *comessaretur*. »

Suet. *in Domit.* 21.

« Sed vel luxuriæ sævitiæque deditus, epulas trifariam semper, interdum quadrifariam dispertiebat, in jentacula et prandia, et cœnas *comessationesque*; facile omnibus sufficiens, vomitandi consuetudine. »

Idem. *in Vitell.* 13.

Famosissimæ Romanorum *comessationes* omni genere nequitiarum.

«...Non temere ulla illustriore fœmina abstinuit: quas plerumque cum maritis ad cœnam vocatas, præterque pedes suos transeuntes, diligenter ac lente, mercantium more, considerabat..... Quoties deinde libuisset, egressus triclinio, quum maxime placitam sevocasset, paulo post, recentibus adhuc lasciviæ notis, reversus, vel laudabat palam, vel vituperabat, singula enumerans bona malave corporis atque concubitus. »

Idem, *in Caligul.* 36.

« Libidines, amores, adulteria, convivia, *comessationes*, cantus. »

CIC. *pro Cæl.* 27.

Lupanaria disponebantur ad usum convivarum.

« Crepidinibus stagni *lupanaria* adstabant, illustribus fœminis completa; et contra scorta visebantur, nudis corporibus. »

TACIT. *Annal.* XV, XXXVII.

Nudæ ministrabant puellæ.

« Cœnam ea lege condixit, ne quid ex consuetudine immutaret aut demeret; utque *nudis* puellis ministrantibus cœnaretur. »

SUET. *in Tiber.* 42.

Nudæque saltatrices, crispantibus lumbis et obsceno motu, pruriginem spectantibus conciliabant (*Macrob. Sat.* II, I; *Buleng. de Conviv.* Vid. AMBUBAIÆ), dum tractatrices membra virorum sollicitabant.

Jacet occupato galbinatus in lecto,
....
Et æstuanti tenue ventilat frigus
Supina prasino concubina flabello;
Fugatque muscas myrtea puer virga;
Percurrit agili corpus arte tractatrix,
Manumque doctam spargit omnibus membris.

MART. III, LXXXII, 5 sqq.

Bibebant poculis oblongis, penem referentibus.

.....Vitreo bibit ille Priapo.

JUV. II, 95.

Unde apud Plinium, *bibere per obscenitates*. Panis et ipse forma venereus; nam ex siligine fiebant Priapi et inguina muliebria.

Illa siligineis pinguescit adultera cunnis.

MART. IX, II, 3.

Comessationum libidinis primi auctores Chaldæi.

« Babylonii maxime in vinum, et quæ ebrietatem sequuntur, effusi sunt. Fœminarum, convivia ineuntium, in principio modestus est habitus; dein, summa quæque amicula exuunt, paulatimque pudorem profanant : ad ultimum, ima corporum velamenta projiciunt. Nec meretricum hoc dedecus est, sed et matronarum virginumque, apud quas comitas est vulgati corporis vilitas. »

Q. CURT. V, 1, 38.

Comessationes a *Como*, lascivorum conviviorum deo. Vid. COMUS.

COMISSARI. — *Comessationes* agere. (*Cic.*, *Plaut.*)

Hinc COMISSATOR (*Cic.*) et COMISSANS.

« Refectum igitur convivium est; adjuvit hilaritatem *comissantis* cymbalistria. »

PETRON. *Sat.*

COMITARE. — Concubare. (*Acc.*, *Fest.*, *Lubin. Antiq.*)

COMITIALIS MORBUS. — Vulgo caducus.

« Hippocrates enim de coitu venereo ita existimabat, partem esse quamdam morbi teterrimi, quem nostri *comitialem* dixere. »

GELL. XIX, 2.

COMMARITUS. — Socius in amore.

« Sed eccum progreditur cum corona et lampade Meus socius, compar, commaritus, etc. »

PLAUT. *Cas.* IV, II, 17 sq.

COMMILITONES. — Verbum belli, ab Heliogabalo ad rem veneream translatum.

« Omnes de circo, de theatro, de stadio, de omnibus locis

et balneis, meretrices collegit in ædes publicas, et apud eas concionem habuit quasi militarem, dicens eas *commilitones.* »

LAMPRID. *in Heliogabal.*

COMMISCERE. — Verbum venereum.

« Deinde partes corporis, et ad procreandum et ad concipiendum aptissimæ, et in mare et in fœmina; *commiscendorum* corporum miræ libidines. »

CIC. *de Nat. Deor.* 192.

Et *commiscendo* quum semen forte virile
Fœmineum mulsit subita vi.....

LUCRET. IV, 243 sq.

COMMUNIS. — De meretrice.

Conducta est pretio puella parvo,
Communis satis omnibus futura.

Priap. Carm. XXXIV, 2 sq.

COMMUNIS VOLUPTAS. — Pro venerea.

COMPARES. — Mutuo amore connexi. Vid. PARES.

« Compressiones arctæ amantium *comparum.* »

PLAUT. *Pseud.* I, 1, 64.

COMPLEXUS. — De nexu venereo.

Utere fœmineis *complexibus*, utere, Victor,
Ignotumque sibi mentula discat opus.

MART. XI, LXXIX, 1 sq.

COMPONERE LATUS. — Concubare.

Tum *compone latus* lateri, et cum pectore pectus.

LUCIL. *Frag.* VIII, 6.

Mercurio et sanctis fertur Bæbeidos undis
Virgineum Brimo *composuisse latus.*

PROPERT. II, II, 11 sq.

COMPRIMERE. — Stuprare.

Villica vel duri *compressa* est nupta coloni,
Incaluit quoties saucia vena mero.

MART. IV, LXVI, 11 sq.

Vide Titum Livium, I, 14, ubi *comprimere* virginem pro violare.

COMPRESSUS. — Substantive.

« *Compressus* cum virgine admissus dicitur. Plautus (*Truc.* II, VI, 17 sq.) etiam coitum cum meretrice *compressum* dici vult: « Nunc ad amicam, decimo mense post, Athenas Atticas Viso, quam gravidam reliqui meo *compressu*, quid ea agat. »

NON. MARC.

COMPRIMERE LINGUAM. — Irrumare. (*Varr. et Plaut.*)

COMUS. — Deus apud ethnicos habitus *comessationum*, nocturnarumque saltationem præses. In militia ejus auctorabantur juvenes qui noctu, cum facibus musicisque instrumentis, ad amicarum januam procaciter lasciviebant, ut fores nonnumquam effringerent. Hinc *crepalocomus*, vinolentorum hymnus apud *Aristophan. in Ranis*.

CONCELEBRARE. — Sensu erotico, diu amare. (*Non. Marc.*) Id est, continuis dictis et factis, arteque delenifica, sibi alicujus amorem conciliare.

Phryne nobilis illa, ubi amatorem improbius quem
Multis inductum sermonibu' *concelebravit*,
Quid dare, quid sumpti facere ac præbere potis sit
Præservit, labra delicat, hinc delenit amore.

Centon. ex Lucil. X, 1 sqq.

CONCEDERE. — Veneri assentire.

Ne sequerer mœchas, *concessa* quum venere uti
Possem, etc.

HOR. *Sat.* I, IV, 113 sq.

CONCHA. — Pro mulierum pudendis.

« Te ex *concha* natam esse autumant : cave tu harum *conchas* spernas. »

PLAUT. *Rud.* III, III, 42.

Ab hac testa, haud cunno absimili, quam Galli nominant *pucelage*.

CONCILIA CORPORALIA. — (*Arnob.*) Coitus.

CONCILIABULA.—Tabernæ et ganeæ, quas conveniebant scortilla et quæstuariæ viliores ; humillimorum comessationes.

« Quid? si apud te veniat de subito prandium, aut polatio
Forte, aut cœna, ut solet in istis fieri *conciliabulis.* »

PLAUT. *Bacchid.* I, I, 46 sq.

Sic idem, alio loco : *conciliabulum damni.*

CONCILIARE. — Connubia proponere ; officium proxenetarum. Vid. *ff. de Proxenetis.* Tunc verbum castum.

Cur ego plector amans, si vir tibi marcet in armis?
Non me nupsisti conciliante seni.

OVID. *Amor.* XIII, 41 sq.

CONCILIARE. — Sensu libidinoso ; obsequium lenonum.

« Existimabatur enim Servilia, etiam filiam suam Tertiam *conciliare* Cæsari. »

SUET. *in Jul. Cæs.* 50.

« Tute ad eum adeas, tute *concilies*, tute poscas. »

PLAUT. *Trin.* II, II, 105.

« Si non fastidis, inquit, fœminam ornatam, et hoc primum anno virum expertam, *concilio* tibi, o juvenis, sororem. »

PETRON. *Sat.*

Inde:

CONCILIATOR. —Pararius domini, similis emissariis qui, teste Lampridio, bene nasutos perquirebant, et ad Heliogabalum perducebant, ut eorum conditionibus uteretur. Gallice *un bonneau*, *un pourvoyeur.*

« Præfectum prætorii quem habebat, occidit; in ejus locum, matronianum veterem, *conciliatorem* fecit. »

VOPISC. *de Car. imp.*

CONCILIATRIX. —Non publice lena; sed clam et privatim stuprorum et adulteriorum sequestra.

Multis inde locis sermonibu' concelebrabit
Ætatem et faciem, ut saga et bona *conciliatrix* :
Quod gracila est, pernix pedibus, quod pectore puro,
Quod puero similis; neque uti pyrgentia scorta.
Hic corpus solidum invenies; hic stare papillas
Pectore marmoreo.....

Ex Centonibus Lucilianis, I, 1, sqq.

« Non vides quam blanda *conciliatrix*, et quam sit lena ipsa natura. »

CIC. *Nat. Deor.* 4.

CONCIO MERETRICUM. — Romæ prostibulas et scorta omnia in ædes publicas collegit Heliogabalus.

« Et apud eas concionem habuit quasi militarem, dicens eas commilitones : disputavitque de generibus et schematibus voluptatum. »

LAMPRID. *in Heliogabal.*

Vid. SENACULUM.

Concubare. — Pro coire.

Credere vix possim, nisi cogat credere partus,
Vos ego cum vestris *concubuisse* viris.

Ovid. *Art. Amat.* III, 103 sq.

Concubina. — Mulier viro suo non nupta, tamen propria, quasi uxor. Vid. leges romanas *de Concubinis.*

Matronæ nomen matrisque familias honestatem retinebat : unde stuprum in *concubinam* lege Julia plectebatur tanquam in ingenuam. Vid. Ingenua.

« Quæ, si judicaretur certis quidem verbis, non novis nuptiis fieri cum superiore divortium, in *concubinæ* locum duceretur. »

Cic. *de Orat.*

Concubinas Romanos ingenuas habere vetuit Aurelianus, concedens tamen libertinas. (*Vopisc. in Aurel.*)

Et æstuanti tenue ventilat frigus
Supina prasino *concubina* flabello.

Mart. III, lxxxii, 10 sq.

Concubinus. — Mœchus, adulter.

Quod nubis, Proculina, *concubino*,
Et mœchum modo, nunc facis maritum,
Ne lex Julia te notare possit;
Non nubis, Proculina, sed fateris.

Mart. VI, xxii, 1 sqq.

Pater ex Marulla, Cinna, factus es septem
Non liberorum; nam nec tuus quisquam,
....
Quartus cinæda fronte, candido vultu,
Ex *concubino* natus est tibi Lygdo.

Mart. VI, xxxix, 1 sqq.

Concubinus. — Pusio, catamitus.

« Ferebant in Hispania Icelum e veteribus *concubinis*, etc. »

Suet. *in Galb.* 22.

Tuoque tristis filius, velis, nolis,
Cum *concubino* nocte dormiet prima.

MART. VIII, XLIV, 16 sq.

CONCUBITUS. — Coitus.

... Ululantque Priapi
Mænades. O quantus tunc illis mentibus ardor
Concubitus!

JUV. VI, 316 sqq.

Nam quis *concubitus*, veneris quis gaudia nescit?

PETRON. *Sat.*

Inde passim apud Ovidium et alios : *concubitus pati*, et *concubitus petere*.

Concubitus varii modi. Novem coeundi modos ediderat poetria græca, nomine Elephantis.

Facundos mihi de libidinosis
Legisti nimium, Sabelle, versus,
Quales nec Didymi sciunt puellæ,
Nec molles *Elephantidos* libelli.
Sunt illic veneris novem figuræ,
Quales perditus audeat fututor.

MART. XII, XLIII, 1 sqq.

Novem illas exercitationes pingi jussit Tiberius.

« Cubicula plurifariam disposita tabellis ac sigillis lascivissimarum picturarum et figurarum adornavit, *librisque Elephantidis instruxit*, ne cui in opera edenda exemplar impetratæ schemæ deesset. »

SUET. *in Tiber.* 43.

Modos ad duodecim protulit scortum quoddam nomine Cyrenes; quapropter factum est illi nomen δωδεκαμηχάνου, tanquam tu dicas *duodecim machinamentorum*.

Romæ Sabellus de vario *concubitu* fusius scripserat.

Vid. *Mart.* XII, XLIII. Sed carmen ejus periit. De hoc genere parcissime dicemus, nilque præter quod necesse est ad intelligentiam morum romanorum.

Vide CRISSARE.

1° Ex lege naturæ, supina jacet fœmina cruribus divaricatis. Tunc, admisso viro, crissat.

2° Mulieres fœtum appetentes, se tergo submittebant, more pecudum.

> Quadrupedumque magis ritu, plerumque putantur
> Concipere uxores, quia sic loca sumere possunt
> Pectoribus positis, sublatis semina lumbis.
>
> LUCRET. IV, 1260 sqq.

3° *Tollere pedes.* Tollit mulier pedes, ut se patentius præbeat. Verbum nuptum, inter dicteria.

« Noli, inquam, de uno *pede* sororis queri, licet etiam *alterum tollas.* »

CIC. *ad Attic.* II.

> An ut matrona ornata phaleris pelagiis
> *Tollat pedes* indomita in strato extraneo?
>
> PETRON. *Sat.*

> Mammas teneas, *pedes extollas*, congenues, savies.
>
> NONIUS *in Atellanarum Frag.*

> Protinus accedunt medici, medicæque recedunt,
> *Tolluntur que pedes*; o medicina gravis!
>
> MART. XI, LXXII, 7 sq.

4° *Pendula venus.* Fœmina super insidens.

« Super me sensim subsidens, ac crebra subsiliens, lubricisque gestibus nobilem spinam quatiens, *pendulæ veneris* fructu me satiavit. »

APUL. *Met.* II.

Fœdissima venus a tribadibus deducta. Sic Juvenalis :

Lenonum ancillas posita Laufella corona
Provocat, et tollit *pendentis* præmia *coxæ*.

JUV. VI, 320 sq.

5° *Mulier equitans.*

« Puellam quidem exoravit ut sederet supra commendatam bonitatem, Coraci autem imperavit, ut lectum, in quo ipse jacebat, subiret, positisque in pavimento manibus, dominum lumbis suis commoveret. Ille lento parebat imperio, puellæque artificium pari motu remunerabat. Quum ergo res ad effectum spectaret, clara Eumolpus voce exhortabatur Coraca, ut spissaret officium. Sic inter mercenarium amicamque positus, senex veluti oscillatione ludebat. »

PETRON. *Sat.*

.....acris ubi me
Natura incendit, sub clara nuda lacerna
Quæcumque excepit turgentis verbera caudæ,
Clunibus aut agitavit *equum* lasciva *supinum*, etc.

HOR. *Sat.* II, VII, 47 sqq.

6° *Supponere femur.* Quum in latere cubans mulier, cubitoque fulta, se veneri divaricat, superiori femore lumbis admissarii molliter supposito. Modus delicatulis prædilectus.

Mille modi veneris; simplex minimique laboris
Quum jacet in dextrum semisupina latus.

OVID. *Art. Amat.* III, 787 sq.

Noli admirari quare tibi femina nulla,
Rufe, velit tenerum *supposuisse femur.*

CATULL. LXIV, 1 sq.

Osculaque inseruit cupide luctantia linguis,
Lascivum femori *supposuitque femur.*

OVID. *Amor.* III, VI, 9 sq.

7° *Mulier sedens.* Cruribus divaricatis, virum pe-

dibus stantem ad vulvam suris comprimit. Vide *Runkenium in Apul., Lugdun. Batav.* 1786.

CONCUMBERE. — In venerem accipitur.

« Illorum fuisse consilium, ut occiso gladiatore, sanguine illius sese Faustina sublavaret, atque ita cum viro *concumberet.* »

CAPITOLIN. *in Anton.*

.... Omnia græce,
Quum sit turpe magis nostris nescire latine.
Hoc sermone pavent; hoc iram, gaudia, curas,
Hoc cuncta effundunt animi secreta. Quid ultra?
Concumbunt græce.

JUV. VI, 187 sqq.

CONDEPSERE. — Commiscere; tractum a græco δέψω: in obscenis. Vid. DEPSERE.

« Partem insipui, conclusi, *condepsui.* »

POMPON. *Nupt. apud Non. Marc.*

CONDITIO. — Sæpe pro conjugio.

« *Conditionem* filiæ quærere. »

TIT.-LIV. V.

« Optimum regnum occupari potest *conditione.* »

ff. de Sponsal. et cod. de Ritu nuptiarum.

« *Conditione* tua non utar. »
Verba repudium mittentis. Vid. *Fest.* et *ff. de Divort.*
« Narravi amicis multis consilium meum *De conditione* hac. »

PLAUT. *Aulul.* III, v, 1 sq.

CONDITIO. — De catamitis, meretricibus, et mœchis.

« Siquidem Faustinam satis constat apud Caietam *conditiones* sibi et nauticas et gladiatorias elegisse. »

JUL. CAPITOLIN. *in Anton.*

« Et *conditiones* quæsitas per amicos, qui matresfamilias et

adultas ætate virgines denudarent atque perspicerent, tanquam Thoranio mangone vendente. »

SUET. *in Aug.* 71.

CONDITIO. — Pro verendis.

« Romæ denique nil egit aliud, nisi ut emissarios haberet, qui et bene nasutos perquirerent, eosque ad aulam perducerent, ut eorum *conditionibus* frui posset. »

LAMPRID. *in Heliogabal.*

CONDUCERE. — Ad stuprum puerum aut puellam ducere; officium lenonis aut conciliatoris. *Conducere* enim est emere (*Non. Marc.*), aut locare.

« Cædundum illum ego *conduxi.* »

PLAUT. *Aulul.* III, VI, 31.

Conducta est pretio puella parvo,
Communis satis omnibus futura.

Priap. Carm. XXXIV, 2 sq.

« Ubi sunt isti scortatores, qui soli inviti cubant? Hæc nox scita est exercendo scorto *conducto* male. »

PLAUT. *Amph.* I, 1, 131 sq.

Hic *male conductum* pro magno pretio; quod lenoni damnosum.

CONFARREATIO. — Matrimonii ritus antiquior, cum decem testibus, et sacrificio solemni, cui panis *farreus* adhibebatur.

« Priscos legitime, sacraque appellatione, *matrimonia farreata* dixisse a communione *farris.* »

DIONYS. II.

« Talis mulieris matrimonium *confarreaturus.* »

APUL. *Met.* X.

CONFECTUS. — Fractus viribus, exfututus nimia venere.

[redacted]

*Confectus*que, macerque, pallidusque,
Qui quondam ruber et valens solebam
Fures cædere quamlibet valentes.

Priap. Carm. XXV, 8 sqq.

CONFICERE. — Stuprare, violare. Nam *conficere* apud *Non.* et *Lucil.* XXVIII, 30, dicitur pro frangere.

« Virginem quam amabat, eam *confeci* hinc molestia. »

TERENT. *Eunuch.* V, IV, 6.

« Quum affatim desævisset, *conficeretur* a Doriphero liberto; cui etiam, sicut ipsi Sporus, ita ipse denupsit. »

SUET. *in Neron.* 29.

Ter languidior coliculi tepente thyrso,
Ferrum timui, quod trepido male dabat usum.
Nec jam poteram, quod modo *conficere* libebat.

PETRON. *Sat.*

CONFUTUERE. — Verbum Catullianum, de contubernalibus qui fœminam communem habent.

Solis putatis esse mentulas vobis?
Solis licere quidquid est puellarum
Confutuere, et putare ceteros hircos?

CATULL. XXXV, 3 sqq.

Similitudine verbi *commilitare.*

CONGENUARE. CONGENULARE. — Verbum infimæ latinitatis; inter se contortiplicare femina, ut solent amantes, hederarum in morem. Vid. *Douz. in Apul.* Ἀνεχόμ. et SINUARE.

CONGERMANESCERE. — Corporibus conjungi, coalescere.

« Jamque æmula libidine in amoris parilitatem *congermanescenti* mecum, etc. »

APUL. *Met.* V.

CONGRESSUS. — Pro coitu.

« *Congressu* fœminarum pollui. »

PLIN. XII, 4.

CONISALUS. — Deus apud Athenienses, qui simili fere ritu colebatur, quo Priapus apud Romanos. Vide *Strab*. I.

CONJUNGERE SOMNOS. — De venereo concubitu.

.... Adveniet fausto cum sidere conjux,
Quæ tibi flexanimo mentem perfundet amore,
Languidulosque paret tecum *conjungere somnos*,
Levia substernens robusto brachia collo.

CATULL. LIX, 328 sqq.

CONJUNGERE. — Copulare. Dictum a *jugo*. (*Non. Marc.*)

CONJUGIUM. — Pro legitimis nuptiis. Primus dicitur Cecrops marem et fœminam in connubium junxisse. (Vid. *Justin. lib.* I, et *Euseb. in præfatione Chronicorum.*) Antea enim græcæ mulieres, more pecudum, miscello concubitu utebantur; uti pueri μονοφυεῖς dicerentur, id est unius naturæ, quia matrem tantum agnoscerent, patre prorsum incerto.

De Electione conjugii sic Petronius Afranius :

Moribus et vultu mulier quæratur habenda :
Horrida nam facies multo celatur ab auro.
Si quis erit sponsus talem qui ducat avarus,
Ipse suam horrebit; feritas dissolvet amorem :
Illa calens veniet, dorsum dabit iste calenti,
Cogeturque suo suras submittere asello,
Concubitu turpi monstrum paritura biforme,
Quemque suum mulier timeat pertingere natum.
Discite formosas aurum superare puellas.

PETRON. AFRANII *Fragm. sub hoc titulo*, 1 sqq.

CONNUBIUM. — Matrimonium. Hinc :

Connubiale carmen. — Epithalamium. (*Claud. Panegyr.* VII, 130.)

Connubia fallere. — Adulteria committere.

> Lusus erat sacræ *connubia fallere* tædæ.
>
> Mart. VI, ii, 1.

Conquiniscere. — Inclinari ad patiendam pædicationem. (*Non. Marc.*, *Lubin. Antiquar.*)

> «Faciundum est puerile officium; *conquinisçam* ad cistulam.»
>
> Plaut. *Cistell.* IV, 1, 5.

Consectari. — De lenonibus, totoque conciliatorum genere.

> « Ad equas fuisti scitus admissarius, Qui consectare qua mares, qua fœminas. »
>
> Plaut. *Mil.* IV, iii, 19 sq.

Consererere. — Vide Latus.

Constuprare. — Eodem sensu quo stuprare.

> « In iis qui violassent ingenuam, matremfamilias *constuprassent*, maxima supplicia majores nostri consumpserunt. »
>
> Cic. *ad Herenn.* IV.

> « Qui prope in gremiis parentum prætextatos liberos *constupravit.* »
>
> Id. *de Pet. cons.*

> « Hunc adolescentulum mutua libidine *constupratum*, mox tædio profugum, etc. »
>
> Suet. *in Vitell.* 12.

Consuescere. — Proprie de stupro. Dicitur de viro mulieri, et de fœmina viro. Vid. *Terent. Hecyr.* IV, 1, 41.

« Huc omnes mulieres quibuscumque ipse *consueverat*, conveniebant. »

CIC. *in Verr.* VII, 25.

CONSUETUDO. — Eodem sensu.

« Mane sedere in cubiculo cœpit, atque exspectare *consuetudinem* meam. »

PETRON. *Sat.*

« Cum omnibus sororibus suis *consuetudinem* fecit. »

SUET. *in Caligul.* 24.

CONTINUARE MULIEREM. — Verbum nuptum. Cum ea venerem iterare.

At nuper bis flava Chlide, ter candida Litho,
Ter Libas officio *continuata* meo.

OVID. *Amor.* III, VII, 23 sq.

CONTUBERNALES. — Sensu venereo. Qui eodem lecto cubant.

« *Contubernalis* mea mihi fastum facit. Ita, si me amas, maledic illam versibus, ut habeat pudorem. »

PETRON. *Sat.*

Salax taberna, vosque *contubernales*,
A pileatis nona fratribus pila,
Solis putatis esse mentulas vobis?

CATULL. XXXV, 1 sqq.

CONTUS. — Pro pene.

Trajectus *conto* sic extendere pedali,
Ut culum rugas non habuisse putes.

Priap. Carm. X, 3 sq.

CONVENIRE. — Pro coire.

« Amant suos fœtus, et gignendis *conveniunt* liberis. »

ARNOB. XII.

« Conjugio aranei *conveniunt* clunibus. »

PLIN. XI, 24.

CONVENTUS-US. — Concubitus.

[redacted]

« Ex *conventu* Jovis inseminati et nati sunt. »

ARNOB. II.

CONVENTITIUS. — Dicebatur de concubitore adventitio, et fortuito amore.

« ...et ego et tua mater ambæ Meretrices fuimus : illa te, ego hanc mihi educavi Ex patribus *conventitiis*. »

PLAUT. *Cist.* I, 1, 40 sqq.

CONVERSARI. — Pro concubitu. Verbum tectum inter primarios. (*Paul. Onomast.* VII, 15). Sic Galli dicunt, *cet homme et cette femme se parlent depuis long-tems.*

COPÆ. — Fœminæ cauponiæ; pleræque lenæ aut scorta.

« Quoties Ostiam Tiberi deflueret, aut Baianum sinum prætemavigaret, dispositæ per litora et ripas diversoriæ tabernæ parabantur, insignes ganeæ, et matronarum institorio *copas* imitantium, atque hinc inde hortantium ut appelleret. »

SUET. *in Neron.* 27.

COPULARE. — Sensu venereo.

Cras erit quo primus æther *copulavit* nuptias.

Pervigil. Veneris, vers. 58.

COPULATRIX AMORUM. — Venus.

Cras *amorum copulatrix* inter umbras arborum
Implicat casas virentes de flagello myrteo.

Pervigil. Veneris, vers. 4 sq.

CORDAX. — Saltatio venerea lumbis fluctuantibus : apud Græcos fœdissima; sed Romæ expurgata a Batyllo et Pylade, sub Augusto imperatore. (Vid. *Cæl. Rh.* V, 4.)

« Credite mihi, *cordacem* nemo melius ducit. »

PETRON. *Sat.*

Multa etiam de hoc saltationis genere apud Meursium in *Orchestra*.

Corinthiari. — Scortari, libidinari : a Corintho, Achaiæ urbe, spurcis moribus famosissima. Tantus illic honos meretricibus habebatur, ut in solemnibus deos rogarent ut prostibularum numerum augificarent. Vid. *Stephan. de Urbibus*, et *Erasm. Adag.* IV, III, 68.

Cornificius. — Auctor eroticus.

> Et leve *Cornifici*, parque Catonis opus.
>
> Ovid. *Trist.* II, 1, 436.

Opus ejus non exstat.

Cornix. — Sinistri ominis in nuptiis. (*Orac. Apollin. in hieroglyph.*) *Cornicem* denotat Propertius his versibus :

> Docta vel Hippolytum Veneri mollire negantem,
> Concordique toro pessima semper avis.
>
> Propert. IV, v, 5 sq.

Cornix. — Pro scorto vetulo.

> *Cornix* et caries, vetusque bustum,
> Turba et putrida facta seculorum, etc.
>
> *Priap. Carm.* LVII, 1 sq.

Coronæ. — Nulla Veneris pervigilia, apud antiquos, nullæ comessationes, sine floribus aut sertis aut aspersis. Coronabantur convivæ, non modo voluptatis, sed etiam medicinæ causa, et ad arcendam ebrietatem.

> « Crapulam et gravidines capitis, impositis *coronis*, olfactuve discutiunt. »
>
> Plin. XXI, 19.

Coronas admissariis suis mittebant meretriculæ, manu vexatas et deformatas, in signum paratæ veneris. *Lucian. in Toxari. Athen.* 15.

Cotytto. — Promiscuæ libidinis ac obscenitatis dea

apud Thracas, Chios et Corinthios, etc. Athenis ei nocturna sacra fiebant impudicissima. Vid. BAPTÆ. *Cotytton* Probus existimat fuisse saltatricem, cujus mores quotannis referebantur lascivis saltationibus. Vid. *Politian. Miscell.* 10.

> Cecropiam soliti Baptæ lassare *Cotytto.*
> Juv. II, 92.

COTYTTIA. — Festa *Cotyttus.*

> Inultus ut tu riseris *Cotyttia*,
> Vulgata sacrum liberi Cupidinis?
> HOR. *Epod.* XVII, 56 sq.

Cotytton clanculum colebant apud Græcos molles et evirati, ut postea Romani bonam deam, perverso ordine. Vid. *Gyrald. de Diis gent. Syntagm.*

COXA PENDENS. — De tribadibus, tanquam in venerem superpositis. Vid. PENDULA VENUS.

> Lenonum ancillas posita Laufella corona
> Provocat, et tollit *pendentis* præmia *coxæ.*
> JUV. VI, 320 sq.

CRACENTES. — Graciles. (*Fest.*)

CRINES CAPERE. — De virgine quæ nubit; eo quod innuptæ ex usu cirratos capillos gestabant; matronæ vero factæ, comam summo capiti complicabant.

> « Soli gerendum censeo morem, et *capiendos crines.* »
> PLAUT. *Mostell.* I, III, 69.

CRISSARE. — In coitu apte se movere. De mulieribus tantum dicebatur; de viris vero CEVERE.

> *Crissatura*, ut si frumentum clunibu' vannat.
> LUCIL. *Frag.* XI, 14.

Ipsa Medullinæ frictum *crissantis* adorat.
JUV. VI, 322.

Numquid, quum *crissas*, blandior esse potes?
MART. X, LXVIII, 10.

CRISTA. — Pars muliebris pudendi, quæ a Græcis κλειτορις appellatur.

Quum lassata gravi ceciderunt brachia massa,
Callidus et *cristæ* digitos impressit aliptes,
Ac summum dominæ femur exclamare coegit.
JUV. VI, 420 sqq.

CRUDA FOEMINA. — Intacta, innupta.

Et talis tumor excitet papillas,
Quales *cruda* viro puella servat.
MART. VIII, LXIV, 10 sq.

Quæ, velut latis equa trima campis,
Ludit exsultim, metuitque tangi,
Nuptiarum expers, et adhuc protervo
Cruda marito.
HOR. *Od.* III, XI, 9 sqq.

CRUDUS AMOR. — Recens, immaturus. Gallice *un amour naissant.*

Et si *crudus amor*, necdum post flammea toti
Intepuere tori.
STAT. *Thebaid.* II, 341 sq.

CUBARE. — Sæpe sensu venereo.

« Et meus pater nunc intus hic cum illa *cubat.* »
PLAUT. *Amph. Prolog.* 112.

Hunc metuunt omnes; neque mirum : nam mala valde est
Bestia, nec quicum bella puella *cubet.*
CATULL. LXIV, 7 sq.

Gallus homo est bellus : nam dulcis jungit amores,
Cum puero ut bello bella puella *cubet.*
CATULL. LXXIII, 3 sq.

Hinc :

CUBA DEA. — Quæ cubantibus præerat. (*Carol. Steph. Dict. histor.*)

CUCULLUS. — *Cucullo* aut pallio caput obnubebant viri, quum ad scorta irent.

« Invenit filium adulterum, *obvoluto capite*, et non occidit. »
FORTUNAT. *Lib. rhetor.*

« Eum suus pater cum pallio ab amica adduxit. »
NÆV. *apud Gell.* VI, 9.

Cucullus enim indumentum muliebre, quo et etiam utebantur pudibundæ meretrices.

............Dormire virum quum senserat uxor,
Ausa Palatino tegetem præferre cubili,
Sumere nocturnos meretrix Augusta *cucullos*,
Linquebat, comite ancilla non amplius una....
JUV. VI, 116 sqq.

Vid. *Ferrar. de Re vestiaria*, IV, 20.

CUCULLUS - CUCULUS - CUCUS. — Avis ex accipitrum genere, cujus natura est ova sua alieno nido supponere : inde ponitur pro *adultero* a Plauto in *Asinar.*, de sene in lupanari ab uxore deprehenso.

« At etiam cubat *cuculus ;* surge, amator, i domum. »
PLAUT. *Asin.* V, II, 73.

« Cano capite te *cuculum* uxor ex lustris rapit. »
ID. *Ibid.* V, II, 84.

Falso ergo etymo *cuculum* dicunt Galli cujus uxor mœchatur. Vid *Erasm.* et CURRUCA.

CUCUMIS. — Pro mentula, ratione formæ.

« At pudet... num radix fuit?... non fuit... num *cucumis?* Profecto hercle non fuit quidquam olerum !

PLAUT. *Casin.* V, II, 32 sq.

Hinc antiquum proverbium, *cucumere vescens mulier lanam texe*, ideo dici videtur, quia textrices parte plurima veneriæ erant.

CUCURBITARE. — Rem veneream agere. (*Spalman. Gloss. archæologicum.*)

CULEOS. — Pro culo.

Id quod nos culum, *culeon* ille vocat.

Priap. Carm. LXVIII, 6.

CULEX. — Pædico.

Ego nolo florus esse,
Ambulare per tabernas,
Latitare per popinas,
Culices pati rotundos.

HADRIAN. *Epigr. apud Spartian.*

Culices pati, idem est ac θηλύζεσθαι. Vid. *Suid.*

CULTORES. — Pro amasiis.

« Te rogo ne fastidias hominem peregrinum inter *cultores* admittere; invenies religiosum, si te adorari permiseris. »

PETRON. *Sat.*

Gallice *des adorateurs.*

CULTUS. — Corporis cura et ornamentum.

1° *Cultus virorum.* Paucis his verbis fere totus includitur.

Rador, subvellor, desquamor, pumicor, ornor,
Expilor, pingor.....

LUCIL. VII, 6 sq.

2° *Cultus fœmineus.* — (*Cæsar.*)

« *Cultum* dicimus quem mundum muliebrem vocant; ornatum vero quem immundum muliebrem... ille in auro, argento et gemmis et vestibus depulatur : iste, in cura capilli et cutis, et earum partium corporis quæ mentem trahunt. »

TERTULL. *de Habitu muliebri.*

Ad *cultum* suum viros admittebant fœminæ. Inter ornatricum turbam assidebant mœchi, amasii et venerei omnes candidati, consilio manuque juvantes.

« Fuga nostra latuit, donec mulieres expergefactæ surrexerant. Nos enim ad earum *cultum* et ornamentum matutinum quotidie humanissime assidebamus. »

PETRON. *Sat.*

Adde balnea et unctiones, et mollem Romanum habebis.

« Consilium formæ a speculo petunt, et faciem morosiorem a lavacro macerant, et aliquo eam medicamine interpolant. »

TERTULL. *de Virginibus velandis.*

« Quis non disciplinam matris agnovit, quum in puella videret immodicatum os, purpuris satas genas, et illices oculos? »

TERTULL. *Apologet.*

Vid. ORNATRICES.

CULTUS. — Etiam pro ipsa veste.

« Deinde convicium verens, abeundi formavi consilium, collectoque *cultu* meo ire extra casam cœpi. »

PETRON. *Sat.*

CULUS. — Podex : frequentissime de pathicis.

Infelix venter spectat convivia *culi;*
Et semper miser hic esurit, ille vorat.

MART. II, LI, 5 sq.

O furum optime balneariorum,
Vibenni pater, et cinæde fili:

> Nam dextra pater inquinatiore,
> *Culo* filius est voraciore.
>
> CATULL. XXXI, 1 sqq.

CUNNUS. — Vasculum mulieris, quo, licet submissa, regnat, coævosque alligans posteros instruit.

Verbum *cunnus* a græco κυέω, *utero gesto*. Celtice *cwens*, *cona*, *quena*; unde Angli reginam *queen* appellant. Gothi vero *kona* dicebant; Arabes, *kouina;* Cantabri, *emacuema;* Americarum indigenæ, *cougnan*, *couina;* Itali, *pota*. (Vide PUTUS), etc.; notum est verbum græcum βίχος. Vide *Voss. Etym. Ling. latin.*, et *le président de Brosses*, *de la Formation mécanique des langues*. Eodem etymo *cognati* dicebantur parentes materni, tanquam eodem *cunno* nati.

CUNNUS ALBUS. — Mulier ingenua. Matronæ enim peculiaris erat stola candida. Vid MATRONA.

> ..... nolim laudarier, inquit,
> Sic me, mirator *cunni* Cupennius *albi*.
>
> HOR. *Sat.* I, II, 35 sq.

CUNNUS CONSULE NATUS. — Puella nobilis.

> .... numquid ego a te
> Magno *prognatum* deposco *consule cunnum*,
> Velatumque stola, mea quum conferbuit ira?
> Quid responderet? magno patre nata puella est.
>
> HOR. *Sat.* I, II, 69 sqq.

CUNNUS GARRULUS. — Fricatu mentulæ sonans.

> Accessi quoties ad opus, mistisque movemur
> Inguinibus, *cunnus* non tacet, ipsa taces.
> Di facerent ut tu loquereris, et ipse taceret;
> Offendor *cunni garrulitate* tui.
>
> MART. VII, XVIII, 5 sqq.

[redacted]

Vid. POPPYSMA.

CUNNUS OSSEUS. — Ossibus hærens, ut accidit vetulis.

Et anatis habeas orropygium macræ,
Senemque cynicum vincat *osseus cunnus*.

MART. III, XCIII, 12, sq.

CUNNUM LINGERE. — Fœditas Romanis usitatissima.

Non fellat; putat hoc parum virile;
Sed plane medias vorat puellas.
Dî mentem tibi dent tuam, Philæni,
Cunnum lingere quæ putas virile!

MART. VII, LXVII, 14 sqq.

Lingua maritus, mœchus ore Nanneius,
Summœnianis inquinatior buccis;
....
Gaudete, *cunni;* vestra namque res acta est.
Arrigere linguam non potest fututricem.

MART. XI, LXII, 1 sqq.

« Quid! quum Mamercum consulem faceres, ignorabas ancillarum suarum menstrua, ore illius hiante, exspectare? »

SENEC. *in Mamerc.*

CUNNILINGUS. — Substantive.

Pædiconibus os olere dicis.
Hoc si, sicut ais, Fabule, verum est,
Quid tu credis olere *cunnilingis?*

MART. XII, LXXXV, 1 sqq.

« Nam si Sextus ille Clodius *cunnilingus*, hic Gellius juvenis irrumator, par est utriusque obscenitas. »

CIC. *in Orat. pro domo.*

CUNNI GEMINI. — Tribades.

Inter se *geminos* audes committere *cunnos*,
Mentiturque virum prodigiosa venus.

MART. I, XCI, 7 sq.

CUNNI SILIGINEI. — Ex *siligine* fiebant Priapi et etiam

muliebria inguina. *Siligo* vero est pollen farinæ præstantioris, quo panes gratiores conficiebantur, auctore Celso et Varrone.

> Illa *siligineis* pinguescit adultera *cunnis*;
> Convivam pascit nigra farina tuum.
>
> MART. IX, 11, 3 sq.

CUNNUS. — Pro muliere; pars pro toto.

> Quid? nisi tænario placuisset Troica *cunno*
> Mentula, quod caneret non habuisset opus.
>
> *Priap. Carm.* LXIX, 1 sq.

CUPES. — Voluptarius, cupidissimus. (*Lubin. antiquar. Plin.*

CUPIDO. — Deus copulationis, quem natum vult Hesiodus ex Chao et Terra; Simonides et Cicero, ex Marte et Venere; Archesilaus, ex Nocte et Æthere; Alcæus, ex Lite et Zephyro; Sappho, ex Venere et Cælo; Seneca, ex Venere et Vulcano, etc. Vid. *Cic. de Natura deorum* III, et ANTEROS, ubi lepida fabula Porphyrii explanatur.

> « *Cupidinem* cruci affigunt mulieres amatrices, non hæ de nostro seculo, quæ sponte peccant; sed illæ heroicæ, quæ sibi ignoscunt, et plectunt deum. »
>
> AUSON. *in Præfat. Eidyll.* VI.

> Hoc quod amare vocant, misce, aut dissolve, *Cupido*;
> Aut neutrum flammis ure, vel ure duos.
>
> AUSON. *Ep.* LXXVII, 1 sq.

CUPIDO. — *Cupido* et *amor* idem significare videntur; sed est diversitas : *cupido* enim est inconsideratæ necessitatis; *amor* vero judicii. (*Non. Marc.*) Vide AMOR.

[redacted]

Curculio, Gurgulio. (Nam idem sonant.) — Pro pene; ab hujus nominis vermiculo, qui se contrahens et extendens modo quasi continuo, virilis membri formam et mobilem vitam repræsentat.

> Tu quum maxillis balanatum gausape pectas
> Inguinibus quare detonsus *gurgulio* exstat?
>
> Pers. IV, 37 sq.

Curiosus. — Pro zelotypo.

> « Sume ergo amplexum, si placet : neque est quod *curiosum* aliquem extimescas : longe ab hoc loco frater est. »
>
> Petron. *Sat.*

Curruca. — Avis quæ cuculi ova fovere dicebatur. Inde *curruca* dicebatur maritus cujus uxor mœcha. Vid. Cuculus.

> .....Tu credis amorem,
> Tu tibi tunc *curruca* places, fletumque labellis
> Exsorbes.
>
> Juv. VI, 275 sqq.

Custos. — Mere græcum. Pro mulierum pudendis.

> Dum *custon* costonque putas communis odoris,
> Et nardum ac sardas esse sapore pari.
>
> Auson. *Epigr.* CXVII, 5 sq.

Eodem sensu κύσθος legitur in *Arcanensibus* Aristophanis.

Cyllo-onis. — Cui crassa sunt genitalia.

> « Quidquid impudicorum *cyllonumque* et parricidarum, sacrilegorum, debitorum fuit in urbe. »
>
> Cic. *in Sallust.*

Hinc Gallorum et Italorum plebeium verbum, *coyon*, *coglione*, pro stolido viro.

CYMBALA PULSANS. — Pro cinædo : ex Gallis, Cybeles sacerdotibus, more cinædis, et *cymbala pulsare* solitis.

> ..... Meliusne hic rusticus infans
> Cum matre et casulis, et conlusore catello
> *Cymbala pulsantis* legatum fiet amici?
>
> Juv. IX, 60 sqq.

CYNICI. — Quasi latine *canes* diceres. Sic nuncupati non tantum ob impudentiam in rebus venereis, sed propter sordes et immunditiam. Unde *caninum prandium*, pro cœna *cynicorum*, apud *Gell.* XIII, *cap. ult.* et notissimum proverbium *cynice vivere*. Patet ex Laertio Diogenem *canis* in se nomen agnovisse, triplici de causa: 1° quod largientibus adularetur; 2° quod non largientes allatraret; 3° quod morderet improbos.

CYPRIA. — Cognomen Veneris, sic appellatæ, auctore Festo, quod ei primum in *Cypro* insula templum sit constitutum; vel quod parientibus præsideat : κυεῖν enim græce *parere* significat. Veneri puellæ *cypriæ* suam ipsarum pudicitiam dicabant.

DAMN

DALMATICA VESTIS. — Romæ, mollium et cinædorum : ergo in opprobrium.

> « *Dalmaticus* in publico processit. »
>
> LAMPRID. *in Commod.*

Vid. eumdem in *Heliogab.*

DAMNOSUS. — Proprie qui rem suam minuit sumptibus,

[redacted]

sed sua sponte et pro semetipso prodigus. Plautus tamen *damnosos* etiam dicit maritos quorum substantiam vorant uxores profusiori luxu.

« Ditis *damnosos* maritos apud Leucadiam Oppiam. »

PLAUT. *Curcul.* IV, 1, 24.

DAPHNIS. — Antiochiæ suburbium, libidinibus famosissimum. Claudebatur ambitu stadiorum octoginta.

« Et Verus quidem, postea quam in Syriam venit, in deliciis apud Antiochiam et *Daphnem* obiit. »

LAMPRID. *in Heliogab.*

Inde proverbium : *Daphnicis moribus agere.*

DARE. — Absolute : stuprum concedere, *sui copiam facere.* Hoc sensu Græci dicebant παρέχειν, id est *exhibere.*

Quæ *dant*, quæque negant, gaudent tamen esse rogatæ.
. . . .
Hoc opus, hic labor est : primum sine munere jungi,
Si *dederit* gratis, quæ *dedit* usque *dabit.*

OVID. *Art. Amat.* I, 455 sqq.

« Quondam etiam in senatu, defendenti Nisæ causam filiæ Nicomedis, beneficiaque in se regis commemoranti : Remove, inquit, istæc, oro te : quando notum est, et quid ille tibi, et quid illi tu *dederis.* »

SUETON. *in Jul. Cæs.* 49.

« Tace, Chaline ; comprime istum. — Immo istunc qui didicit *dare.* »

PLAUT. *Casin.* II, VI, 10.

DARE LUDUM AMORI. — Indulgere veneri.

« *Datur* concessu omnium huic aliquis *ludus* ætati. »

CIC. *Pro Cœl.*

Miserarum est, neque *amori dare ludum*,
Neque dulci mala vino lavere, aut ex-
animari, metuentes patruæ verbera linguæ.

Hor. *Od.* III, xii, 1 sqq.

Datatim ludere. — Proprio sensu de pila; metaphorice vero de exercitationibus venereis.

« Quasi in choro pila *ludens datatim* dat se et communem facit. »

Enn. *apud Isidor.* I.

« Quum *datatim* in lecto tecum *lusi.* »

Pompon. *Adelph.*

« Tum isti qui *ludunt datatim*, servi scurrarum in via,
Et datores, et factores omnes, subdam sub solum. »

Plaut. *Curcul.* II, iii, 17 sq.

« *Datatim* uxorem ut *ludas.* »

Afran. *apud Non. Marc.*

Dea. — Amasiorum blandimentum usitatissimum.

« Puella supplicatur, ut in humanis vultibus *deæ* tanta numina placentur. »

Apul. *Met.* IV.

« Itaque miranti, et toto mihi cælo clarius nescio quid reluscente, libuit *deæ* nomen quærere. »

Petron. *Sat.*

Deamare. — Valde, vehementius amare.

« Voluptatem capio maximam, cruciari tua te culpa, qui det, et de illa pessuma, quam *deamas*, promerere. »

Afran. *apud Non. Marc.*

December. — Mensis ex ritu lascivus, et publicæ impudicitiæ.

« *December* est mensis quo maxime civitas desudat. Jus luxuriæ

publicæ datum est, tanquam quidquam inter Saturnalia intersit et dies rerum agendarum. »

SENEC. *Epist.* 18.

DEDOLARE. — Radere; translatum ad obscena.

« Inclinatam dolio pronam uxorem fabri super incurvatus secure *dedolavit.* »

APUL. *Met.*

DEDUCERE. — Verbum nuptiale. Novam nuptam ad maritum adducere.

« Nam bona uxor, si ea *deducta est* usquam gentium, Ubi eam possim invenire? »

PLAUT. *Mil.* III, I, 91 sq.

Ut juveni primum virgo *deducta* marito
Inficitur teneras ore rubente genas.

TIBULL. III, IV, 31 sq.

« Huic primum nuptiarum dies loco funeris fuit, *deductæ* in domum, in qua nil nisi luctuosum haberet. »

TACIT. *Annal.* XIV, LXIII.

Quum primum cupido Venus est *deducta* marito.

OVID. *Fast.* IV, 153.

DEFORMARE. — Puellam devirginare.

« Priusquam isto calvitio *deformaretur.* »

APUL. *in Apolog.*

Vid. eumdem, *Met.* I.

DEFRUI. — Valde amare, amore perire. (*Fest.*)

DEFUTUTUS. — Venere tritus. Hic DE auget, ut supra in verbo DEAMARE.

Acme illa, puella *defututa*,
Tota millia me decem poposcit,
Ista turpiculo puella naso,
Decoctoris amica Formiani.

CATULL. XXXIX, 1 sqq.

Deglubere. — Proprie gluba sua granum nudare; turpi vero translatione, ad tractationem illam qua mulieres medios viros ad patrationem excitant. Vilissimum scrupedarum officium.

Illa Lesbia, quam Catullus unam
Plusquam se atque suos amavit omnes,
Nunc in quadriviis et angiportis
Glubit magnanimos Remi nepotes.

Catull. LIV, 2 sqq.

Deglubit, fellat, molitur per utramque cavernam.

Auson. *Epigr.* LXX, 7.

« *Deglupta* mœna, Sarrapis sementium. »

Plaut. *Pœnul.* V, v, 33.

Deintegrare. — Dicebatur de puella, cujus pudicitia imminuta erat.

« Nomen virginis, nisi mirum est, *deintegravit*. »

Cælius *apud Non. Marc.*

Delectari mulierem. — Cum illa rem habere.

« Deprehensus est quum dominam suam *delectaretur*. »

Petron. *Sat.*

Delenire. — Verbum venereum. Blanditiis ad stuprum adducere.

Concedat homini id, quod vult *deleniat*,
Corrumpat prorsus, ac nervos omnes eligat.

Lucil. *Frag.* XXVIII.

Quo loco legere debemus *deleniat* et non *deliniat*, ut docet *Jan. Douz. in Præcid. ad Tibull.* Sic *delenifica facta* apud Plautum, et *delenificum ingenium* apud Turpillium. Simplex enim verbi *delenire*, est *lenire*, unde *leno* et *lenocinium*.

Præservit, labra delicat, hinc *delenit* amore.

Centones Luciliani, X, 4.

DELIACI. — Spadones : ex insula *Delo*, in qua celeberrimum erat emporium eunuchorum.

Huc huc convenite spatalocinædi,

....

Molles, veteres, *Deliaci* manu recisi.

PETRON. *Sat.*

DELIBARE OSCULA. — Verbum Apuleii suavissimum; quasi decerpere flores ; nam *libare* de floribus dici potest.

Olli, purpurea *delibantes* oscula,
Clemente morsu rosea labella vellicent,
Malas adorent ore et ingenuas genas.

APUL. Ἀνεχόμ. 6 sqq.

DELICARE.—Verbum antiquum, pro explanare, aperire. Vide *Non. Marc.* in verbo *delica*. Sæpe ad venerem translatum.

Nemo istum ventrem pertundet, *delicet* uti,
Atque videbis.

LUCIL. *Frag.* XXX, 80 sq.

Quid dare, quid sumpti facere ac præbere potissit
Præservit, labra *delicat*, hinc delenit amore.

Centones Luciliani, X, 3 sq.

DELICATUS. — Proprie amans otii.

Hesterno, Licini, die otiosi
Multum lusimus in meis tabellis,
Ut convenerat esse *delicatos*.

CATULL. XLVII, 1 sqq.

DELICATUS. — Mollis, lascivus, ad venerem propensior.

« Libidinosa et *delicata* juventus. »

CIC. *ad Attic.* I, 16.

Ipse Amor, puer Dionæ, rure natus dicitur;
Hunc ager, quum parturiret ipsa, suscepit sinu:
Ipsa florum *delicatis* educavit osculis.

Pervigil. Vener. 76 sqq.

Cui quum sit viridissimo nupta flore puella,
Et puella, tenellulo *delicatior* hædo,
Asservanda nigerrimis diligentius uvis.

CATULL. XVII, 14 sqq.

DELICATA. — Pellex, meretrix.

« Inter hæc, Flaviam Domitillam duxit uxorem... *delicatam* olim, latinæque conditionis. »

SUET. *in Vespas.* 3.

Vid. *Turneb. Adv.* XXII.

DELICATA. — Ex lapidibus, pro ancilla, dominæ suæ ad veneris furta simul consiliaria et conciliatrice. Vide *Winkelm. Monument. inedit.* pag. 244.

DELICATI. — Servi et eunuchi in *deliciis* domini.

« Quosdam a gratissimis *delicatorum*, quamquam tam artifices saltationis, ut mox scenam tenuerint, non modo fovere prolixius, sed spectare in publico omnino cœtu supersedit. »

SUETON. *in Tit.* 7.

« *Delicatum* hodie te faciam cum catello ut accubes. »

PLAUT. *Curcul.* V, III, 13.

DELICIÆ. — Voluptates venereæ.

Delicias viduæ tantum adspernatur adulter.

JUV. IV, 4.

DELICIA. — Singulari numero, apud Plautum.

« Non licet te sicce, placide bellam belle tangere? Otium tibi erit, tum tibi operam ludo et *deliciæ* dabo. »

PLAUT. *Rud.* II, IV, 12 sq.

Vide *Non. Marc.*

Delicium. — Neutro genere.

> *Delicium*, blanditiæ, ludus, amor, voluptas,
> Barbara, etc.
>
> Auson. *Eidyll.* XXVII, *de Bissula.*

Deliciæ. — De personis.

> Formosum pastor Corydon ardebat Alexin,
> *Delicias* domini.
>
> Virgil. *Eclog.* II, 1 sq.

> *Deliciæ* populi, magno notissima circo,
> Quinctia, etc.
>
> *Priap. Carm.* XXVI, 1 sq.

« Ego sum Philostri villici filius, *deliciolum* tuum. »
Senec. *Epist.* II.

« Populus etiam *deliciolum* factus est. »
Idem, *Ep.* XII.

Delicias facere. — Lascivire.

« . . . *Delicias facis*, mi Menæchme; quin amabo : is intro. »
Plaut. *Menæch.* II, iii, 30 sq.

> Gellius audierat, patruum objurgare solere,
> Si quis *delicias* diceret aut *faceret.*
>
> Catull. LXIX, 1 sq.

Delumbis. — Mollis, effœminatus, parum virilis.

> , ... Summa *delumbe* saliva
> Hoc natat in labris.
>
> Pers. I, 104 sq.

Demori. — Perdite amare.

« Ea *demoritur* te, atque ab illo incipit abire : odit senem. »
Plaut. *Mil.* IV, i, 23.

Gallice *mourir d'amour.* Eodem sensu :

> Quæ nunc, si mihi vera nuntiantur,
> Illum *deperit* impotente amore.
>
> Catull. XXXII, 11 sq.

Depilatus. — Mollis, pathicus.

« In senatu flentem vidimus F. Cornelium Nasonis (Ovidii nostri) generum, quum illum Corbulo struthiocamelum *depilatum* dixisset. »

Senec. *de Constant. sap.* 17.

Depositus. — Ad venerem invalidus; quasi diceres *defunctus*. *Deponi* enim dicebantur mortui, quum de lecto ad feretrum transveherentur.

« Dum hæc ago, solertique cura *deposito* meo caveo, intravit delubrum anus, laceratis crinibus nigraque veste deformis; extraque vestibulum, me, injecta manu, duxit cuncta trementem. »

Petron. *Sat.*

Depsere. — Proprio sensu, manibus aliquid pinsere.

« Deinde manibus bene *depsito*. »

Cato *de Re Rustic.* VII, 6.

« Sed tibi fortasse alius molit ac *depsit*. »

Varr. *Myst.*

« Batuit, inquit, impudenter; *depsit*, multo impudentius. »

Cic. *ad Pæt.*

A græco δεψσεῖν.

.... patrui *perdepsuit* ipsam
Uxorem, et patruum reddidit Harpocratem.

Catull. LXIX, 3 sq.

Vide Condepsere.

Depudicare. — Pudicitiam auferre. (*Lubin. Antiquar.*; *Gell.* XVI, 7.)

Depygis. — Mulier clunibus acutis et aridis. Gallice, *femme qui n'a pas de hanches*; ἄπυγος.

Quæ mala sunt spectes. O crus! ô brachia! verum
Depygis nasuta, brevi latere, ac pede longo est.

Hor. *Sat.* I, II, 93 sq.

Sic eodem sensu :

Hietque turpis inter aridas nates
Podex, velut crudæ bovis.

HOR. *Epod.* VIII, 5 sq.

DESCENDERE. — Prostare. Verbum flagitiosum.

Multus homo es, Naso, neque tecum multus homo, sed
Descendis, Naso, multus es et pathicus.

CATULL. CVII, 1 sq.

.... plausuque probatæ
Ad terram tremulo *descendant* clune puellæ.

JUV. XI, 163 sq.

DESECTUS. — Castratus.

Desectos sic fama viros, ubi cassa libido
Fœmineos cœtus, et non sua bella lacessit,
Irrita vexato consumere gaudia lecto.

AUSON. *Epigr.* CXXV, 1 sqq.

DESIDERIUM. — Vocabulum amatorium.

« Et teneo te, inquit, qualem speraveram : tu *desiderium* meum, tu voluptas mea, nunquam finies hunc ignem, nisi sanguine exstinxeris. »

PETRON. *Sat.*

« Meum *desiderium*, mea lux. »

CIC. *ad Terentiam.*

Et acris solet incitare morsus,
Quum *desiderio* meo nitenti
Carum nescio quid lubet jocari.

CATULL. II, 4 sqq.

DESIDERII POCULUM. — Philtrum ad amorem excitandum. Tali veneficio periisse dicuntur Lucullus et Lucretius poeta.

Possum crematos excitare mortuos,
Desiderique temperare *poculum*, etc.

HOR. *Epod.* XVII, 79 sq.

Vide PHILTRUM.

DESIDIABULUM. — Lupanar. (*Lubin. Antiq.*)

« ... Ut celem patrem, Pistoclere, tua flagitia, aut damna, aut *desidiabula.* »

PLAUT. *Bacch.* III, 1, 8 sq.

DESPONDERE. — Proprie de patre adolescentis, qui virginem in uxorem petit; *spondere* vero de patre filiam concedente. Vid. *Alberic. Gent. de Nupt.* II, 2.

DESTINARE PUELLAM. — Sibi aut aliis conciliare.

« Ad lenonem devenit, Minis triginta sibi *puellam destinat*, Datque arrhabonem. »

PLAUT. *Rud. Prolog.* 44 sqq.

« Facio, ad lenonem venio, tribus in libertatem millibus *Destinat.* »

LUCIL. *Frag.* XXVII, 11 sq.

Destinare dicebatur etiam de honestis nuptiis.

« Pacto conjugali *destinatus.* »

APUL. *Met.* IV.

DESTITUERE NUDUM. — Pædicare.

« Ut ille in demiurgo modo (forte nosti canticum, meministi Roscium), ita me *destituit nudum* : totus est sermo verbis tectus, re impudentior. »

CIC. *ad Fam.* IX, 22.

DESULTOR. — Levis, instabilis in amore. Gallice *un inconstant.* Translatum ab equisonibus, qui sæpe equos mutant.

« ... Non sum *desultor* amoris. »

OVID. *Am.* I, III, 15.

« Tu sali Solus : nam ego istam *insulturam* et *desulturam* nihil hic moror. »

PLAUT. *Mil.* II, III, 8 sq.

DESUBULARE. — Perfodere. Vid. SUBULARE.

« Unam veniam esse, non amovisse duce virtute, hanc esse nobilem, alteram Carneadem *desubulasse*, bona corporis secutum. »

VARR. *Sesquiulysse.*

DETESTATIO. — Coleorum amputatio.

« Ob id truces vesanosque adhibita tali *detestatione*, mansuetos et inde factos. »

APUL. *Met.* VII.

DEVERRA. — Ex tribus deis mulierum fœtarum custodibus.

« Mulieri fœtæ, post partum, tres deos custodes Varro commemorat adhiberi, ne Sylvanus deus per noctem ingrediatur et vexet : eorumque custodum significandorum caussa, tres homines nocte circuire limina domus, et primo limen ferire securi, postea pilo, tertio *deverrere* scopis, ut his datis culturæ signis, deus Sylvanus prohibeatur intrare, quia neque arbores cæduntur aut putantur sine ferro, neque far conficitur sine pilo, neque fruges coacervantur sine scopis; ab his autem tribus rebus tres nuncupatos deos, *Intercidonam* a securis intercisione, *Pilumnum* a pilo, *Deverram* a scopis. »

AUGUST. *de Civ. Dei.* VI, 9.

Vid. *Rom. triumphant. lib.* I.

DEVIRGINARE. — Puellæ virginitatem auferre.

« Quum hoc diceret, ad aurem ejus Psyche ridens accessit, et quum dixisset nescio quid : Ita, ita, inquit Quartilla, bene, admonuisti : cur non, quia bellissima occasio est, *devirginaretur* Pannychis nostra ?

PETRON. *Sat.*

Devirginatus. — Dicebatur etiam de puero pubertatem adepto.

« Quam sympathiam libidinis oculi haberent, quid magnum interesset, puerum utrum esset *devirginatum* usurus, an μόνον ἐρώσας purus, dum cogito. »

Varr. *apud Non. Marc.*

« In Ægypto primum *devirginata* est. »

Hieron. *Epist.* XV.

Vid. *Paull. lib. ult. de Off. præsid.*

Devotæ. — Virgines deo dicatæ. Vid. *Hieronym. ad Eustoch. de Custodia virginitatis.*

Fœminei sexus odium tibi semper : et inde
Crevit *devotæ* virginitatis amor.

Auson. *Parent.* VI, 7 sq.

Diana. — Semper virgo ex dono Jovis. Inde, Daphne apud Ovidium :

Da mihi perpetua, genitor carissime, dixit,
Virginitate frui ; dedit hoc pater ante *Dianæ.*

Ovid. *Met.* I, 485 sq.

Ludis sæcularibus, *Dianam* concelebrabant puellæ et pueri intacti. Vid. *Politian. in Miscellaneis.*

Dianæ sumus in fide,
Puellæ et pueri integri ;
Dianam, pueri integri,
Puellæque, canamus.

Catull. XXXII, 1 sqq.

Tametsi virgo, *Diana* tamen puerperio præerat.

« *Diana* dicta, quia noctu quasi diem efficeret. Adhibetur autem *ad partus*, quod ii maturescunt aut septem nonnunquam, aut, ut plerumque, novem lunæ cursibus. »

Cic. *de Nat. deor.* II.

DIAPASMA. Διάπασμα. — Unguentum ex siccis odoribus, ad usum mulierum corpore male olentium.

> Quid quod olet gravius mistum *diapasmate* virus,
> Atque duplex animæ longius exit odor.
>
> MART. I, LXXXVIII, 5 sq.

Vid. *Junii Nomenclat.* 49.

DIARIUM. — Victus quotidianus. Ad venerem translatum.

> « Mox manum etiam demisit in sinum, et pertracto vasculo tam rudi: Hoc, inquit, belle cras in promulside libidinis nostræ militabit : hodie enim post asellum *diaria* non sumo. »
>
> PETRON. *Sat.*

DICTA PUELLA. — Promissa, sponsa.

> Cui pater, et conjux quondam tua *dicta*, relinquor?
>
> VIRG. *Æneid.* II, 678.

Vid. *Non. Marc.*

DIDO. — Regina Carthaginiensium, sat Virgilio illustrata; proprio nomine Elisa; sed postea *Dido* dicta, id est *virago* lingua punica, ob virilem mortem suam. (*Serv. in Æneid.* I, 36, et IV, 4.) Vid. VIRAGO.

DIDYMI. Δίδυμοι. — Gemelli, bini; pro coleis. (*Galenus in Libello isagogico.*) Vid. *Cæl. Rhod.* VII, 4.

DIES FESTI. — Coitu abstinebant Romani diebus publicæ solemnitatis.

> Ille petit veniam, quoties non abstinet uxor
> Concubitu *sacris observandisque diebus*;
> Magnaque debetur violato pœna Cadurco.
>
> JUV. VI, 535 sqq.

Vid. *Tiraquell. de Lege connubii, lib.* XXXV, *Glos.* I, *num.* 3.

DIES UNCTI. — Subauditur *vino* et *unguentis*. Dies salaces et libidinosi ; ut Floralia, Saturnalia, festa Veneris et Priapi, etc.

> *Unctis* falciferi senis *diebus*,
> Regnator quibus imperat fritillus,
> Versu ludere non laborioso
> Permittis, puto, pileata Roma.
>
> MART. XI, VII, 1 sqq.

DIFFUTUTUS. — Venere tritus et confectus.

> Eone nomine imperator unice
> Fuisti in ultima occidentis insula,
> Ut ista vestra *diffututa* mentula
> Ducenties comesset, aut trecenties ?
>
> CATULL. XXVII, 12 sqq.

DIGITUS INFAMIS, IMPUDICUS. — Signum infame : σκιμαλίζειν enim est, prætentare digito an gallinæ ova conceperint. Inde Athenienses medium digitum *catapygon* adnominabant, tanquam cinædum. Vid. *Alex. ab Alex.*

> ....Frontemque, atque uda labella
> *Infami digito*, et lustralibus ante salivis
> Expiat, urentes oculos inhibere perita.
>
> PERS. II, 32 sqq.

« Neque enim unquam verbis pepercit infamibus, quum et *digitis impudicitiam* ostentaret. »

LAMPRID. *in Heliogab.*

> Rideto multum, qui te, Sextille, cinædum
> Dixerit, et *digitum* porrigito *medium*.
> Sed nec pædico es, nec tu, Sextille, fututor ;
> Calda Vetustillæ nec tibi bucca placet.
> Ex istis nihil es, fateor, Sextille ; quid ergo es ?
> Nescio ; sed tu scis res superesse duas.
>
> MART. II, XXVIII, 1 sqq.

Vid. AVERSA VENUS.

Digitulo caput scabere. — Signum impudicorum et pathicorum.

« Impudicum et incessus ostendit, et manus mota..... et *relatus ad caput digitus*, et flexus oculorum. »

Senec. *Epist.* 52.

....................Undique ad illos
Convenient et carpentis et navibus omnes,
Qui *digito scalpunt uno caput.*

Juv. IX, 131 sqq.

Diobolares, Diobolæ. — Scorta quæ parvo stipendio prostant; humillimorum prostibula.

« *Diobolare* prostibulum, quam ego actutum ut Dircen partitam reddam. »

Pammachius, *apud Fulgent. de Prisco serm.*

« Non ego sic fui, ut nunc sunt meretrices *diobolæ*, Quæ suam, nummi caussa, parvi pendunt gratiam. »

Pacuv. *apud eumd.*

« Apud anum illam *diobolarem.* »

Plaut. *Pseud.* II, II, 64.

« Servulorum sordidulorum scorta *diobolaria.* »

Idem, *Pœnul.* I, II, 58.

Dione. — Una ex nymphis Oceani, Veneris mater ex Jove : unde *Dionæa* sæpe cognominatur Venus ipsa.

Sacra *Dionææ* matri, divisque ferebam
Auspicibus cœptorum operum.

Virgil. *Æneid.* III, 19 sq.

Cærulas inter catervas, inter et bipedes equos,
Fecit undantem *Dionem* de maritis imbribus.

Pervigil. Ven. 10 sq.

....................Primumque *Dione*
Cæsaris acta sui ducit : comes additur illi
Pallas, et ingentem quatiens Mavortius hastam.

Petron. *Sat.*

[redacted]

Vide *Catull.* LII, 6.

DISCINCTUS.— Mollis, pathicus, libidinosus; nam, teste Turnebo, *Adv.* XXII et XXIII, zona apud veteres indicium erat vitæ castæ et emendatæ.

Et contra cincticulus fluxior, mollis ac dissoluti viri. Hoc sensu verba Sullæ de C. Cæsare :

« *Male præcinctum* puerum caveatis. »

SUET. *in Jul. Cæs.* 45.

« Habuit enim ingenium grande et virile, nisi illud ipse *discinxisset.* »

SENEC. *Epist.* 92, *ubi de Mæcenate.*

Dum ne deterius sapiat pannucia Baucis,
Quum bene *discincto* cantaverit ocyma vernæ.

PERS. IV, 21 sq.

Vide eumdem, III, 31.

Nugari cum illo, et *discincti* ludere, donec
Decoqueretur olus, soliti.

HOR. *Sat.* II, 1, 73 sq.

DISERTÆ. — Ridiculum genus mulierum, quæ negata a natura venustate, deficientibus viris, ad musas confugiebant. Tanta erat hujus generis fatuitas, ut doctissimos in contentionem auderent vocare, *Celso dictare paratæ.* (*Juv.* VI, 245.) Galli simili irrisione dicunt, *les femmes savantes.*

Quæris cur nolim te ducere, Galla? *diserta* es.
Sæpe solœcismum mentula nostra facit.

MART. XI, XX, 1 sq.

DIVARICARE PEDES. — Verbum nuptum. In diversum disjungere viro ineunti.

« *Divaricabit pedes* suos omni transeunti. »

HIERON. *Ep. ad Antioch.*

[redacted]

Divellere pilos. — Cultus mollium et semivirorum. Vellebant præsertim pathici :

Axillas ; unde *alipili* dicti, qui alas curabant. Sic, et e contrario, de juvene rudi et squalido :

> Sed caput intactum buxo, naresque pilosas
> Adnotet, et grandes miretur Lælius alas.
>
> Juv. XIV, 194 sq.

« Alter se justo plus colit, alter se justo plus negligit ; ille et *crura*, hic nec *alas* quidem *vellit.* »

Senec. *Epist.* 115.

Crura.

> Omnia nunc contra : vultus gravis, horrida siccæ
> Silva comæ, nullus tota nitor in cute, qualem
> Bruttia præstabat calidi tibi fascia visci :
> Sed fruticante pilo neglecta et squalida crura.
>
> Juv. IX, 12 sqq.

Faciem unguento decutiebant, nec non pilos qui, ex ordine succrescentes, frontis formam offendebant.

> Psilothro faciem lèvas et dropace calvam.
> Numquid tonsorem, Gargiliane, times ?
>
> Mart. III, lxxiv, 1 sq.

Brachia.

> Bellus homo est, flexos qui digerit ordine crines,
> ....
> Qui movet in varios *brachia vulsa* modos.
>
> Mart. III, lxiii, 3-6.

Manus.

> Et *pumicata* pauperes *manu* monstras.
>
> Mart. V, xli, 6.

Nares. Vide supra Juvenalem, ubi de axillis.

> Inque cava nullus stet tibi *nare* pilus.
>
> Ovid. *Art. Am.* I, 520

Pudenda.

Inguina quod calido levas tibi dropace, causa est:
Irritant volsas levia membra lupas.
Sed quod et elixo plantaria podice vellis,
Et teris incusas pumice clazomenas;
Causa latet.

AUSON. *Epigr.* CXXIII, 1 sqq.

Quum *depilatos*, Chreste, *coleos* portes,
Et vulturino mentulam parem collo,
Et prostitutis lævius caput culis,
Nec vivat ullus in tuo pilus crure, etc.

MART. IX, XXVII, 1 sqq.

Sic glossis græco-lat.: *dropacista-colipilarius.*

Supercilia, et totum corpus; perditorum modus et sycophantarum.

« Nonne ipsum *caput*, et *supercilia* illa penitus abrasa, olere malitiam, et clamitare calliditatem? Nonne ab imis unguibus, usque ad verticem summum, (si quam conjecturam adfert hominibus tacita corporis figura) ex fraude, fallaciis mendaciisque constare totus videtur? qui idcirco capite et superciliis semper est rasis, *ne ullum pilum viri boni habere dicatur.* »

CIC. *pro Rosc.*

Pilos evellebant Romani, aut ferreis instrumentis, aut glutinosis medicaminibus: abradebant novaculæ (*Mart.* II, LXVI; XI, LIX) et volsellæ (*Cic. Mart.* IX, XXVIII.) Medicamenta sunt: *dropax* (*Mart.* III, LXXIV; X, LXV, etc.), *psilothrum* (*Mart.* III, LXIV; VI, XCIII.) et *calida pix*, de qua *Juvenalis*, VI et IX.

Psilothro præcipue utebantur mulieres.

« In balneis semper cum mulieribus fuit, ita ut et eas ipse *psilothro* curaret; ipse quoque barbam *psilothro* accurans,

[redacted]

quodque pudendum dictu est, eodem quo mulieres accurabantur, et eadem hora. »

LAMPRID. *in Heliogab.*

Non solum axillas, sed et pudenda levabant meretrices.

Inguina quod calido levas tibi dropace, causa est :
Irritant *volsas* levia membra lupas.

AUSON. *Epigr.* CXXIII, 1 sq.

DIVIDERE. — Hillas cædere. (*Laber.*) Pædicare.

« In verbis honestis obscena ponimus. Quid enim? non honestum verbum est *divisio?* at inest obscenum, cui respondet *intercapedo.* »

CIC. *Epist. ad Pæt.*

« CO. Me quidem, hercle, dicam palam, *non divides.* Si quo tu totum me ire vis, operam dabo. ST. Bellum et pudicum prostibulum popli. Post, si quis vellet te, haud non velles *dividi?*

PLAUT. *Aulul.* II, IV, 4 sqq.

Notat Drusius Hebræos verbum etiam habere quod, in obscenis, verbo latino *dividere* respondeat. (*De Quæsit. per epist.* 114.)

« Nec se solum intra verba continuit, sed lorum de pera solvit, et me cœpit non perfunctorie verberare, adjectis etiam petulantibus dictis. Sic *dividere* cum fratre nolito. »

PETRON. *Sat.*

Hinc :

DIVISORES. — Pro pædiconibus. (*Joann. Richardi notæ in Petron.*)

DIVORTIUM. — *Divortiorum* intemperantiæ modum imposuit Augustus (*Sueton.*) Tiberius ipse quemdam e

quæstura removit, quod uxorem postridie nuptiarum repudiasset; et Domitianus albo judicum expunxit equitem quemdam, quod uxorem suam, antea dimissam, iterum duxerat. (Vid. *Rom. triumphant. lib.* VIII.)

Sed, inquit Tertullianus, decreta illa cito evicere licentia et libido, *ita* ut *repudium jam votum erat, quasi matrimonii fructus.* (*Tertull. Apologet.* 6.) Vide REPUDIUM.

DOCTUS. — Libidinum peritus.

« Nec se rejiciebat a blanditiis *doctissimus* puer; sed me numen inimicum ibi quoque invenit. »

PETRON. *Sat.*

..............Ille virentis et
Doctæ psallere Chiæ
Pulchris excubat in genis.

HOR. *Od.* IV, XIII, 6 sqq.

Deliciæ populi, magno notissima circo,
Quinctia, vibratas *docta* movere nates.

Priap. Carm. XXVI, 1 sq.

DOMI-DUCUS. — Deus nuptiarum, advocatus quum ad mariti domum ducenda esset uxor. (*Triumph. Rom. lib.* I.) Mos enim erat Romanorum in domum mariti novas nuptas, et quidem velatas, traducere; quod fiebat vespere, tædis ac facibus præeuntibus; nam noctu nubebant. Vide NUPTIÆ.

« Sed domum ducenda est quæ nubit; adhibetur deus *Domiducus.* »

AUGUSTIN. *de Civ. Dei*, VI, 9.

DOMINA. — Pro puella amata. Gallice *une maîtresse.*

Urit et excruciat dominum Thelesina priorem ;
Vendidit ancillam , nunc redimit *dominam*.

MART. VI, LXXI, 5 sq.

« Fatear me, *domina*, sæpe peccasse. »

PETRON. *Sat.*

DOMINA. — Pro uxore.

Rumpis, Basse, latus, sed in comatis,
Uxoris tibi dote quod parasti.
Et sic ad *dominam* reversa languet
Multis mentula millibus redempta.

MART. XII, XCVII, 4 sqq.

Ac domum *dominam* voca
Conjugis cupidam novi.

CATULL. LVI, 31 sq.

Scriptum enim erat in Romuli Tabula, teste Festo:

« Mulier vero legitime conjuncta , fortunæque et sacrorum socia esto, ut ille *dominus*, et hæc *domina* vocetur. »

DOMINUS. — Pro marito. Vide supra.

..........................Connubia nostra
Reppulit, ac *dominum* Ænean in regna recepit.

VIRGIL. *Æneid.* IV, 213 sq.

DOMINUS. — Pro mulieris amasio.

« *Domini* et mulierum amatores. »

NON. MARC.

DOMINUS. — Pro catamito.

Vendere, Tucca, potes centenis millibus emptos ?
Plorantes *dominos* vendere, Tucca, potes ?
. . . .
Vende senes servos, agros et vende paternos ;
Ne pueros vendas, omnia vende, miser.

MART. XI, LXXI, 1 sqq.

DOMITIUS. — Deus nuptiarum, rogatus ut uxor domi

maneat ad curam rerum familiæ. (*Triumphantis Romæ lib.* I.)

DORIS.—Communi appellatione hoc nomine vocabantur meretrices quæ nudæ incedebant, more nympharum, quarum mater *Doris* ex Nereo.

.. An melior quum Thaida sustinet, aut quum
Uxorem comœdus agit, vel *Dorida* nullo
Cultam palliolo.

JUV. III, 93 sqq.

DORMIRE. — Verbum nuptum, pro concumbere; sensu venereo.

« Et ne putetis perplexe agere, rogo ut adolescentulus mecum nocte *dormiat*, nisi illud tam rigidum reddidero quam cornu. »

PETRON. *Sat.*

Cum sene non puduit talem *dormire* puellam,
Et canæ toties oscula ferre comæ.

PROPERT. II, XIX, 17 sq.

Fartus papyro dum tibi torus crescit,
Flentes superbus basiabit eunuchos;
Tuoque tristis filius, velis, nolis,
Cum concubino nocte *dormiet* prima.

MART. VIII, XLIV, 14 sqq.

DOS.

Quæ *dos* matronæ pulcherrima? vita pudica.

AUSON. *Sententiæ septem sapientium. Bias.*

Sæpe in conjugiis fit noxia, si nimia est.... *dos.*

AUSON. *Technopægnion. de inconnexis.*

DOTATA MULIER VIRUM REGIT. — Adagium Romanorum, hic notandum ad utilitatem ævi nostri.

« Argentum accepi, dote imperium vendidi. »

PLAUT. *Asin.* I, I, 74.

Et etiam apud eumdem, Megadorus, Euclionis gener, post multa dotatæ uxoris incommoda :

« Hæ sunt (inquit) atque aliæ multæ in magnis dotibus Incommoditates, sumtusque intolerabiles. Nam quæ indotata est, ea in potestate est viri ; *Dotatæ* mactant et malo et damno viros. »

PLAUT. *Aulul.* III, V, 58 sqq.

Nec *dotata regit virum*
Conjux, nec nitido fidit adultero.
Dos est magna, parentium
Virtus, et metuens alterius viri
Certo fœdere castitas.

HOR. *Od.* III, XXIV, 19 sqq.

DRAUCI. — Agentes in pædicatione, ad usum pathicorum. Stabant *drauci* in balneis et gymnasiis, operam hirsutis vendentes. Plerique fortiter mentulati.

..........Adspicit nihil sursum ;
Sed spectat oculis devorantibus *draucos*,
Nec otiosis mentulas videt labris.

MART. I, XCVII, 11 sqq.

Harpasto quoque subligata ludit,
Et flavescit haphe, graveisque *draucis*
Halteras facili rotat lacerto.

MART. VII, LXVII, 4 sqq.

DUCERE. — Verbum nuptiale. Ex ritu, novam nuptam maritus in domum suam *ducebat*, similitudine raptus Sabinarum. Inde et brevi sermone vir in connubiis *ducere* dicebatur, mulier vero *nubere*.

Uxorem quare locupletem *ducere* nolim
Quæritis ? uxori *nubere* nolo meæ.
Inferior matrona suo sit, Prisce, marito :
Non aliter fiunt fœminæ virque pares.

MART. VIII, XII, 1 sqq.

Uxorem nolo Thelesinam *ducere*; quare?
Mœcha est. Sed pueris dat Thelesina: volo.
MART. II, XLIX, 1 sq.

DUCERE PRÆPUTIUM. — Masturbari.

Abditus interea latet, et secretus adulter,
Impatiensque moræ silet, et *præputia ducit*.
JUV. VI, 237 sq.

DUCTARE. — Puellam sibi ad stuprum comparare; cum illa venerem agere.

« Ut phaleratis dictis *ductas* me, et meam *ductes* gratis. »
TERENT. *Phorm.*

« Quid modi est? *ductando*, amando, numquamne expleri potes?
PLAUT. *Asin.* I, III, 17.

Eodem sensu intelligenda sunt hæc Quintiliani verba, lib. VIII, cap. III:

« *Ductare exercitus*, et *patrare bellum* apud Sallustium dicta sancte et antique, ridentur a nobis, si diis placet. »

DUELLUM. — Ad veneream militiam translatum.

Tandem progredere, et *duellum* anhelis
Audax militibus cieto miles:
. . . .
Virgo cypriacis potens sagittis
Illa in lubriculum vocat *duellum*.
PETRON. *Phaleuc.* 26 sqq.

Vide MILITARE.

DIONYSIA. — Festa in honorem Bacchi, apud Græcos flagitiosissima. Per noctem enim viri et fœminæ, inter vina et epulas, promiscue coibant. Unde proverbium illud:

Qui Curios simulant, et Bacchanalia vivunt.

Juv. II, 3.

Dionysiis phallum gestabant, id est ficulna veretra a collo propendentia ; unde *phallagogia* dicebantur Bacchi sacra, et phallorum pompa *periphallia* nuncupabatur. Vid. *Plutarch. in Morali, Herodot., Juvenalis annotatores, et Erasm. adag. : Baccheo more*, etc.

DYSEROS. — Infelix in amore. Mere græcum, a particula δὺς, *ægre*, et ἔρως, *amor*. Vide *Auson. epigr.* XC.

EFFO

EBLANDIRI. — Puellam blanditiis ad stuprum adducere. Gallice *séduire une femme*.

« Neque enim omnes emebat aut *eblandiebatur ;* sed vim etiam adhibebat : pretiosumque viris et parentibus erat, moram, incommoda severitate, libidini regiæ fecisse. »

TIT. LIV. XXVII, 31.

EDERE. — Inter obscena. Vide EXEDERE.

EFFECTUS. — Effusio seminis, patratio.

« Ille lento parebat imperio, puellæque artificium pari motu remunerabat. Quum ergo res ad *effectum* spectaret, clara Eumolpus voce exhortabatur Coraca, ut spissaret officium. »

PETRON. *Sat.*

EFFODERE. — Verbum flagitiosum. Vide FODERE. Frequentissima translatione rei rusticæ ad venereas libidines.

« *Effodere* hercle hic volt, credo, vesicam villico. »

PLAUT. *Casin.* II, VIII, 22.

Effœminatus. — Qui muliebria patitur.

> Quicumque fur fefellerit fidem nostram,
> *Effœminato* marceat procul culo.
>
> *Priap. Carm.* LVIII, 1 sq.

Egeria.—Nympha, cui prægnantes sacrificabant, ut conceptus alvus facilius *egeretur*. Erat *Egeriæ* fons extra portam Capenam, in luco Camænarum. Vide *Fest.*; *Turneb. Advers.* III, 5; *Struck. de Sacrific.*

> Pro pudor! Hersiliæ civis et *Egeriæ*.
>
> Mart. X, lxviii, 6.

Ejaculare. — Ejicere cum impetu.

> Trepida in decursu venere, et anima fessula,
> *Ejaculent* tepidum rorem niveis laticibus.
>
> Apul. Ἀνεχόμ. 19 sq.

Vide *Fest.* et *Lubin. Antiquar.*

Electare. — Verbum plautinum; blanditiis sibi et ad rem allicere.

> « Quin ea ego hic præcucurri gratia, Ne te opprimeret imprudentem, atque *electaret*. »
>
> Plaut. *Merc.* I, ii, 110 sq.

Elegans. — Mundus, politus: sed sæpe in malam partem.

> « *Elegans* homo non dicebatur cum laude. »
>
> Aul.-Gell. II, 2.

> « *Elegans*, despoliator, latebricolarum corruptor. »
>
> Plaut. *Trinumm.* II, 1, 14.

> Sed tu dulcior *elegantiorque*,
> Cujus livida naribus caninis
> Dependet glacies, rigetque barba....
>
> Mart. VII, xcv, 9 sqq.

Vide *Fest.* et *Lubin.*

Elephantis. — Poetria græca, quæ varia scripsit concubitus genera. Vide **Concubitus.** De illa in lascivo Virgilii carmine, ubi Lalage tabellam unicam dicat Priapo.

Facundos mihi de libidinosis
Legisti nimium, Sabelle, versus:
Quales nec Didymi sciunt puellæ,
Nec molles *Elephantidos* libelli.

Mart. XII, xliii, 1 sqq.

Ex libris ejus figuras instruxit Tiberius,

« Ne cui in opera edenda, exemplar impetratæ schemæ deesset. »

Suet. *in Tiber.* 43.

Elumbis. — Cujus lumbi vènere sunt effracti. Vide **Lumbi** et *Fest.*; *Lubin. Antiquar.* etc. Diffututus. In *lumbis* enim veteres sedem libidinis ponebant.

Emancupari mulieri. — Se illi tanquam amatæ in servum dare. *Emancupatus* enim subnixus, deditus, (*Non. Marc.*) et *mancupium* apud veteres pro domino rei.

« Quum quando proprio te esse scribit *mancupio* et nexu, meum autem usu et fructu. »

Cic. *Epist. Fam.* 7.

« Ita senectus honesta est, si se ipsa defendit, si jus suum retinet, si nemini *emancupata* est. »

Id. *in Cat. maj.*

« Bacchid. Quid est quid metues? Pistoc. Nihil est, nunc ego, mulier, tibi me *emancupo*; Tuus sum, tibi dedo operam. »

Plaut. *Bacchid.* I, 1, 59 sq.

Romanus (eheu! posteri negabitis!)
Emancupatus fœminæ

Fert vallum et arma miles, et spadonibus
Servire rugosis potest.

HOR. *Epod.* IX, 11 sqq.

EMASCULARE. — Virilitatem auferre, non ferro, sed potionibus, intactis tamen virilibus. Vide *Apul. Met.* VII, et *Serv. ad AEneid.* VI.

EMASCULATOR. — Qui de viro mulierem facit; draucus, agens in pædicatione.

« Olim in pueritia, priusquam isto calvitio deformaretur, *emasculatoribus* suis ad omnia infanda morigerus. »

APUL. *in Apolog.*

EMBASICŒTAS. — Mere græcum, ἐμβασικοίτης, *qui lectum inscendit.* Puer qui in nuptiis facem præferebat, quum nova nupta in domum mariti deduceretur. Apud Petronium, pro cinædo. A verbo βῆναι, pro quo latini *perambulare;* unde Catullus, XXVII, 8: *perambulavit omnium cubicula.*

« Quæso, inquam, domina, certe *embasicœtam* jusseras dari. Complosit illa tenerius manus, et: O, inquit, hominem acutum atque urbanitatis vernulæ fontem! Quid? tu non intellexeras cinædum *embasicœtam* vocari?

PETRON. *Sat.*

Vide EQUUS.

EMERERE VIROS. — Conficere, enervare; translatum ab armis. *Emeriti* enim dicebantur milites ex stipendio expuncti.

Nec lasciva soror dicatur plura bibisse
Pocula, vel plures *emeruisse* viros.

TIBULL. I, IX, 59 sq.

Hinc:

Emeritus. — Venere fractus, expeculiatus.

Vidi ego quum foribus lassus prodiret amator,
Invalidum referens *emeritum*que latus.
Ovid. *Am.* III, x, 13 sq.

Emulgere. — De venere.

Et commiscendo semen quum forte virili
Fœmineum *mulxit* subita vi corripuitque.
Lucret. IV, 903 sq.

Emungi. — Verbum flagitiosum.

« In mellis spem esse omnem quovis possem *emungi* volo. »
Lucil. *lib.* XXIX.

Vide *Terent. in Phorm.*

Enuptiæ. — Gallice, *mésalliances.*

« Omnibus ingenuis concessum est, senatoribus exceptis, libertinas uxores ducere legibus Pappia, nec non Julia, eo datis, quod numerosiores patricii generis masculi, quam fœminæ Nam antea, jugum impar vetitum erat. »

Lips. *in Tacit. Annal.* iv.

« Sed, extra modum erumpente luxuria *enuptiarum*, auctor fuit Vespasianus senatui decernendi ut quæ se alieno servo junxisset, *ancilla* haberetur. »

Suet. *in Vespas.* 11.

Ne sit ancillæ tibi amor pudori,
Xanthia Phoceu, prius insolentem
Serva Briseis niveo colore
Movit Achillem.
Movit Ajacem Telamone natum
Forma captivæ dominum Tecmessæ, etc.
Hor. *Od.* II, iv, 1 sqq.

Non pudebat ergo Græcos ancillas amare; sed e contrario Romanos. Vide *Senec. de Benef.* I, et verbum Ancillariolus.

Ephebeum. — Locus in palæstra quo puberes exercebantur. Ἐφηβεῖον. Sæpe pro ganea et lupanare. Vide *Pitisc.*

Ephebus. — Pubes, adolescens.

.... Nullus *ephebum*
Deformem sæva castravit in arce tyrannus.
Juv. X, 306 sq.

« Principio atque animus *ephebis* ætate exiit. »
Plaut. *Merc.* I, 1, 40.

Ephebus. — Pro catamito.

Viderat Ausonium posito modo crine ministrum
Phrix puer, alterius gaudia nota Jovis :
Quod tuus, ecce, suo Cæsar permisit *ephebo*,
Tu, permitte tuo, maxime rector, ait.
Mart. IX, xxxvi, 1 sqq.

Epithalamium. — Ἐπιθαλάμιον, *super thalamum.* Canebatur a virginibus, quum jam nova nupta in viri lectum collocata esset, ut, primum illud prælium committente marito, *clamor* nuptæ audiri non posset. Ad eumdem finem nuces cum strepitu spargebantur, puerique magno tumultu domum implebant.

Equire. — Græce ἱπποµανεῖν. De equis et equabus in venerem ardentibus. (*Colum., Plin.* X, 23, et XII, 13.) Et etiam pro *salire.*

« Tradunt equas domitas LX diebus *equire*, antequam gregales. »
Plin. X, 23.

Equus. — In obscenum.

« Ita, inquit Quartilla, et Ascylto embasicœtas detur. Ab

[redacted]

hac voce, *equum* cinædus mutavit, transituque ad comitem meum facto, clunibus eum basiisque distrivit. »

PETRON. *Sat.*

Masturbabantur Phrygii post otia servi,
Hectoreo quoties sederat uxor *equo.*

MART. XI, CV, 13 sq.

EQUARUM LIBIDO.—In proverbium. Vide HIPPOMANES.

Quum tibi flagrans amor, et *libido*
Quæ solet *matres* furiare *equorum*,
Sæviet circa jecur ulcerosum
Non sine quæstu.

HOR. *Od.* I, XXV, 13 sqq.

EROS. —Mere græcum, Ἔρως. *Amor.* Veneris filius primogenitus. Tres enim Cupidines enumerat Cicero, *lib.* III *de Nat. deorum;* alii duos. Vide ANTEROS. Alii quinque, alii totidem quot sunt res quæ nos in amorem trahunt. Exstant Veneris statuæ, quibus duo Cupidines pari forma adjuncti sunt. Hinc :

EROTOPÆGNIA. — Ἔρως, *amor*, παίγνιον vero *lusus* et *oblectamentum* : ergo *erotopægnia* poemata ludrica amoris. Vide *Lilium Gregorium*, *lib.* I *de Poetis.*

« Nam quid Anniani fescenninos? Quid antiquissimi poetæ Lævii *Erotopægnion* libros loquar?

AUSON. *Cent. nupt. sub fine.*

ERUCA. — Inter cibos salaces.

Et quæ frugifero seritur vicina Priapo,
Excitat ad venerem tardos *eruca* maritos

COLUMELL.

Stare, Luperce, tibi jampridem mentula desit;
Luctaris demens tu tamen arrigere.

Sed nil *erucæ* faciunt, bulbique salaces,
Improba nec prosunt jam satureia tibi.
MART. III, LXXV, 1 sqq.

Et ipse longa nocte dormiat solus,
Libidinosis incitatus *erucis*.
Priap. Carm. XLVII, 5 sq.

ERUDITUS. — Veneris expertus, peritus.

Quisquis venerit huc, poeta fiat,
Et versus mihi dedicet jocosos.
Qui non fecerit, inter *eruditos*
Ficossissimus ambulet poetas.
Priap. Carm. XLI, 1 sqq.

Morbosi pariter gemelli utrique,
Uno in lectulo, *erudituli* ambo,
Non hic, quam ille magis vorax adulter.
CATULL. LIII, 6 sqq. *de Cæsare et Mamurra.*

ERYCINA. — Cognomen Veneris, ab *Eryce*, Siciliæ monte, quo templum habuit Venus singulari religione. Vide *Virgil. Æneid.* V; *Sueton. in Claud.* 25, etc. Sed et Romæ Veneris *Erycinæ* fanum fuisse constat, ex Ovidii Fastis, et non uno Livii loco.

Sive tu mavis, *Erycina* ridens,
Quam Jocus circumvolat et Cupido.
HOR. *Od.* I, II, 33 sq.

Hic *Erycina ridente* exprimere vult poeta τὸ φιλομειδὴς Græcorum. Nam risus inter amoris illicia; unde γελαῶσα epitheton Veneris apud Theocritum.

ESSE BENE. — Voluptaria omnia complectitur.

Sic erimus cuncti, postquam nos auferet Orcus:
Ergo vivamus, dum licet *esse bene*.
PETRON. *Sat.*

Esse cum viro, cum muliere. — Cum eo, cum ea rem habere.

« Quid ego tibi deliqui, si cui nupta sum, *tecum fui*? — Tun' *mecum fueris*? Quid illac impudente audacius? »

Plaut. *Amph.* II, II, 185 sq.

« Atque eadem modestia, potius *cum muliere fuisse* quam concubuisse dicebant. »

Varr. *de Ling. lat.* 5.

Esse in amore alicujus. — Ab eo amari.

Quid faciam? nisi et ipse *fores in amore puellæ*, etc.

Tibull. I, IX, 39.

Eubius. — Auctor incertus spurcissimæ historiæ voluptatum.

Nec, qui descripsit corrumpi semina matrum,
Eubius, impuræ conditor historiæ.

Ovid. *Trist.* II, 415 sq.

Eugion, Eugium. — Claustrulum illud membranaceum, mulierum pudenda intersedens; argumentum virginitatis, quum primo congressu necessario convellatur. Gallice *l'hymen*.

« Media pars inter naturalia muliebria. »

Non. Marc.

« Sine *eugio* ac destina. »

Lucil. *Epod. hymn.*

« Quare tam arduum conscendis, an concupisti *eugium* scindere? »

Laber. *apud Non. Marc.*

Eugium. — Pro toto cunno, metaphora a parte ad totum.

Quænam vos dementia suppolitores facit
Cum cano *eugio* puellitarier?

Laberius.

Eunuchus. — Proprie servus cubicularius. Mere græcum, ab εὐνὴ, *lectus*, et ἔχω, *custodio*. Prima Semiramis servulorum gregem castrari jussisse fertur.

> .... seu prima Semiramis astu
> Assyriis mentita virum, ne vocis acutæ
> Mollities, lævesque genæ se prodere possent,
> Hos sibi conjunxit similes.
>
> Claud. *in Eutr.* I, 339 sqq.

Ad hunc Claudiani locum notat Gesnerus Periandrum, Cypseli filium, Corinthium tyrannum, trecentorum principum Corcyræorum filios Sardes ad Alyatten ἐπὶ τῇ ἐκτομῇ misisse (*Herodot.* III, 48); et rursus Panionium Chium pueros speciosos emisse, et exsectos Sardes aut Ephesum deductos magno pretio vendidisse. (*Herodot.* VIII, 105.)

Non ergo zelotypia maritorum inventus est usus *eunuchorum*, ad coercendam uxorum libidinem; sed contra a mulieribus ipsis, et ad servandam ancillarum pudicitiam, nec non domesticam castitatem. Ad viliora ministrabant exsecti; unde sæpe apud Latinos, *eunuchi*, *delicati* pro servis operariis. Vide *Mart.* III, LVIII, et *Sueton. in Vesp.* 7.

Sed, erumpente libidine, inter fœminas *viri*, et inter viros *fœminæ*, *eunuchi*, ad quoscumque et quæcumque paratissimi, penitus totam domum citius inquinarunt. Vide *Gregor. Nazianz. in Epitaph. Basilii magni.*

Eunuchi. — In mulierum deliciis.

> Sunt quas *eunuchi* imbelles, ac mollia semper
> Oscula delectent, et desperatio barbæ,
> Et quod abortivo non est opus.
>
> Juv. VI, 366 sqq.

Cur tantum *eunuchos* habeat tua Gellia quæris,
Pannice? Vult futui Gellia, non parere.
MART. VI, LXVII, 1 sq.

Nec spado jam, nec mœchus erit, te præside, quisquam:
At prius, o mores! et spado mœchus erat.
MART. VI, II, 5 sq.

Mentulatiores ut forent spadones, fere adulti comprimebantur.

.... illa voluptas
Summa tamen, quod jam calida et matura juventa
Inguina traduntur medicis, jam pectine nigro.
Ergo exspectatos, ac jussos crescere primum
Testiculos, postquam cœperunt esse bilibres,
Tonsoris damno tantum rapit Heliodorus.
JUV. VI, 368 sqq.

Sic semine steriles, mentula tamen potentes, tanquam drauci, et viris et fœminis infatigabile officium offerebant.

Conspicuus longe, cunctisque notabilis intrat
Balnea, nec dubie custodem vitis et horti
Provocat, a domina factus spado. Dormiat ille
Cum domina: sed tu jam durum, Posthume, jamque
Tondendum *eunucho* Bromium committere noli.
JUV. VI, 374 sqq.

Et etiam spadonibus vero et stabili connubio nubere ausæ sunt Romanæ.

Quum tener uxorem ducat spado; Mævia Tuscum
Figat aprum, et nuda teneat venabula mamma.
JUV. I, 22 sq.

Sic Martialis de *Ægle*, quæ simul spadoni nupserat et senem adulterum habebat:

Cum sene communem vexat spado Dindymus Æglen,
Et jacet in medio sicca puella toro:

Viribus hic operi non est, hic utilis annis.
Ergo sine effectu prurit uterque labor.
Supplex illa rogat pro se, miserisque duobus,
Hunc juvenem facias, hunc, Cytherea, virum.
MART. XI, LXXXII, 1 sqq.

Eunuchi in posteram venerem. Usitatissima libido apud Romanos. Sic Horat. *Epod.* IX, Antonii militem reprehendit, qui *emancupatus fœminæ, rugosis servire spadonibus* posset.

. . . . Dum Capitolio
Regina dementes ruinas,
Funus et imperio parabat,
Contaminato cum grege turpium
Morbo virorum. . . . .
HOR. *Od.* I, XXXVII, 6 sqq.

Tribus modis evirabantur pueri; unde tres *eunuchorum* species; 1° a græco χέστρος, *castrati*, quibus ferro exsecta sunt omnia; 2° *spadones* a σπάω, *extraho*, quibus avulsi sunt colei; 3° *thlibiæ* a θλίβω, *premo*, quorum testiculi tantum distorti et compressi.

Emebantur et castrabantur a mangonibus vernulæ mercis causa. *Lib.* IV, *ff. de Sicariis*, et *Senec. Controv.* IV, 10.

Persarum ritu, male pubescentibus annis,
Surripuere viros; exsectaque viscera ferro
In venerem fregere: atque ut fuga mobilis ævi
Circumscripta mora, properantes differat annos;
Quærit se natura, nec invenit.
PETRON. *Sat.*

Infame hoc commercium vetuit Domitianus.

Tanquam parva foret sexus injuria nostri,
Fœdando populos prostituisse mares, etc.
. . . .

Non tulit Ausonius talia monstra pater ;
Idem qui teneris nuper succurrit ephebis,
Ne faceret steriles sæva libido viros.
Dilexere prius pueri, juvenesque, senesque ;
At nunc infantes te quoque, Cæsar, amant.

MART. IX, VIII, 1 sqq.

Vide *Ammian. Marcell.* XVIII.

Mali ominis habebantur *eunuchi*, præsertim in sacris. Inde a sacerdotio arcebantur exsecti.

« Sacerdos *non integri corporis*, *quasi mali ominis* res vitanda est. Hoc in victimis notatur, quanto magis in sacerdodotibus ? »

SENEC. *Controv.* II, 4.

Castratio fœminarum a Lydiis primum inventa. *Eunuchatis* virginibus utebantur, in vicem puerorum exsectorum, auctore Xantho, *lib.* II.

Sed quomodo castrabantur ? uterini colli initio jacent testiculi parvuli, quorum humorem ad conceptum necessarium credebant antiqui. Has ergo sphærulas ferro evellebant, aut digito comprimebant. Sic vere *spadones*, virgunculæ, et ideo steriles factæ, muliebri sexu exturbabantur.

Simili modo Itali et Galloprovinciales gallinas eunuchant.

Sunt tamen nonnulli qui castrationem fœminarum pro fabula habentes, nil aliud esse dicunt, nisi infibulationem. Vid. *Zachias*, *Quæst. medico-legal.*

EUNUCHARE.

« Si qui patriam majorem parentem exstinguit, in eo est culpa, quod facit pro sua parte is qui se *eunuchat*. »

VARR. *lege Mænia.*

Vide *Non. Marc.*

EUPLÆA. — Cognomen Veneris apud Pausaniam, ex insula *Euplæa*, maris Tyrrheni, circa Neapolim.

> Inde vagis omen felix *Euplæa* carinis,
> Quæque ferit curvos exserta Megalia fluctus.
>
> STAT. *Sylv.* II, II, 80 sq.

EVA. — Mater generis humani, de qua sic Ausonius, in elegantissima deprecatione christiana:

> Da, Pater, invictam contra omnia crimina mentem,
> Vipereumque nefas nocituri averte veneni.
> Sit satis antiquam serpens quod perdidit *Evam*,
> Deceptumque adjunxit Adam. Nos, sera nepotum
> Semina, veridicis ætas prædicta prophetis,
> Vitemus laqueos quos lethifer implicat anguis.
>
> AUSON. *Ephemerid. oratio.* 31 sqq.

EVEMERUS. — Scriptor patria Messenius, qui libidines obscenas spurcosque deorum amores carmine evulgavit, ab Ennio postea in latinam linguam conversus. Collegerat titulos et inscriptiones sacras quæ antiquissimis templis habebantur. Q. Ennii fragmenta aliquot ex *Evemeri* Sacra historia, ipsiusque *Evemeri* reliquias collegit Hieronymus Columna. Vide *Annotatorem Centonis Ausonii ex Musæo Simon. Abb.*

EVIRARE. — Effœminare.

> « Spatale *eviravit* omnes venerivaga pueros. »
>
> VARR. *Marcipor.*

Vide *Nonium Marcellum.*

> Spadone quum sis *eviratior* fluxo
> Et concubino mollior Celæneo.
>
> MART. V, XLI, 1 sq.

[redacted]

Evirare. — Pro castrare.

« Videte contra fœdus jusque nascendi, ad patientiam incestæ turpitudinis elaborantur. *Evirantur* mares : omnis honor et vigor sexus, *evirati* corporis dedecore mollitur. Plus quam illis placet quisquam virum in fœminam fregerit. »

Cyprian. *ad Donat. ep.* II.

Excavari. — Ad obscena conversum.

Quum quisquis in nos incidit, luat pœnas,
Et usque curvos *excavetur* ad lumbos.

Priap. Carm. LI, 3 sq.

Excubiæ virginitatis. — Gallice *des duègnes.*

In virgineis cubiculis ancillæ peculiariter collocabantur, in custodiam puellarum integritatis.

« Quam quum prædicta disponentem rimatim ab ostio, ut speculabunda cognosceret, aliam ejus ancillam, cui Agriphia vocabulum est, atque intra cubiculum præbebat *excubias*, etc. »

Mart. Capell. II.

Exedere, Edere, Comedere. — Verbum venereum, translatum a voracitate helluonum. Vide Vorare.

« Heus, aiunt, cave ne solus *exedas* tam bellum scilicet puellum. »

Apul. *Met.* VIII.

« Minus formidabo ne *exedat.* »

Plaut. *Curc.* I, 1, 45.

Adsequitur nec opinantem, in caput insilit, ipsum
Commanducatur totum complexa *comestque.*

Lucil. *Frag. satyr.* X, 15.

Exercere. — De palæstra venerea.

. . . . at boni
Conjuges, bene vivite, et

Munere adsiduo valentem
Exercete juventam.

Catull. LVI, 232 sqq.

Exerce formam, et fugientibus utere donis.
Stat. *in Epithalam. Stellæ et Violentillæ*, *Silv.* I, II, 169.

Exercere amorem alicujus. — Inturbare.

Æmulus iste tuus, qui *vestrum exercet amorem*,
Mirifice est a te nactus utrumque malum.

Catull. LXVI, 3 sq.

Exfututus. — Venere exhaustus.

Cur non tam latera *exfututa* pandas?
Ne tu quid facias ineptiarum?

Catull. VI, 13 sq.

Exlecebræ. — Meretrices, tanquam virorum pecuniæ studentes, amasiorumque dona elicientes.

« Nam ita sunt hic meretrices omnes, *exlecebræ*, argentariæ. »

Plaut. *Menæch.* II, III, 26.

Exmaribus. — Castratus. (*Arnob.*)

Exoleti. — Pueri adulti, jam pilosi et barbati, in delicias tamen virorum, utroque ministerio, drauci simul et catamiti. Sic dicebantur quod *olescere*, id est crescere desierant.

« Secessu vero Capreensi etiam sellaria excogitavit, sedem arcanarum libidinum, in quam undique conquisiti puellarum et *exoletorum* greges, etc. »

Suet. *in Tib.* 43.

Præstent, et taceant quid *exoleti*;
Quo symplegmate quinque copulentur;
Qua plures teneantur a catena.

Mart. XII, XLIII, 7 sqq.

Palam meretricabantur *exoleti* illi, quæstum pene clunibusque facientes.

« Habuit in animo ut *exoletos* vetaret (quod postea Philippus fecit); sed vetitus est, ne prohibens publicum dedecus, in privatas cupiditates converteret: quum homines illicita magis poscant, prohibitaque furore persequantur. »

LAMPRID. *in Sever.*

« Scortum *exoletum* ne quis in proscenio sedeat, etc. »

PLAUT. *Pœnul. Prolog.* 17 sq.

Et etiam in consuetudinem *exoletos* servos aut libertinos habebant mulieres.

Communis tibi cum viro, Magulla,
Quum sit lectulus, et sit *exoletus*,
Quare, dic mihi, non sit et minister?
Suspiras: ratio est; times lagenam.

MART. XII, XCI, 1 sqq.

EXOLETA. — Virgo matura.

« Domi reliqui *exoletam* virginem. »

PLAUT. *Fragm. Medic.* 3.

EXOSSUS. — Mollis, effœminatus.

« Puer in mollitiem decorus insurgit, inque flexibus tortuosis enervam et *exossam* saltationem explicat. »

APUL. *Met.* I.

EXPARTA. — De animalibus; fœmina quæ jam pullos edidit; opposite illis quæ nondum pepererunt.

« Ut sint hæ pecudes ætate potius ad fructus ferendos, integræ quam *expartæ*. »

VARR. *de Re rustic.* II, V, 7, *ubi de vaccis.*

EXPATRARE. — In obscenis. Semen emittere. Vide PATRARE.

Quid est? an hæc sinistra liberalitas
Parum *expatravit?*

CATULL. XVII, 16 sq.

EXPERS NUPTIARUM. — Virgo, integra.

Quæ velut latis equa trima campis
Ludit exsultim, metuitque tangi,
Nuptiarum expers, et adhuc protervo
Cruda marito.

HOR. *Od.* III, XI, 11 sqq.

EXPERTA VIRUM. — Quæ jam virum habuit in concubium.

« Si non fastidis, inquit, fœminam ornatam, et hoc primum anno *virum expertam*, concilio tibi, juvenis, sororem. »

PETRON. *Sat.*

EXPOSITITII. — Pueri expositi. Romæ deponebantur ad columnam lactariam. Vide COLUMNA.

EXPOSITITIA PUELLA. — Cuicumque lubenti se divaricans.

« Revortor ad illam *puellam expositiliam.* »

PLAUT. *Casin. Prolog.* 79.

EXSANGUIS. — Venere exhaustus. Nam sanguis accipitur pro spermate. Vide SANGUIS.

.... tunc creber anhelitus artus
Aridaque ora quatit; sudor fluit undique rivis:
Labitur *exsanguis*: distillat ab inguine virus.

AUSON. *Cent. nupt. in fine.*

EXSECARE. — Castrare.

« Nam vetus hæc opinio Græciam opplevit, *exsectum* Cælum a filio Saturno; vinctum autem Saturnum a filio Jove. »

CIC. *de Nat. deorum*, II.

Desectos sic fama viros, ubi cassa libido
Fœmineos cœtus, et non sua bella lacessit,
Irrita vexato consumere gaudia lecto.

AUSON. *Epigr.* CXXV.

Lusus erat sacræ connubia fallere tædæ,
  Lusus et immeritos *exsecuisse* mares.
Utraque tu prohibes, Cæsar, populisque futuris
  Succurris, nasci quos sine fraude jubes.

MART. VI, 1, 1 sqq.

EXSORBERE VIROS. — Corpore et crumena exhaurire.

.... quorum si nomina quæras,
Promptius expediam quot amaverit Hippia mœchos;
....
...... quot longa viros *exsorbeat* uno
Maura die; quot discipulos inclinet Hamillus.

JUV. X, 219 sqq.

EXSPECTARE. — Verbum venereum. Prædiligere.

« Tu eccastor erras, quæ quidem *exspectes* unum, atque illi Morem præcipue sic geras, atque alios adsperneris. »

PLAUT. *Most.* I, III, 31 sq.

EXSUCCUS. — Effututus, venere tritus.

Impubes nupsi valido; nunc firmior annis
  Exsucco et teneri sum sociata viro.
Ille fatigavit tenerem; hic ætate valentem
  Intactam tota nocte jacere sinit.
Dum nollem licuit: nunc dum volo, non licet uti:
  O Hymen, aut annos, aut mihi redde virum!

PETRON. *Pseud. Epigr. ult.*

EXTEREBRARE. — Sensu flagitioso.

« Nunquam hercle istuc *exterebrabis*, tu, ut sis pejor quam ego siem. »

PLAUT. *Pers.* II, II, 55.

FABA

FABA. — Verbum nuptum, ex ambiguo dictum a græco; nam κύαμος *coleum* et *fabam* significat.

« *Fabæ* florentis summitates vasi terreo mandatæ, et post XC dies exactæ, caput infantis pæne cruenti ostendunt. Quod supra dictos dies si retexeris, muliebre corpus formatum deprehendes. »

OCTAV. HORAT. *Curationum lib.* IV.

Inde *fabæ* inter cibos salaces habebantur. Ceterum, fabaceam farinam notat Dioscorides tanquam ad detergendam cutem admodum aptissimam. Pilos graciliores reddit, pellisque tollit rugas et maculas. Vide *Bacc. de therm. vet.* 16 et 24.

FACERE. — Verbum venereum, pro concubare; usitatissimum, etiam in monumentis.

« VRIANVS. VITELLIANVS. LICINIÆ. DEMETRIANÆ. CONIVGI. CVM. QVA. FECIT. AN. VIII. MENS. VI. DI. XXIII. »

GRUT. *de Jure man.*

Aliis lapidibus, sunt uxores quæ *cum maritis fecerunt.*

Si qua metu dempto casta est, ea denique casta est.
Quæ, quia non liceat, non *facit*, illa *facit*.

OVID. *Am.* III, IV, 3 sq.

Aut facere ingenuæ est, aut non promisse pudicæ, etc.

CATULL. CV, 5.

« Utcumque igitur inter anhelitus sudoresque tritus, quod voluerat, accepit, rursusque in somnum decidi gaudio lassus. Interposita minus hora, pungere me manu cœpit et dicere: Quare non *facimus*? »

PETRON. *Sat.*

Quum dicis propero, *fac sic facis*, Hedyla, languet
Protinus, et cessat debilitata venus.

MART. I, XLVII, 1 sq.

Inde :

FACERE FORTITER. — Lumbis nervosis et validis.

« Inhorrescere se finxit Ascyltos; mox, sublatis fortius manibus, longe majore nisu clamavit : Non taces, inquit, gladiator obscene, quem de ruina arena dimisit ? Non taces, nocturne percussor, qui ne tum quidem, quum *fortiter faceres*, cum pura muliere pugnasti ?

PETRON. *Sat.*

FACERE VICIBUS. — Se vicissim inire, modo agentes, modo patientes. Vitium puerorum.

.... exigite ut sit
Et pater ipsius cœtus, ne turpia ludant,
Ne *faciant vicibus*.

JUV. VII, 238 sqq.

FACERE NEQUAM. — Agere libidines; ire ad scorta.

« Locum sibi velle liberum præberier, Ubi *nequam faciat* : nos ad te adduximus. »

PLAUT. *Pœnul.* III, III, 44 sq.

FACERE DELICIAS. — Eodem sensu.

« *Delicias facis*, Mi Menæchme; quin, amabo, is intro. »

PLAUT. *Menœch.* II, III, 30 sq.

Vide DELICIÆ.

FACES NUPTIALES. — *Faces* in nuptiis, in honorem Cereris, præferebant, aquaque spargebatur nova nupta : sive, ut casta puraque ad maritum perveniret ; sive ut virginitatem atque aquam cum viro communicaret.

E spina alba conficiebantur *faces* illæ, quod eodem arbusculo in tædas usi fuere pastores qui Sabinas rapuerunt.

Una de multis *face nuptiali*
Digna, perjurum fuit in parentem
Splendide mendax, et in omne virgo
Nobilis ævum.

HOR. *Od.* III, XI, 33 sqq.

Facetiæ. — Lasciviæ.

« Nam tu quamvis potis es facere, uti fluat *facetiis*. »

Plaut. *Mil.* IV, viii, 12.

« Ecquam tu potes reperire forma lepida mulierem, Cui *facetiarum* cor corpusque sit plenum et doli? »

Plaut. *Mil.* III, i, 187 sq.

Facilis puella. — Quæ rem non recusat.

Qualem, Flacce, velim, quæris, nolimve puellam?
Nolo nimis *facilem*, difficilemque nimis.
Illud quod medium est, atque inter utrumque probamus;
Nec volo quod cruciat, nec volo quod satiat.

Mart. I, lviii, 1 sqq

Fama. — Pro infamia.

« Maledicta, *famam*, meum amorem et peccatum in se transtulit. »

Plaut. *apud Non. Marc.*

« Quæso, omitte ac desere hanc meretricem, quæ te, semel nacta, semper studuit perdere, detegere, despoliare, opplereque adeo *fama* ac flagitiis. »

Turpil. Ped. *apud eumdem.*

Fame mori. — Ardere stuprum, propter nimium rei jejunium.

« Quid ergo, homo stultissime, facere debui, quum *fame morerer?* »

Petron. *Sat.*

Vide Rogare panem.

Famosæ. — Mulieres stupro, adulterio aut lenocinio infames.

« Quum Q. Opimius consularis, qui adolescentulus male audiisset, festivo homini Ægilio, qui videretur melior, nec esset, dixisset: Quin tu, Ægilia mea, quando ad me venis cum

tua colu et lana ? Non pol, inquit, audeo ; nam me ad *famosas* vetuit mater accedere. »

Cic. *de Orat.* II.

« Atque etiam, si qua erat *famosa*, ei cognati osculum non ferebant. »

Cic. *de Rep.* IV, *apud Non. Marc.*

Uxor pauperis Ibyci,
Tandem nequitiæ fige modum tuæ
Famosisque laboribus.

Hor. *Od.* IV, xv, 1 sqq.

Fartum vestis. — Verbum plautianum, sensu libidinoso, pro tota muliere.

« Non vestem amatores mulieris amant, sed *vestis fartum.* »

Plaut. *Most.* I, iii, 13.

Fascinum, — Species amuleti ad incantationes arcendas, Nemesimque placandam. Vide *Plin.* XI, 45 et XXVIII, 2; et *Ammian. Marcell.* non procul a fine libri XIV.

Religiosa ergo *fascina* illa in formam Priapi conficiebantur, tanquam naturæ perpetui conditoris. (*Plut. Sympos. lib.* VI, *quæst.* 10, et *Arnob.* V).

Fascinum gestabant pueri collo suspensum. (*Varr. de Ling. lat.*)

Nam quid mutino, subjectoque huic opu' signo,
Ut lurcaretur lardum, et carnaria furtim
Parum conficeret ?

Lucil. *Frag.* IV, 3 sqq.

Simili *fascino* inequitabant matronæ romanæ, auspicabili pietate.

« Et mutinus in cujus sinu pudendo nubentes præsident, ut illarum pudicitiam prior deus delibasse videatur. »

Lactant. *de Falsa relig.* I, *cap.* 20.

[redacted]

Vide *Arnob. lib.* IV.

FASCINUM. — Pro mentula.

> Illiterati num minus nervi rigent ?
> Minusve languet *fascinum ?*
>
> HOR. *Epod.* VIII, 17 sq.

> Placet, Priape ? qui sub arboris coma
> Soles, sacrum revincte pampino caput,
> Ruber sedere cum rubente *fascino.*
>
> *Priap. Carm.* LXXXIV, 6 sqq.

Vide *Turneb. Adv.* IX, 23.

FASCINUM. — Penis fictitius ex corio, aut pannis lineis vel sericis, quibus mulieres virum mentiebantur. Vide *Aristoph. Lisistrat.* vers. 109. Antiquissima libido, lesbiis et milesiis fœminis præsertim usitatissima. De hac fœditate vide *B. Paul. ad Romanos*, I, 26, et *Tertull. de Pall.* 4. Vide TRIBAS.

Fascinis illis abutebantur meretrices in tardos ascensores.

> « Profert Enothea scorteum *fascinum*, quod ut oleo et minuto pipere, atque urticæ trito circumdedit semine, paulatim cœpit inserere ano meo. »
>
> PETRON. *Sat.*

FASCINUS. — Deus malarum incantationum depulsor. (*Turneb. Adv.* IX, 28; *Alzar. de Invidia et fascin. vet.*: *Plin.* XXVIII, 4.)

FASCINOSUS. — Magno pene instructus.

> Non es poeta *fascinosior* nostro.
>
> *Priap. Carm.* LXXX, 4.

FATUUS. — Ineptus ad sententiam voluptatum.

Hanc (*mentulam*) mavult sibi quam deos priores,
Si qua est non *fatui* puella cunni.

Priap. Carm. XXXIX, 7 sq.

FAUCULA. — Clunia dicta, meretrix clementissima, cujus beneficentiam notat Livius. Annibale Capuam tenente, captivis egentibus alimenta furtim suppeditavit.

FAUNA. — Dea cui romanæ sacra faciebant matronæ, nocturno tempore et in operto. Tanta cura arcebantur viri, ut vel in ædem inspexisse, capitale haberetur. Rationem affert Macrobius (*Saturnal.* II, 12.) *Faunam*, Fauni uxorem, tanta fuisse pudicitia, ut perpetuo in gynœcio inclusa, nullum unquam virum præter maritum adspexerit.

Eadem est ac *bona dea*, cujus pervigilia Clodius vitiavit, et a nonnullis *Fatua* dicta est. Sacris ejus saltabant matronæ omni modo lascivientes. Vide BONA DEA.

FAVERE. — Verbum eroticum. *Conciliant* lenones et emissarii; *favent* dii, amici et conscii. Hinc:

FAVITOR, FAUTOR, FAVISSOR. (*Apul. Met.* II.) FAUTRIX. (*Cic.*) Sensu flagitioso.

« Si cui *fautores* delegatos viderint, Ut his in cavea pignus capiantur togæ. »

PLAUT. *Amph. Prolog.* 67 sq.

Favitorem me tibi, amicum, amatorem putes.

LUCIL. *Frag.* XXIX, 40.

FAVIANI. — Juvenes qui, ex Romuli instituto, nudi per ludum et lasciviam currebant, Fauni dei sacris. Vide *Alex. Genial. dies, cap.* 12.

FAVONIUS. — Spurius, ex patre adventitio et ignoto :

quasi ex vento natus. Vide *Gloss. Ducang. Favonius* est ventus spirans ab occasu æquinoctiali ; Græcorum *zephyrus*, id est *vitam* afferens.

FEBRUA. — Dea quæ, apud antiquos, fœminarum menstruis præerat. (*Paleph. lib.* II.) A *februo*, purgo.

FEL. — Nupturæ, sacra Junonis agentes, victimarum *fel* avellebant et ejiciebant ; hoc ritu deam rogantes, ut omnem amaritudinem a nuptiis semoveret. Vide *Plutarch. de Præcept. conjug.* ; et *Brisson, de Ritu nupt.*

FELES. — Leno, puerorum, puellarum corruptor.

« Tune hic *feles* virginalis, liberos parentibus Sublatos habebis, atque indigno quæstu conteres ? »

PLAUT. *Rud.* III, IV, 43 sq.

« Sequere hac, scelesta *feles* virginaria. »

PLAUT. *Pers.* IV, IX, 14.

Quis Marcus ? *Feles* nuper pullaria dictus,
Corrupit totum qui puerile decus ;
Perversæ veneris postico vulnere fossor,
Lucili vatis subulo, pullipremo.

AUSON. *Epigr.* LXIX, 5 sqq.

FELLARE. — Proprie exsugere. Flagitiose vero mentulam ore pati.

Non est in populo, nec urbe tota
A se Thaida qui probet fututam,
Quum multi cupiant, rogentque multi.
Tam casta est, rogo, Thais ? immo *fellat*.

MART. IV, LXXXIV, 1 sqq.

Hinc :

FELLATOR, FELLATRIX.

[redacted]

Os male caussidicis et dicis olere poetis;
Sed *fellatori*, Zoile, pejus olet.

MART. XI, XXXI, 1 sq.

FELLITARE. — Libidinose mammas sugere. (*Turneb. Advers.* XXIII, 13.)

FEMEN. — Pars femorum intra supera; sæpe pro pudendis.

« Hoc crudelissima anus spargit subinde humore *femina* mea. »

PETRON. *Sat.*

FEMINAL. — Mulierum pubes.

« Paulisper etiam glabellum *feminal* palmula obumbrant. »

APUL. *Met.* II.

FEMUR. — Sæpissime in obscenis. Sic :

FEMUR FEMORI APPRIMERE. — Incitamentum concubanti.

Puella nec jocosa te levi manu
Fovebit, *apprimetve* lubricum *femur.*

Priap. Carm. LXXXIV, 24 sq.

FEMUR CONSERERE FEMORI.

Sed corpus tetigisse nocet, sed longa dedisse
Oscula, sed *femori conseruisse femur.*

TIBULL. I, VIII, 25 sq.

FEMUR SUMMUM. — Pudenda mulierum.

Quum lassata gravi ceciderunt brachia massa,
Callidus et cristæ digitos impressit aliptes,
Ac *summum* dominæ *femur* exclamare coegit.

JUV. VI, 421 sqq.

FERRUGINEUS COLOR. — Nuptiis adhibitus.

« Palliolum habeas *ferrugineum;* nam is colos thalassius est. »

PLAUT. *Mil.* IV, IV, 43.

FERRUMINARE. — Verbum officinæ ferrariæ, ad venerem translatum. Corpus corpori agglutinare.

« Capita inter se nimis nexa hice habent. Non placet : labra labellis *ferruminant*. »

PLAUT. *Mil.* IV, VIII, 24 sq.

FESCENNINI VERSUS. — Carminis genus spurcissimum, ab oppido *Fescennia*, in quo primum inventum. Canebantur in nuptiis, quod fascinum putabantur arcere. Vide *Macrob.* II; *Tit. Liv. initio libri* VII, et *Fest.*

Neu diu taceat procax
Fescennina locutio.

CATULL. LVI, 127 sqq.

Sæpe etiam satyræ mordacissimæ.

« Temporibus triumviralibus Pollio, quum *fescenninos* in eum Augustus scripsisset, ait : At ego taceo ; non est enim facile in eum scribere qui potest proscribere. »

MACROB. II.

Vide *Hor. Epist.* II, I, 145 sqq.

FESSULUS. — De anhelanti in congressu.

Trepidante in cursu venere, et anima *fessula*,
Ejaculent tepidum rorem niveis laticibus.

APUL. Ἀνεχόμ. 19 sq.

FIBULA. — Annulus æneus aut argenteus, quo penis caput in vaginam suam coercebatur.

« Cutis quæ super glandem est, extenditur, notaturque utrimque a lateribus qua perforetur, deinde remittitur..... Tum qua notæ sunt cutis, acu filum ducente transsuitur. Ejus fili capita deligantur, quotidieque id movetur, donec circa foramina cicatriculæ fiant. Ubi hæc confirmatæ sunt, excepto filo *fibula* inditur, quæ quo levior, est melior. »

CELS. *Medicina*, VII, XXV, 3.

[redacted]

Infibulabantur adolescentes; 1° interdum valetudinis causa; et tunc in medicamen. (*Cels. loco citato.*)

2° Ne ocius coirent, aut se manu stuprarent.

« Ad transitum virilitatis custodiuntur argento. »

PLIN. XXXIII, 12.

Infibulabantur et tragœdi, comœdi, et præsertim cantatores, ne nimia venere raucescerent.

Solvitur his magno comœdi *fibula :* sunt quæ
Chrysogonum cantare vetent; Hispulla tragœdo
Gaudet.

JUV. VI, 73 sqq.

Si gaudet cantu, nullius *fibula* durat
Vocem vendentis prætoribus.

JUV. VI, 379 sq.

Romanæ *fibulatos* illos appetebant, tanquam firmiores et jejunosiores, ut solent veneris parci; ideoque magno pretio comparabant. Vide *Plin. loco supra citato.*

Dic mihi simpliciter, comœdis et citharœdis,
Fibula, quid præstas? carius ut futuant.

MART. XIV, CCXIII, 1 sq.

Vide *Juvenalem* supra.

Infibulabant et mulieres servos quos ad coitum habebant.

Theca tectus aenea lavatur
Tecum, Cælia, servus : ut quid, oro,
Non sit quum citharœdus, aut choraules?
Non vis, ut puto, mentulam videre.
Quare cum populo lavaris ergo?
Omnes an tibi nos sumus spadones?
Ergo ne videaris invidere,
Servo, Cælia, *fibulam* remitte.

MART. XI, LXXVI, 1 sqq.

Vide eumdem VII, XXXIV, et SUBLIGAR.

Infibulatio mulierum antiquissima. Cunni labiis indebatur circulus. Vide *Strab. de AEthiop.*, et *Hieronym. Mercurial.* I.

FIBULAM IMPONERE. — Formula proverbialis pro veneris ardores coercere.

« Quid ergo est quare apud poetas salacissimus Jupiter desierit liberos tollere? Utrùm sexagenarius factus est, et illi lex Pappia *fibulam imposuit?* »

SENEC. *referente Lactantio, lib.* I, *cap.* 16.

Quæso, desinite esse diligentes,
Neve *imponite fibulam* Priapo.

Priap. Carm. LXXVIII, 20 sq.

FIBULÆ. — Pro comœdis et histrionibus.

Theatra loqueris, et gradus, et edicta,
Trabeasque et Idus, *fibulasque*, censusque.

MART. V, XLI, 4 sq.

FICUS. — Ulcus venereum, ex frictu frequentiori.

Qui non fecerit, inter eruditos
Ficosissimus ambulet poetas.

Priap. Carm. XLI, 3 sq.

Ficosa est uxor, *ficosus* et ipse maritus,
Filia *ficosa* est, et gener, atque socer.
Nec dispensator, nec villicus ulcere turpi,
Nec rigidus fossor, sed nec arator eget.

MART. VII, LXX, 1 sqq.

FIDES LENONIA.

« ......Omnes sunt lenæ levifidæ, Neque tippulæ levius pondus est quam *fides lenonia.* »

PLAUT. *Pers.* II, II, 61 sq.

FIDES MULIEBRIS. — Fluxa et sublesta.

« *Muliebri* fecisti *fide.* »

PLAUT. *Mil.* II, V, 46.

Fides Socratica. — Pudica.

« Itaque hoc nomine tibi gratias ago, quod me *Socratica fide* diligis. Non tam intactus Alcibiades in præceptoris sui lectulo jacuit. »

Petron. *Sat.*

Fingi. — De mulieribus, quum excolerentur.

« Ex industria ambas nunquam concessavimus Lavari, aut fricari, aut tergeri, aut ornari, Poliri, expoliri, pingi, *fingi.* »

Plaut. *Pœnul.* I, II, 9 sqq.

Flagitare. — Impudicare.

« Si quis alienam ancillam surripuerit, et *flagitaverit*, etc. »

Lib. II, *ff. de Priv. delict.*

« Passimque circumfusi, nudatum supinatumque juvenem exsecrandis arredinibus *flagitabant.* »

Apul. *Met.* VIII.

Flagitati inter cutem. — Stuprati.

« Rumorem famam flocci facit, intercutibus, stupris obstinatus, insignibus probris *flagitatus.* »

Cat. *apud Fest. verbo* Obstinatio.

Flagitium. — Quidquid infame. Peculiariter pro vi fœminæ illata. Gallice *le viol.*

« *Flagitium* veteres, vitium quod virgini infertur, dici voluerunt. »

Non. Marc.

Flammeum. — Velum nuptiale, quo ex ritu nova nupta amiciebatur, boni ominis causa. (*Fest.*) Sic dictum a *flammeo* colore.

Flammeum cape; lætus huc,
Huc veni, niveo gerens
Luteum pede soccum.

Catull. LVI, 8 sqq.

« Jam Psyche puellæ caput involverat *flammeo* : jam embasicœtas præferebat facem, etc. »

PETRON. *Sat.*

Sic Nero, nuptiis suis cum exoleto Pythagora, *flammeum* tanquam marita induit. (*Sulp. Sever. Hist. sacr.* II.)

FLORALIA. — Sacras inter Romanorum fœditates, lasciviora certe festa *Floræ* deæ. *Flora* quædam meretrix, quum turpi quæstu magnas opes comparasset, populum romanum, tanquam maritum, heredem scripsit, certamque pecuniam legavit, cujus ex annuo fœnore natalis suus celebraretur, editione ludorum, qui *florales* dicerentur.

Sed tractu temporis, senatus, hanc largitatem in flagitium habens, *Floram* illam finxit esse deam, quam placari necesse erat ut vites et arbores florescerent.

Tuba convocabantur meretrices urbis, omniumque suburbiorum.

.... Dignissima prorsus
Florali matrona tuba.

JUV. VI, 249 sq.

Quæ nudæ et venere incensæ, impudicis motibus populum ad spurcissima alliciebant.

« Celebrantur illi ludi cum omni lascivia, convenienter meretricis memoriæ. Nam, præter verborum licentiam, quibus obscenitas omnis effunditur, exuuntur etiam vestibus, populo flagitante, meretrices quæ tunc mimarum funguntur officio; et in conspectu populi, usque ad satietatem impudicorum hominum cum pudendis motibus detinentur. »

LACTANT. *de Fals. relig.* I, 11, 10.

[redacted]

« Catone sedente, negatur populus permisisse sibi postulare *florales* jocos nudandarum meretricum. »

SENEC. *Epist.* 9.

Nec non lascivi *Floralia* læta theatri,
Quæ spectare volunt, qui voluisse negant.

AUSON. *Carm. de Feriis romanis*, 25 sq.

Quis *Floralia* vestit, et stolatum
Permittit meretricibus pudorem?

MART. I, XXXVI, 8 sq.

Flora illa a Græcis Χλωρὶς dicebatur.

Chloris eram quæ *Flora* vocor.

OVID. *Fast.* V, 195.

Festum ejus celebrabatur IV Kalend. Maii. Vide *Juliani imperatoris Misopog.*, et *Cod. Theodos. lib.* II, *tit.* 45, *et Concil. in Trullo.*

FLORIDA PUELLA. — Quæ ætate et forma pollet.

Tu fero juveni in manus
Floridam ipse *puellulam*
Matris e gremio suæ
Dedis, o Hymenæe, Hymen!

CATULL. LVI, 56 sqq.

FLOS, FLOSCULUS. — Juventa.

........Festinat enim decurrere velox
Flosculus, angustæ miseræque brevissima vitæ
Portio.

JUV. IX, 126 sqq.

Et pro pulchro et venusto, tanquam juvenum ornamento.

Flos inlibatus populi, suadæque medullæ.

ENNIUS, *de Cethego*.

O qui *flosculus* es juvenculorum,
Non horum modo, sed quot aut fuerunt,
Aut posthac aliis erunt in annis, etc.

CATULL. XXI, 1 sqq.

FLOS. — Pro virginitate. Elegantissime Catullus :

Ut *flos* in septis secretus nascitur hortis,
Ignotus pecori, nullo contusus aratro,
Quem mulcent auræ, firmat sol, educat imber;
Multi illum pueri, multæ optavere puellæ :
Idem quum tenui carptus defloruit ungui,
Nulli illum pueri, nullæ optavere puellæ :
Sic virgo, dum intacta manet, tum cara suis, sed
Quum castum amisit polluto corpore *florem*,
Nec pueris jucunda manet, nec cara puellis.

CATULL. LVII, 39 sqq.

FLUCTUARE. — More fluctuum se movere in congressu.

Quæ clunem tunica tegente nulla
Extis aptius altiusque motat,
Crissabit tibi *fluctuante* lumbo.

Priap. Carm. XVIII, 2 sqq.

FLUONIA. — Cognomen Junonis, a mulieribus invocatæ ne sistat sanguinis fluor in conceptu, aut singulis menstruis. (*Fest.*)

FLUXUS. — Mollis, pathicus, effœminatus.

Spadone quum sis eviratior *fluxo*,
Et concubino mollior Celæneo.

MART. V, XLI, 1 sq.

FOCARIA. — Concubina humillimi generis; ancilla usuaria, cujus cum domino communes thorus et focus : pseudomarita.

« Si ancillam nummis tuis comparatam esse præsidi provinciæ probaveris, donationisque causa, *focariæ* tuæ nomine, instrumentum emptionis esse inscriptum, eam tibi restitui jubebit. Nam, licet, cessante jure matrimonii, donatio perfici potuerit, milites tamen meos a *focariis* suis, hac ratione fictisque adulationibus spoliari nolo. »

Lib. III *Cod. de donat. inter virum et uxorem.*

Vide *lib. Si ea*, etc. *Cod. de conditionibus incertis.*

FODERE. — Verbum flagitiosum ; dicebatur de utraque venere.

> Cur sit ager sterilis, cur uxor fertilis, edam:
> Quo *fodiatur* ager non habet, uxor habet.
>
> MART. *Epigr. suppositit.* IV, 3 sq.

> Qui quum te male *foderint* jacentem,
> Ad partem veniet salax asellus,
> Nihilo deterius mutoniatus.
>
> *Priap. Carm.* LII, 8 sqq.

> Servus erit minus ille miser, qui *foderit* agrum
> Quam dominum.
>
> JUV. IX, 43 sq.

Hinc et eodem sensu :

FOSSOR.

> Perversæ veneris postico vulnere *fossor.*
>
> AUSON. *Epigr.* LXIX, 7.

FOEMINA. — A græco φύω, *gigno, genero.*

FOEMINEUS AMOR. — Impatiens, furens, irrationabilis.

> Hunc virgo, sive ut templis præfigeret arma,
> ....
> Cæca sequebatur; totumque incauta per agmen
> *Fœmineo* prædæ et spoliorum ardebat amore.
>
> VIRGIL. *Æneid.* XI, 778 sqq.

FOLLICULUS. — Vulva.

« Genitali arvo, quod scilicet vulvam vocant, ut etiam Plinius docet; nam *folliculus* ante dicebatur. »

FESTUS.

Folliculum ponit Lucilius pro toto corpore.

« Ego si quis sum, et quo *folliculo* nunc sum indutus, non queo. »

LUCIL. *Frag.* XXVI.

FONS. — Ad venerea translatum.

Falce minax et parte tuî majore, Priape,
Ad *fontem*, quæso, dic mihi qua sit iter?
Priap. Carm. XXIX, 1 sq.

FORARIÆ. — Villicæ mulieres, quæ fructus venales in urbem ferebant; pleræque scorta. Vide *Blond. Triumph. Rom.* IX.

FORES. — Famosissimæ in re venerea.

1° Amantium querelæ in januas reluctantes:

Nam posita est nostræ custodia sæva puellæ;
Clauditur et dura janua firma sera.
Janua difficilis dominæ, te verberet imber!
Te Jovis imperio fulmina missa petant!
TIBULL. I, II, 5 sq.

Ad nocturna jacet fastosæ limina mœchæ,
Et madet, heu! lacrymis *janua surda* tuis.
MART. X, XIII, 7 sqq.

2° Ludi et adorationes. Amasiarum limina floribus ornabant:

Sparsa nec invenias limina mane rosa.
OVID. *Art. Amat.* III, 72.

Et unguentis perfundebant.

At lacrymans exclusus amator limina sæpe
Floribus et sertis operit, postesque superbos
Ungit amaracino.....
LUCRET. IV, 1170 sqq.

3° *Foribus* incidebant verba amatoria.

. . quoties *foribus* duris incisa pependi
Non vetita a populo prætereunte legi.
OVID. *Amor.* III, I, 53 sq.

4° Nocte *fores* occentabant. Gallice *donner des sérénades*.

..... dum Chrysidis udas
Ebrius ante *fores* exstincta cum face canto.

PERS. V, 165 sq.

5° Astutiæ. Intus puella consulebat, ne cardines sonarent. Inde frequentissima illa rogatio ut januæ mutæ fiant.

Janua, jam pateas uni mihi victa querelis,
Neu furtim verso cardine aperta sones.

TIBULL. I, II, 9 sq.

« Bellissimum, hercle, vidi et taciturnissimum. Nunquam ullum verbum muttit; quum aperitur, *tacet* : Quumque illa noctu clanculum ad me exit, *tacet*. »

PLAUT. *Curcul.* I, I, 20 sqq.

Ad hunc effectum, cardines aqua perfundebantur.

« Placide egredere, et sonitum prohibe forum, et crepitum cardinum, Ne quod hic agimus herus percipiat fieri, mea Planesium; Mane *suffundam aquulam*. »

PLAUT. *Curcul.* I, III, 1 sqq.

Meretricum *fores* et fenestras alto cum strepitu quatiebant juvenes, præsertim post comessationes nocturnasque nequitias.

Parcius junctas quatiunt fenestras
Ictibus crebris juvenes protervi,
Nec tibi somnos adimunt....

HOR. *Od.* I, XXV, 1 sqq.

Nec tua frangetur nocturna janua rixa.

OVID. *Art. Amat.* III, 71.

FORES. — Pro partibus obscenis.

Vagaque pelle, tectus inguinum gelu
Araneosus obsidet *fores* situs.

Priap. Carm. LXXXIV, 28 sq.

FORMA. — Pro pulchritudine.

. .... rara est adeo concordia *formæ*
Atque pudicitiæ.

JUV. X, 297 sq.

Peculiare est mulieribus, ut quod *formæ* per ætatem decedit, id arte et blanditiis corrigere studeant : sed frustra ; nam :

Si possent homines delinimentis capi,
Omnes haberent nunc amatores anus.
Actus, et corpus tenerum, et morigeratio,
Hæc sunt venena formosarum mulierum.
Mala ætas nulla delinimenta invenit.

AFRANIUS, *apud Non. Marc.*

FORNIX. — *Fornices* dicebantur angustæ illæ cellulæ arcuatæ, quibus singula scorta sub singulis titulis viris dabant. Inde *fornix* pro lupanare.

« Quum ego negarem me cognoscere domum, video quosdam, inter titulos, nudasque meretrices furtim conspatiantes. Tarde, imo jam sero intellexi me in *fornicem* esse deductum. Exsecratus itaque aniculæ insidias, operui caput, et per medium lupanar fugere cœpi in aliam partem. »

PETRON. *Sat.*

« Redolet adhuc fuliginem *fornicis.* »

SENEC. *Controv.* II, 1.

Nil medium est; sunt qui nolunt tetigisse, nisi illas
Quarum subsuta talos tegat instita veste :
Contra, alius nullam, nisi olenti in *fornice* stantem.

HOR. *Sat.* I, II, 28 sqq.

Fuliginosos et *male olentes* dicebant *fornices*, a fumo lucernarum quibus collucebant lupanaria. Vide *Horat. Sat.* II, VII; *Juv.* VI, et *Martial.* passim.

Hinc :

FORNICATIO. — Pro stupro, in christianorum synodorum decretis.

[redacted]

Fornicator, Fornicatrix.

« Limitem mœchis et *fornicatoribus* figimus. »

Tertull. *de Pudic.* I.

« *Fornicatrix* est cujus publicum et vulgare est. Hæ sub arcuatis prostituebantur, quæ loca *fornices* dicuntur, unde et *fornicariæ.* »

Isidor. *Etymolog. lib.* 10.

Fornix. — Pro pathico. Sic Curio Cæsarem vocavit :

« Stabulum Nicomedis, et bithynicum *fornicem.* »

Suet. *in Cæs.* 149.

Fortis. — Pro formosa : *forte* enim appellabant Latini quidquid excellebat.

« Sed Bacchis etiam *fortis* tibi visa est. »

Plaut. *Bacch.* II, II, 38.

Eodem sensu :

Fortiuscula. — Non diminutive, sed blanditim : ætate et succo virens.

Fortis. — Ad venerem validus. Vid. Fortiter facere.

« Vidi hic sororem esse ejus.—Convenitne eam ?—Convenit. —Ecquid *fortis* visa est ?

Plaut. *Mil.* IV, III, 12 sq.

Fortuna virginalis. — Dea puellarum peculiaris, ab illis invocata, ut det maritum, et mala arceat.

« Puellarum tegulas *Fortunam* defertis ad *virginalem.* »

Arnob. II.

Templum habebat Romæ ad portam Capenam, a Servio Tullio exstructum.

[redacted]

Fossa. — Obsceno sensu.

> Tibi hæc paratur, ut tuum ter, aut quater
> Voret profunda *fossa* lubricum caput.
>
> *Priap. Carm.* LXXXIV, 30 sq.

> *Fossula* oppidulum arctula profundum
> Et meandribulis inexplicandis
> Munit undula, etc.
>
> Petron. *Phaleuc.* 32 sqq.

> .... castigas turpia, quum sis
> Inter Socraticos notissima *fossa* cinædos.
>
> Juv. II, 10 sq.

Fovere. — Verbum venereum. Puellulam sibi curare et quasi incubare, translatum a re pullaria.

> An grave sex annis pulchram *fovisse* Calypso,
> Æquoreæque fuit concubuisse deæ?
>
> Ovid. *ex Ponto*, IV, x, 13.

> Infelix o semper, oves, pecus! ipse Neæram
> Dum *fovet*, ac, ne me sibi præferat illa, veretur.
>
> Virgil. *Eclog.* III, 3 sq.

Fovere manu. — Concubantem molliter attrectare.

> Puella nec jocosa te levi *manu*
> *Fovebit*, apprimetve lubricum femur.
>
> *Priap. Carm.* LXXXIV, 24 sq.

Fragilis. — De viro prostituto, patiente in venerem; a *frangendo*. *Frangere* enim eodem sensu obscenum est, quo *dividere* et *præcidere*.

> .... atque in me veniat mictum atque cacatum
> Julius, et *fragilis* Pedatia, furque Voranus.
>
> Hor. *Sat.* I, viii, 38 sqq.

Frater et Soror. — In obscenis : lasciva consanguinitas. Puellæ *fratres* vocabant eos quibus dare consuescebant, et ab illis *sorores* dicebantur. Omnia enim paria antiqui *fratres* aut *sorores* appellabant. Sic:

« Nunc obsecro te, Milphio, hanc per dexteram, Perque hanc *sororem* lævam, Perque oculos tuos, etc. »

PLAUT. *Pœnul.* I, III, 8 sq.

« Si non fastidis, inquit, fœminam ornatam, et hoc primum anno virum expertam, concilio tibi, o juvenis, *sororem*. Habes tu quidem et *fratrem* : neque enim me piguit inquirere; sed quid prohibet et *sororem* adoptare? »

PETRON. *Sat.*

Frater ergo et dicebatur de compari in pædicatione. Nam paulo post respondet Polyænus :

« Imo per formam tuam te rogo, ne fastidias hominem peregrinum inter cultores admittere.... Ac ne me judices ad hoc templum amoris gratis accedere, dono tibi *fratrem* meum. »

PETRON. *eod. loco.*

FRATERCULARE, SORORIARE. — De papillis, quum primum puellis intumescunt.

« Tunc papillæ primitus *Fraterculabant* : illud volui dicere, *Sororiabant*; quid opus est verbis?

PLAUT. *Frag. Frivol.* 9 sqq.

Vide Fest. in *fratrare*.

FRATRIÆ.

« *Fratriæ* appellantur fratrum inter se uxores. »

NON. MARC. *de Propinquis.*

FRICTRIX. — Fœmina fœmineo amore ardens; apud Græcos τρίβας.

FRIGIDUS. — Imbellis ad venerem.

« Ego autem *frigidior* hieme gallica factus, nullum potui verbum emittere.... Sollicitavit inguina mea mille jam mortibus *frigida*. »

PETRON. *Sat.*

« Quod si idem *frigus* genua manusque tentaverit tuas, licet ad tubicines mittas. »

PETRON. *Sat.*

Vide *ff. de frigidis* et *maleficiatis.*

FRIGIDA MULIER. — Quæ sub viro jacet immobili lumbo. Marmorea, nivea.

Digna tuo cur sis, indignaque nomine, dicam :
Frigida es, et nigra es : non es, et es Chione.

MART. III, XXXIV, 1 sq.

Χίων enim Græcorum idem est atque nix.

FRIGUTTIRE. — Gestu motuque lascivo ardorem venereum demonstrare.

« Tu nam quid *friguttis ?* quid istuc tam cupide cupis ?

PLAUT. *Casin.* II, III, 49.

FRONS PARVA. — Decora mulieribus.

« Nulla vox est quæ formam ejus possit comprehendere.... *frons minima*, et quæ radices capillorum retroflexerat. »

PETRON. *Sat.*

Frontem imminuere posuit Arnobius inter formæ curas (*Adv. Gent. lib.* II), et Horatius :

Insignem *tenui fronte* Lycorida
Cyri torret amor.

Od. I, XXXIII, 5 sq.

In viris contra, *frons* quo latior, eo honestior.

FRUCINAL aut FRUGINAL. — Templum Romæ Veneri *frugi*, id est honestæ, dedicatum. Vide Fest. Eadem quam Græci οὐράνιαν nominabant.

« Fac sis *frugi*.—Jam non possum, amisi omnem libidinem. »

PLAUT. *Mil.* IV, VIII, 50.

FRUI. — Ad venerem translatum.

Fucosissima me puella ludit,
Et non dat mihi, nec negat daturam :
Causasque invenit usque differendi.
Quæ si contigerit *fruenda* nobis,
Totam cum paribus, Priape, nostris
Cingemus tibi mentulam coronis.

Priap. Carm. L, 2 sqq.

Fugalia. — Festa, in memoriam institutæ reipublicæ, post Tarquinii exsilium. Agebantur mense februario, cum spurcissima licentia.

« Nec ubi *fugalia* celebrarentur omni licentia turpidinum, et vere *fugalia*, sed pudoris et honestatis. »

Aug. *de Civ. Dei*, VI.

Fugitiva venus. — Amor transitorius.

Quid quasi pellicibus torqueris inepta ministris,
In quibus et levis est et *fugitiva venus?*

Mart. XII, xcvi, 3 sq.

Fundus. — Pudendum muliebre.

« Nemo ire quemquam publica prohibet via, Dum ne per *fundum* septum facias semitam. Dum tete abstineas nupta, vidua, virgine, Juventute et pueris liberis, ama quid lubet. »

Plaut. *Curcul.* I, 1, 35 sqq.

Funeratus. — Impotens veneri.

« Credo mihi, frater, non intelligo me virum esse, non sentio ; *funerata* est pars illa corporis qua quondam Achilles eram. »

Petron. *Sat.*

Furere. — Ardere in venerem.

« Hæc duo nomina, *furor* et *amor*, ita sibi familiaria sunt, ut alterum pro altero ponatur ; sicut, *furere* et *amare* : *furere Inachia*, amare Inachiam. »

Vet. Interpret.

Hic tertius december, ex quo destiti
Inachia *furere*,
Silvis honorem decutit.
ID. *Epod.* XI, 7 sqq.

Certe, sive mihi Phyllis, sive esset Amyntas,
Seu quicumque *furor* (quid tum, si fuscus Amyntas?
Et nigræ violæ sunt, et vaccinia nigra,)
Mecum inter salices lenta sub vite jaceret.
VIRGIL. *Eclog.* X, 37 sqq.

FURIARE. — Ad venerem excitare.

Quum tibi flagrans amor et libido,
Quæ solet matres *furiare* equorum,
Sæviet circa jecur ulcerosum
Non sine questu.
HOR. *Od.* I, XXV, 13 sqq.

FURTA. — Prædationes venereæ, stupra, adulteria, etc.

« Edepol, næ illa *furtis rebus* te sciat operam dare, Ego faxim te Amphitruonem esse malis quam Jovem. »
PLAUT. *Amph.* I, III, 12 sq.

« At tu, qui potior nunc es, mea *furta* caveto. »
TIBULL. I, v, 69.

Hinc:

FURTIVUS LECTUS.

Parce tamen, per te, *furtivi* fœdera *lecti*,
Per Venerem quæso, compositumque caput.
TIBULL. I, v, 7 sq.

FURTIVUS USUS.

Et quum *furtivo* juvenem lassaverit *usu*,
Tecum interposita languida veste cubet.
TIBULL. I, IX, 55 sq.

FUTUERE. — A verbo græco φυῶ, *genero*.

Latinis vocabulum nuptum, sed non impudicum. Sensu proprio dicebatur de concubitu viri cum fœmina.

Qua factus ratione sit requiris,
Qui numquam *futuit*, pater Philænus :
Gaditanus, Avite, dicat istud,
Qui scribit nihil, et tamen poeta est.

MART. X, CII, 1 sqq.

Quanto tu melius, quoties placet ire *fututum*,
Quæ verum mavis dicere, Paulla, viro!

MART. XI, VIII, 13 sq.

FUTUTIO.

Numquid pollicita est tibi beatam
Noctem, Nævia, sobriasque mavis
Certæ nequitias *fututionis* ?

MART. I, CVII, 4 sqq.

FUTUTOR PERDITUS. — Spurcus, flagitiosus.

Sunt illic veneris novæ figuræ,
Quales *perditus* audeat *fututor*.

MART. XII, XLIII, 5 sq.

FUTUTOR. — Pro tribade.

Esse videbaris, fateor, Lucretia, nobis :
At tu, proh facinus! Bassa, *fututor* eras.

MART. I, XCI, 5 sq.

FUTUTRIX MANUS.

.... Sed sit satis : inguina saltem
Parce *fututrici* sollicitare *manu*.

MART. XI, XXIII, 3 sq.

FUTUARIA LEX. — Edictum Heliogabali, jussu ejus vulgatum, Venerisque templo propositum.

« Jura visendi, consectandi, susurrandi, gestiundi, salutandi, confabulandi, precandi, perpetuo interdiu *futuariis* permissa ex me sunto. — Ex æde, foramine, horto, postico, impluvio, hæc commoda nemo nemini prohibento. — Fidem consilia ferunto, ferunto auxilium, operamve danto. — Sub noctu vota tractanto. — Promissa, juramenta, lamenta admis-

cento. — Sollicitando, verecundiam, timorem amovento. — Tristitiam suppremunto. — Tempori locove obsecundanto. — Occasioni ne unquam cedunto. — Internuntias, epistolas succudunto. — His spem, voluntatem, exspectationem, necessitatem, misericordiam adlectanto. — Inseranto fraude, vi, dolo. — Ostentatione attemperate utuntor. — Prudentiam, tacuitatem habento, tenento, gestiunto. — Ex pathica quicquam sempiterne, quasi stipem et pignus capiunto. — Ejus permissum advehunto, novam quærunto. — Actuve, pompave grandi, animam nobilem insectantor. — Notas conjectarias rectius novanto. »

PETR. CRINIT. *de Vita honesta*, XI, 8.

Hanc legem Heliogabalus de nomine uxoris suæ Semiramiæ jussit appellari. Vide *Lamprid. ad Constantinum Augustum.*

GADI

GADITANÆ. — Puellæ hispanienses cantu suavi, necnon molli saltatione, Romæ insignes. Pleræque meritoriæ. *Gaditanæ* e Gadibus, unde innumerabilia scorta continue accedebant.

Cantica qui Nili, qui *gaditana* susurrat.

MART. III, LXIII, 5.

Nec de *Gadibus* improbis puellæ
Vibrabunt sine fine prurientes
Lascivos docili tremore lumbos.

MART. V, LXXVIII, 26 sqq.

Forsitan exspectes ut *gaditana* canoro
Incipiant prurire choro, plausuque probatæ
Ad terram tremulo descendant clune puellæ,
Irritamentum veneris languentis, et acres
Divitis urticæ.

JUV. XI, 162 sqq.

[redacted]

Galba. — Scurra temporis Augusti de quo Juvenalis, *Sat.* V. Ejus meminit Plutarchus. Quum dormitaret Mæcenati uxorem suam contrectanti post cœnam, tamen ad calices vigilabat, servulumque videns vinum sublegentem : *Non omnibus*, ait, *dormio*. Cæterum, hujus generis lenones eleganter notat Tertull., *lib. de Patientia*, *cap.* 16.

Qualia autem essent *Galbæ* dicta, docet Quintilianus.

« Id porro quod dicitur, aut est lascivum et hilare, qualia *Galbæ* pleraque, aut contumeliosum, qualia nuper Junii Bassi, etc.

Quintil. *Inst. Orat.* VI, 3.

Galbana aut **Galbina.** — Vestis coloris herbacei ad usum fœminarum, mollibus usurpata. Inde, *galbani mores* pro moribus effœminatorum.

Nativa laudet, habeat et licet semper
Fuscos colores, *galbanos* habet *mores*.

Mart. I, xcvii, 8 sq.

Reticulumque comis auratum ingentibus implet
Cærulea indutus scutulata aut *galbana* rasa.

Juv. II, 96 sq.

« Vestitus chlamyde coccea, tunica *galbina*, brachia *galbinis* indutus. »

Vopisc. *in Aurelian.* II.

Hinc :

Galbanatus. — Pro molli et pathico.

Conviva quisquis Zoili potest esse,
Summœnianas cœnet inter uxores.
. . . .
Jacet occupato *galbanatus* in lecto.

Mart. III, lxxxii, 1 sqq.

Vide *Turneb. lib.* I, *cap.* VIII.

Gallam subigere. — Verbum flagitiosum a sutrina translatum. Virum aut mulierem inire.

« Plancus in judicio forte amici, quum molestum testem destruere vellet, interrogavit, quia sutorem sciebat, quo artificio se tueretur. Ille urbane respondit : *Gallam subigo.* Sutorium hoc habetur instrumentum, quod non infacete in adulterii exprobationem ambiguitate convertit : nam Plancus in Mævia Galla nupta male audiebatur. »

Macrob. *Saturn.* II, 2.

Galli. — Sacerdotes deæ Cybeles, qui ex ritu semetipsos castrabant, non ferro, sed testa. Vide *Plin.* II, 49. Rhea enim, quam in montibus Phrygiæ Cybelen vocabant, exsectionem virorum instituisse dicitur, propter adamatum Atyn.

Ast hic metuenda dedicat genitalia,
Numen reciso mitigans ab inguine :
Offert pudendum semivir donum deæ.
Illam revulsa masculini generis
Vena effluenti pascit auctam sanguine.

Prudent. *Peri steph. hymn.* X, vs. 1066 sqq.

Galliambon. — Genus metri varietas iambici, ultimo pede claudicans. Exemplum est in epigrammate Catulli de Aty. Sic dictum, quod peculiare erat *Gallis* in festis Cybeles. Carmen mollibus cantilenis consecratum.

Nec dictat mihi luculentus Atys
Mollem debilitare *Galliambon.*

Mart. II, lxxxvi, 4 sq.

Gallina. — Blandimentum amatorium.

« Dic igitur me tuum passerculum, *gallinam*, coturnicem, agnellum. »

Plaut. *Asin.* III, iii, 76.

Gallina. — Pro meretrice; quia more *gallinarum*, meretrices omnia spargunt et sumunt.

« An, obsecro, hercle habent quoque *gallinæ* manus; Nam has quidem *gallina* scripsit. »

Plaut. *Pseudol.* I, 1, 27 sq.

Hunc Plauti locum quidam intelligunt de manu incomposita in scripturis; quod non verisimile.

Gallus. — Pro castrato.

Curandum penem commisit Baccara Græcus
Rivali medico. Baccara *Gallus* erit.

Mart. XI, lxxv, 1 sq.

Gallus Gallinaceus. — Custos amorum ad evigilandos mœchos et fures venereos, teste Luciano in *Somnio* qui *Gallus* inscribitur.

Mars enim, quoties ad Vulcani conjugem veniebat, timens ne se Sol cum ea deprehenderet, et Vulcano nuntiaret, Alectryonem secum adducebat, eum foris ad ostium jubens observare quum Sol emergeret. Cæterum quadam nocte somnus Alectryonem oppressit, nec ideo sensit adventantem Solem, qui Martem cum Venere dormientem deprehendit, remque Vulcano renuntiavit. Iratus Mars Alectryonem in *gallum* convertit. Hinc Ausonius :

.... Ter clara instantis Eoi
Signa canit serus depremso Marte satelles.

Eidyll. IV, 26 sq.

Gallulare. — Pubescere.

« Puerum mulieri præstare nemo scit, quanto melior sit cujus vox *gallulascit*, cujus jam ramus roborascit. »

Novius, *Exod. apud Non. Marc.*

Ganea, Ganeæ. — Tabernæ vinariæ simul et libidinum; sic dictæ ἀπὸ τῆς γᾶς, τοῦτ' ἔστι γῆς. (*Donat.*) Pleræque subterraneæ et cryptatæ. Vide *Lubini Antiquarium.*

Gannire, Gannitus. — Proprie canum; ad venerem translatum.

> Inter *gannitus* et subantis voculas,
> Carpant papillas, atque amplexus intiment.
>
> Apul. Ἀνεχόμ. 14 sq.

> Tuccia vesicæ non imperat, Appula *gannit*
> Sicut in amplexu.....
>
> Juv. VI, 64 sq.

Ganymedes. — Puer formosissimus, quem Jupiter ab aquila rapi jussit, et loco Hebes expulsæ nectari miscendo præfecit.

Castissima initio fuit hæc fabula. Verus ejus sensus est, prudentes solum a deo amari. Vid. *Tusc. Quæst. lib.* 2. Ex ethicis enim *Ganymedes* est anima hominis sapientis ob eximiam virtutem a deo rapta.

Pulcherrimus dictus est, quia flagitiorum purus: pocula Jovi ministrat, quia sapientiæ officiis delectatur divinitas: ab aquila tandem raptus, quum sit aquila symbolum perspicacitatis.

Procul ergo amovenda sunt turpia et obscena, quæ de *Ganymede* relata aut picta sunt ab impuris.

> Quum tua tot niveis ornetur ripa ministris,
> Et *Ganymedeo* luceat unda choro.
>
> Mart. VII, l, 3 sq.

Gaudia veneris. — Gallice *les joies de ce monde.*

> Nam quis concubitus, *veneris* quis *gaudia* nescit?
>
> Petron. *Sat.*

Vos quoque abesse procul jubeo; discedat ab aris
Cui tulit hesterna *gaudia* nocte *venus*.

TIBULL. I, II, 19 sq.

GAUDIA FŒDA. — Masturbatio.

Nempe semel futuit, generaret Horatius ut tres:
Mars semel, ut geminos Ilia casta daret.
Omnia perdiderat, si masturbatus uterque
Mandasset manibus *gaudia fœda* suis.

MART. IX, XLI, 5 sqq.

GEMELLI. — Latini *gemellum* dicebant pro pari aut simili; præsertim in malam partem. Sic Horatius:

Quinti progenies Arri, par nobile fratrum
Nequitia et nugis, pravorum et amore *gemellum*.

HOR. *Sat.* II, III, 243 sq.

GEMELLI. — Cinædi, pathici.

Pulchre convenit improbis cinædis
Mamurræ pathicoque, Cæsarique.
....
Morbosi pariter, *gemelli* utrique,
Uno in lectulo, erudituli ambo.

CATULL. LIII, 1 sqq.

GEMELLI. — Colei; eodem sensu quo græce διδύμοι, ex Galeno, *in Libello isagogico*.

Mox somnum excitat procax libido,
Lætus nervulus, et sopore ab illo
Pruriens, usque et usque tensus
Gemellorum agitet..........
.... Usque sed novate,
Usque et usque alacres novate, et usque
Dum vos inter opus Venus *gemellos*
Solvat......

PETRON. *Pseud. cent.* vs. 67 sqq.

GEMINÆ GEMMULÆ. — Oculi micantes.

Malas adorent ore et ingenuas genas,
Et pupularum nitidas *geminas gemmulas*.

APUL. Ἀνεχόμ. 8 sq.

GEMINARE. — Copulare; ad venerem translatum.

Sed non ut placidis coeant immitia, non ut
Serpentes avibus *geminentur*, tigribus agni.

HORAT. *de Art. Poet.* 12 sq.

GEMIPOMÆ. — Mammæ.

Conde papillas, conde *gemipomas*,
Compresso lacte quæ modo pullulant.

Ex catalectis vet.

GENER. — Pro marito. Vide *Maur. Serv. in Virgil.*

.... Tibi serviat ultima Thule :
Teque sibi *generum* Thetis emat omnibus undis.

VIRGIL. *Georg.* I, 30 sq.

GENERABILIS. — Genitalis ; verbum Apulianum.

« Quidquid inest natura generandi, in *generabilia* sunt. »

APUL. *in Hermet.*

GENETHLIACON. — Mere græcum. Proprie natale, natalitium; quidquid in diem natalem dictum aut factum. Titulus carminis Ausonii (*Eidyll.* XXXIII) ad festum Nepotis. Veteres, eo die quo imponenda essent infantibus nomina, advocabant mathematicos qui, inspecto themate genethliaco, fausta infaustaque prædicebant; idque vocabant *fata advocare*, *fata scribere*. Vid. *Meurs. in Plaut. Prolog. suppos. Bacchidibus*, v. 62.

GENIALIA FESTA. — Saturnalia; sic dicta eo quod *Genio* indulgebatur, id est, quibuscumque voluptatibus, etiam propudiosis. Vide SATURNALIA. Agebantur kalendis januariis.

Ter senis, unoque die *genialia festa*
Porrigit, ut Janum arcessat nona bruma morantem.
AUSON. *Eidyll.* XXII, 5 sq.

GENIALIS LECTUS. — Vide LECTUS.

GENIATUS. — Venustus.

« Fuit decorus corpore et vultu *geniatus*. »
JUL. CAPIT. *in Luc. Ver.*

GENITA MANA. — Dea cui vota ferebant, ne pueri imbelles et difformes nascerentur. Canis ei immolabatur. Vide *Bartholin. de Puerp.*; *Plin.* XXIX, 4; *Plutarch. Quæst. rom.* 51.

GENITALE CAPUT. — Pro balano.

Reddimus obscenæ convicia debita genti,
Quæ *genitale caput* propudiosa metit.
CLAUD. RUTILIUS NUMATIANUS, *Itiner.* I, 387 sq.

GENITALIA. — Pro pudendis.

Facce etiam vini *genitalia* lauta levantur,
Et tumidos testes nereia lympha coercet.
SERENUS SAMMONICUS, *de Medicina*, *cap.* 36.

GENITRIX.

« A *matre* hanc habet distantiam, quod *genitrix* semper quæ *genuerit* nuncupatur; *mater* vero aliquando pro nutrice ponitur. »
NON. MARC.

Vide MATER.

GENIUS. — Deus *generationis*, aut melius, natura ipsa, tanquam vim habens rerum gignendarum.

« *Genius* generis nostri parens. »
LABER. *apud Non. Marc.*

A Romanis colebatur die natali, in gratiam beneficii quo geniti fuerant.

[redacted]

. . . . Silvanum lacte piabant,
Floribus et vino *Genium* memorem brevis ævi.

HOR. *Epist.* II, 1, 143 sq.

Dicamus bona verba : venit natalis ad aras.
. . . .
Ipse suos *Genius* adsit visurus honores.

TIBULL. II, II, 1-5.

Genius ergo princeps omnium voluptatum. Hinc:

GENIO INDULGERE. — Pro venere frui.

Indulge Genio; carpamus dulcia; nostrum est
Quod vivis; cinis, et manes et fabula fies.

PERS. V, 151 sq.

Et contra, *defraudare Genium*, *suum contra Genium debellare*, pro cupiditatibus suis imperare. *Plaut.*, *Terent.*, etc.

Præter illum *Genium* omnibus communem, cuique rei et cuique viro *Genios* duos peculiariter dabant antiqui, *bonum* et *malum;* quod omnibus notum est. Vide *Pers.* IV, 27; VI, 48; *Horat.*, *Virgil.*, *Cicer.*, etc.

GERERE MOREM. — Suæ aut aliorum libidini servire: proprium lenonis et meretricis.

« Pater nunc intus suo animo *morem gerit* : Cubat complexus, cujus cupiens maxume est. »

PLAUT. *Amph. Prolog.* 131 sq.

Vide *Donat. ad Terent.*

GERULIFIGULUS FLAGITII. — Præceptor flagitiorum. *Geruli* sunt qui efficiunt, et *figulus* ponitur pro pædagogo. Vid. *Fest.*

« Quibus tuum patrem, meque una amicos, affines tuos,
Tua infamia fecisti *gerulifigulos flagitii.* »

PLAUT. *Bacchid.* III, I, 13 sq.

GIGNERE CULPA SUA, VITIO SUO. — Liberos extra matrimonium suscipere; venere vaga spurios procreare.

« Qui bono sunt genere nati, si sunt ingenio malo, *Suapte culpa* genere capiunt genus, ingenium improbant. »

PLAUT. *Mercat.* V, IV, 8 sq.

« Eo sumus gnatæ genere, ut deceat nos esse a *culpa* castas. »

PLAUT. *Pœnul.* V, IV, 13.

Huic semper *vitio* pater fuisti.

MART. XII, LIII, 10.

Hic *culpa* et *vitium* pro coitu illegitimo.

GITON. — Encolpi deliciæ in Petronii Satyr. Hinc gallica lingua pro catamito, a γείτων, *vicinus, proximus,* verbum amoris apud Græcos.

GLABRARIUS-A. — Proprio sensu de ovi tonsa (*Varr. de Re rustic.*). Salsiori vero translatione, pro viro a meretricibus exspoliato, aut fœmina ab amasiis suis pessumdata.

Et quidquid petit, usque et usque donas:
Væ *glabraria,* væ tibi misella!
Nudam te statuet tuus Lupercus.

MART. IV, XXVIII, 6 sqq.

GLABRI. — Pro pueris meritoriis; quum sint sine pube.

Diceris male te a tuis
Unguentate, *glabris,* marite,
Abstinere; sed abstine.

CATULL. LVI, 141 sqq.

Et inde pro mollibus et cinædis, qui, muliebria

patientium more, se totum corpus levigabant. Vide DIVELLERE.

Ore tener, latus pectore, crure *glaber*,
Uxori qui sæpe tuæ comes improbus hæret,
Non est quod timeas, Candide : non futuit.

MART. XII, XXXVIII, 4 sqq.

Vide *Athen. lib.* XII, et *Plin. Præfat. lib.* XIX.

GLADIATRICES.—Pugnas et mulierum edidit Domitianus.

« Venationes gladiatoresque, et noctibus ad lychnuchos: nec virorum modo pugnas, sed et *mulierum* (commisit). »

SUET. *in Domit.* 4.

« *Fœminarum* illustrium, senatorumque plures *per arenam fœdati sunt.* »

TACIT. *Annal.* XV, 32.

Vide *Papin. Silv. in fine lib.* I; *Dion. in Domitian.*; *Martial. de Spectacul. epigr.* VII, etc.

GLADIATOR OBSCENUS.

« Non taces, inquit, *gladiator obscene*, quem de ruina arena dimisit? Non taces, nocturne percussor, qui ne tum quidem, quum fortiter faceres, cum pura muliere pugnasti? »

PETRON. *Sat.*

GLADIUS. — Pro pene.

« Dum, *gladium* ne habeat, quæro, arripio capulum.... Sed quum cogito, non habuit *gladium*; nam esset frigidius. »

PLAUT. *Casin.* V, II, 30 sq.

GLAUCUS. — Rex Potniarum in Bœotia, Sisyphi filius; quum equas suas a coitu cohiberet, quo essent velociores, Venus indignata furorem eis tantum immisit, ut dominum dilacerarint.

Scilicet ante omnes furor est insignis equarum :
Et mentem Venus ipsa dedit, quo tempore *Glauci*
Potniades malis membra absumpsere quadrigæ.

VIRGIL. *Georg.* III, 266 sqq.

Vide *Equi* HIPPOMANES.

GLUBERE. — In obscenis. Vide DEGLUBERE.

GRACILIS. — Pro molli ac tenello.

Quis multa *gracilis* te puer in rosa
Perfusus liquidus urget odoribus
Grato, Pyrrha, sub antro ?

HOR. *Od.* I, v, 1 sqq.

Aptius tamen puellarum epithetum.

« Quas matres student demissis humeris esse, vincto pectore ut *graciles* sient. »

TERENT. *Eun.* II, III.

GRATIÆ. — Græce *Charites;* Veneris comites et ornatrices. Duas tantum admittebant Lacedæmonii ; tres vero Athenienses, ut omnibus notum est.

Ex Jove et Venere genitas nonnulli scripserunt ; alii, ex Libero et Venere; Hesiodus, ex Jove et Eurynome, nympha Oceani ; Lactantius, ex Jove et Autonoe, Cadmi filia ; Cicero, ex Erebo et Nocte ortas existimat.

1° Venerem semper comitabantur, ut illarum beneficio, continua amabilitate, et quasi semper nova, maritum continuo allectaret. Quod Plutarchus ostendit in Ἐρωτικῷ, ac *de præceptis* quoque *connubialibus*, demonstrans uxoribus erga maritos *gratiis* opus esse, ne usu et ætate injucundæ fiant. Eodem sensu intelligendus est Homerus, quum Veneri peplum a *Gratiis*

laboratum ait, *Iliad. lib.* V, et *lib.* VI, quo Vulcanus *Venerem et Gratiam* simul duxit. Vide *Dialog. Mercurii et Apollinis apud Lucianum.*

2° Primitus vestitæ *Gratiæ* fingebantur. Cur ergo, inquit Pausanias, mutata antiquorum ratione, nudas pingere aut sculpere adorti sunt? Nudæ sunt, ut sciant nubentes, in probrum semper fœminis esse corpus aut animum quoquo modo fucare.

3° Ad bonam ergo Venerem, id est legitimam, inventæ sunt *Gratiæ*, lepidissima fabula uxorum officium demonstrantes. Sic *solutis zonis* effictæ sunt, ob conjugalis obsequii facilitatem, quæ in fœmina requiritur. Sic virgines, juvenes, ridentes, et consertis manibus quasi virum retinentes, etc. Vid. *Horat. Od.* I, XXX, 5; III, XXI, 22; IV, VII, 5. *Epist.* I, VI, 49; et *Senec. de Beneficiis, lib.* I.

GREMIUM. — Pro vulva.

> Egregium narras mira pietate parentem,
> Qui ipse sui gnati minxerit in *gremium.*
>
> CATULL. LXII, 29 sq.

HABE

HABERE MULIEREM. — Verbum nuptum usitatissimum.

« Tanquam major fieri possit, quæ abstulit mihi, per quod etiam *te habere* potui. »

PETRON. *Sat.*

> Ferreus ille fuit, qui *te* quum posset *habere,*
> Maluerit prædas stultus et arma sequi.
>
> TIBULL. I, II, 67 sq.

Adde illud Terentii in *Andria:*

« Quis heri *habuit Chrysidem?* »

HABERE VIROS. — Dicebatur in manifesto deprehensos.

« Nunc pol ego demum in rectam redii semitam. Hic ipsus Casinam deperit : *habeo viros.* »

PLAUT. *Cas.* II, VIII, 33 sq.

HABERE PRO CIBO. — In usum diuturnum.

« Nam qui amat, quod amat, si id habet, *id habet pro cibo,* Videre, amplecti, osculari, adloqui. »

PLAUT. *Merc.* IV, IV, 4 sq.

HABERE PRO MATULA. — Contumeliose.

« Jam, hercle, ego vos *pro matula habebo,* nisi mihi matulam datis. »

PLAUT. *Mostell.* II, I, 39.

HABITARE. — Venerem agere.

« Et rogo, inquam, mater, numquid scis, ubi ego *habitem?..* et quidni sciam? inquit; consurrexitque et cœpit me præcedere; .... at subinde, ut in locum secretiorem venimus, centonem anus urbana rejecit, et : hic, inquit, debes *habitare.* Quum ego negarem me cognoscere domum, ... tarde, imo jam sero intellexi me in fornicem esse deductum. »

PETRON. *Sat.*

HÆDILLUS. — Inter blandimenta.

« ..... *Hædillum* me tuum dic esse, vel vitellum. »

PLAUT. *Asin.* III, III, 77.

HASTA. — Pro pene; translatum a re militari, quod frequentissimum.

Intorquet summis adnixus viribus *hastam.*

AUSON. *Cent. nupt.* 117.

Quid tum ! nudula tota, tota inermis,
Armatum *hastulula* tua vibrante
Aperta oppiduli in sui benigne
Castella, o pudeat !

PETRON. *Phaleuc.* 45.

HEBE. — Dea juventutis, quam Jupiter, ob formæ elegantiam, poculis suis præfecit. Verum, quum Jove in publicum cœnante, vinum administrans, perque lubricum pavimentum minus caute incedens, cecidisset, volutisque vestibus pudenda nudasset, propter pudorem ab officio amota est, ejusque loco Ganymedes subrogatus. Postea Herculi nupsit, quod significat, esse necesse ad fortes gignendos florentem ætatem cum robore conjungi. Vide *Gyrald. Syntax. deorum*, et *Cicer. Tuscul. Quæst. lib.* I.

Pluribus ut cæli tereretur janua divis,
Hebe nec longa virginitate foret.

CATULL. LXIII, 115 sq.

Hebe Latinis Juventa (*Ovid. de Ponto* I.) Vide JUVENTA.

HERMES. Ἑρμῆς. — Statua saxea, vias aut terminos indicans. Conficiebatur mole rudi, absque brachiis cruribusque ; imposito tantum capiti saxo quadrato, medio in cujus arrigebat membrum virile. Vide *Fest.*, *Macrob.* I, 19, etc. Hinc de inerte, sed guloso et libidinoso, in proverbium dicebatur, *Hermæ similem esse*, quum nil haberet nisi caput et penem.

. . . . At tu
Nil nisi Cecropides, truncoque simillimus *Hermæ*.

JUV. VIII, 52 sq.

HERMAPHRODITUS. — Mercurii et Veneris filius, ut ex

ipsa statim vocis compositione apparet. Nam Mercurius Ἑρμῆς, Venus Ἀφροδίτη dicitur Græcis. Vide *Ovid. Metam. lib.* IV. Quum in Caria vagabundus, ad fontem nymphæ Salmacis pervenisset, ejus amore correpta dea, illo tamen concubitum recusante, simulato recessu post vepres latuit. *Hermaphroditus*, Salmacen abiisse ratus, undas nudus intravit; quod videns, nympha subito accurrit, et abjectis vestibus arctissime eum complexa est : sed quum juvenem neque precibus, neque blanditiis exorare posset, a diis petiit, ut in unum corpus redigerentur, ita tamen ut sexus uterque integer remaneret; quo coagulo androgynus factus, *Hermaphroditus* superos rogavit, ut qui vir in futurum fontem eum intraret, mas et fœmina exiret. Vide *Mart.* VI, LXVIII.

Porro Salmacis fabula ad desidiosum otium referenda est; erant enim Cares fœdis libidinibus dediti. Unde *hermaphroditi* dicebantur molles et præsertim pathici, tanquam utramque venerem exercentes.

Vide *Strab. lib.* XIV, et ANDROGYNI et SALMACIS.

HERNIA. — Proprie folliculus qui coleos involvit; sæpe pro testiculis ipsis.

> Nil ibi per ludum simulabitur; omnia fient
> Ad verum, quibus incendi jam frigidus ævo
> Laomedontiades, et Nestoris *hernia* possit.
>
> JUV. VI, 324 sqq.

> Ipse super virides aras luctantia pronus
> Dum resecat cultro colla, premitque manu,
> Ingens iratis apparuit *hernia* sacris.
>
> MART. III, XXIV, 7 sqq.

Hesternæ occurrere cœnæ. — Nauseabunda, et ideo acerrima in pædicationem metonymia.

> An facile et pronum est agere intra viscera penem
> Legitimum, atque illic *hesternæ occurrere cœnæ?*
>
> Juv. IX, 43 sq.

Hiatus. — De cadurco fœmineo, contumeliose.

> Aut tibi pannosæ pendent a pectore mammæ;
> Aut sulcos uteri prodere nuda times;
> Aut infinito lacerum patet inguen *hiatu*;
> Aut aliquid cunni prominet ore tui.
>
> Mart. III, lxxii, 3 sqq.

Et de altero loco :

> Ut semper solet et timere lucem
> Qui tanto patet indecens *hiatu*
> Barbato macer eminente naso.
>
> *Priap. Carm.* XI, 12 sqq.

Hilaria.—Dies festi matris deûm, peculiari nomine sic appellati, quod post luctus breves simulationes, lætitiæ exordium præcanebatur, omnibusque licentia ludendi et lasciviendi.

« *Hilaribus* quibus omnia festa fieri debere scimus »

Vopisc. *in Aurelian.*

Hinc :

Hilaridos. — Cantor lascivi carminis. (*Fest.*)

Hillæ.—In obscenis. Hinc etiam divisores dicti *hillicidæ*. scilicet qui pullariam facerent.

« *Hillas* intestina veteres esse dixerunt. Unde *Bohilla* oppidum in Italia, quod eo bos intestina vulnere trahens advenerit. »

Non. Marc.

« Neve aliter hunc pædicabis, quomodo video adolescenti nostro cædi *hillas*. »

Laber. *apud Non. Marc.*

[redacted]

Hippomanes. — Ἱππομανεῖν dicunt Græci, non tantum eos qui equos alendi studio tenentur, sed et eos qui immoderato amore insaniunt, teste Suida et aliis. Ab hoc fonte *hippomanes* Latinis dicitur, non tantum caruncula illa quæ nascentis pulli fronti inhæret, sed et illud quod inguinibus equarum distillat, quum coitum ardent. Utrumque valere credebant ad incantationes, et in poculis amatoriis.

De priore :

Quæritur et nascentis equi de fronte revulsus,
Et matri præreptus amor.

Virgil. *Æneid.* IV, 515 sq.

Fallitur, Æmonias si quis decurrit ad artes,
Datque quod a teneri fronte revellit equi.

Ovid. *Art. amat.* II, 99 sq.

.... Hæc potio torquet;
Hæc lacerat mixtos equitum cum sanguine patres.
Tanti partus equæ, quanti una venefica constat.

Juv. VI, 624 sqq.

De altero :

Hinc demum, *hippomanes* vero quod nomine dicunt
Pastores, lento distillat ab inguine virus.

Virgil. *Georg.* III, 280 sq.

Et quod ubi indomitis gregibus Venus afflat amores,
Hippomanes cupidæ stillat ab inguine equæ.

Tibull. II, iv, 57 sq.

Hircissare. — Pubescere, τραγιᾶν: ob vocis raucam asperitatem *hircorum* amoris sonui præsimilem. Vide *Cæl. Rhod.* XIX, 121. *Hircorum* enim libido in proverbium.

Hircosus. — Pro impudico, cui et os et anima fœtent.

« Blennus, stultus, *hircosus*, impudicus. »

Placid. *in Glossis.*

Hirquitalli. — Accedentes ad virilitatem ; hircorum a salacitate. Vide *Sext. Pomp. et Fest.*

Histriones. — In deliciis Romanarum, deficientibus tamen gerulis. Vide Fibula.

> Solvitur his magno comœdi fibula : sunt quæ
> Chrysogonum cantare vetent : Hispulla tragœdo
> Gaudet : an exspectas ut Quintilianus ametur ?
> Accipis uxorem, de qua citharœdus Echion
> Aut Glaphyrus fiat pater, Ambrosiusque choraules.
>
> Juv. VI, 73 sqq.

> Comœdi tres sunt ; sed amat tua Paulla, Luperce,
> Quattuor ; et κωφὸν Paulla πρόσωπον amat.
>
> Mart. VI, vi, 1 sq.

Honor. — Pro venustate.

> « Maximus in minime rugosis genibus *honor.* »
>
> Sidon. Apollin. I, 2.

> ..... Celsæ procul adspice frontis *honores*,
> Suggestumque comæ .....
>
> Stat. *Epithal. Stell. et Violantill.* 116 sq.

Honor. — Pudicitia, integritas. (*Non. Marc.*)

> .... et rapti Ganymedis *honores.*
>
> Virgil. *Æneid.* I, 32.

Hora. — Dea juventæ, ita dicta ἀπὸ τῆς ὥρας, hoc est a venustate et pulchritudine, cui præesse putabatur. Eadem est ac *Hebe* Græcorum. Romuli uxor, quæ in cælum translata Hersilia vocata est.

> Teque, Quirine pater, veneror, *Horamque* Quirini.
>
> Ennius, *apud Non. Marc.*

Apud Ovidium in fine *lib.* XIV *Metam.* legitur Ora sine adspiratione. Vide Juventas.

Hortensius. — Orator romanus, Ciceronis æmulus; auctor carminum lascivissimorum.

Nec minus *Hortensi*, nec sunt minus improba Servi
Carmina; quis dubitet nomina tanta sequi?
Ovid. *Trist.* II, 441 sq.

Hortus. — Mulierum pudenda. Eleganter solebant veteres agriculturæ vocabula ad rem veneream transferre. Vide Arare, Fodere, Ager, Arvum, Poma, etc.

Quod meus hortus habet sumas impune licebit,
Si dederis nobis quod tuus *hortus* habet.
Priap. Carm. IV, 3 sq.

Thyrsumque pangant *hortulo* in cupidinis.
Apul. Ανεχόμ. 17.

Sic *hortum* suum nuncupabat Julia Augusti id interfemineum quo mulier erat.

Hybridæ. — Proprie nati ex coitu animalium natura diversorum : non ab ὕϐρις, ut nonnulli grammatici voluere; sed quod *hybros* antiqui spurios appellarunt. Hinc *umbri* pro quodam ovium mixto genere apud *Plin. lib.* VIII, c. 49, et idem de suibus loquens :

« In nullo genere æque facilis mixtura cum fero, qualiter natos antiqui *hybridas* vocabant, ad homines quoque, ut C. Antonium, Ciceronis in consulatu collegam, appellatione translata. »

Hinc :

Hybridæ. — Pro genitis ex matrimonio impari, ut ex servo et ingenua; ex cive romano et barbara; ex indigena et peregrino, etc.

Proscripti Regis Rupili pus atque venenum
Hybrida quo pacto sit Persius ultus, opinor
Omnibus et lippis notum et tonsoribus esse.
HOR. *Sat.* I, VII, 1 sqq.

Vide *Valer. Max.* VIII, 6; et *Suet. in Aug.* 19, de Asinio quodam Epicado. Et:

HYBRIDÆ. — Nati ex illegitimo et vilissimo concubitu.

Pater ex Marulla, Cinna, factus es septem,
Non liberorum; nam nec tuus quisquam,
Nec est amici, filiusve vicini;
Sed in grabatis tegetibusque concepti....
....
Jamque *hybridarum* grex tibi foret plenus,
Si spado Coresus, Dindymusque non esset.
MART. VI, XXXIX, 1 sqq.

HYMENÆUS. — Deus nuptiarum præses, notissimus, qui et *Hymen* dicitur, et conjunctis dictionibus, *Hymen-Hymenæus*, ut patet ex Catullo, LVI. Nomen accepisse creditur ab ὑμέναιος, hoc est a membranaceo vaginæ muliebris circulo, quod claustrum virginitatis esse putabant antiqui, primoque erumpi coitu. Vide EUGION.

Veneris aut Uraniæ filius *Hymenæus*. Dicitur primus certas nuptias instituisse: hinc non raro poetis ponitur pro ipsis nuptiis.

Pergama quum peteret inconcessosque *hymenæos*.
VIRGIL. *Æneid.* I, 652.

HYMENÆUM OFFENDERE. — (*Plaut.*) Prima nocte officio suo deesse, ut accidit frigidis et maleficiatis.

HYMENÆUS CANTUS. — Carmen nuptiale, quod ex ritu comitabatur sponsam a domo patris usque ad tectum maritale.

« Age tibicen! dum illam educunt huc novam nuptam foras, Suavi *cantu* concelebra omnem hanc plateam *hymenæo*: Io hymen hymenææ! Io hymen! »

PLAUT. *Casin.* IV, III, 1 sqq.

Differt ergo *hymenæus cantus* ab epithalamio, quum ille prior, et foras emissus. Epithalamium vero intus canebatur circa lectum, ut patet ex etymo. Choro puellarum concelebrabatur cum magno strepitu, ne patientis nuptæ clamores audirentur. Vide *Muret. in Catull.* et NUCES.

HYSTERICA. — Mulier ad coitum ardens, venere furiata; ut accidit illis quæ hoc morbo laborant Gallis nuncupato *nymphomanie*. Remedii loco, *hystericis* illis præscribebant medici romani *validam congressus succussionem.* Vide *Turneb. lib.* IV, *c.* 8.

Hystericam vetulo se dixerat esse marito,
Et queritur futui Leda necesse sibi.
Sed flens atque gemens tanti negat esse salutem,
Seque refert potius proposuisse mori.
Vir rogat ut vivat, virides nec deserat annos,
Et fieri, quod jam non facit ipse, sinit.
Protinus accedunt medici, medicæque recedunt;
Tolluntur que pedes: o medicina gravis!

MART. XI, LXXII, 1 sqq.

I FOR

I FORAS. — Formula divortii.

« Insipiens! semper tu huic verbo vitato Abs tuo viro. — Cui verbo? — *I foras*, mulier! »

PLAUT. *Casin.* II, II, 35 sq.

Uxor, *vade foras*, aut moribus utere nostris.

MART. XI, CV, 1.

ICTUS. — Pro concussibus venereis.

Dent crebros *ictus* combibente lumine,
Trepidante cursu venere et anima fessula,
Ejaculent tepidum rorem niveis laticibus.

APUL. Ἀνεχόμ. 18 sqq.

Et resupina jacens multorum absorbuit *ictus*.

JUV. VI, 129.

IDALIA. — Cognomen Veneris apud Virgilium, sub fine libri quinti Æneidos ; ex *Idalio*, oppido et nemore insulæ Cypri, Veneri sacro. Hinc Ausonius de consobrina sua :

Parva etiam fuit *Idalia*,
Nomine prædita quæ Paphiæ,
Et speciem meruit Veneris.

AUSON. *Parental.* XXVIII, 1 sqq.

IGNAVUS. — Delicatus, mollis.

« Senecta ætate unguentatus per vias, *ignave*, incedis. »

PLAUT. *Casin.* II, III, 23.

ILIA RUMPERE. — Ascensoris sui vires exhaurire libidinibus.

Cum suis vivat valeatque mœchis,
Quos simul complexa tenet trecentos,
Nullum amans vere, sed identidem omnium
Ilia rumpens.

CATULL. XI, 17 sqq.

ILLAUTA VIRGO. — Intacta, nondum experta virum. Moribus enim Romanorum arcebantur virgines a balneis publicis. Inde sæpissime aqua in obscenis, et usus

aquæ pro concubitu. Qua de re inter alios sic orator romanus:

« Num ideo aquam adduxi, ut ea tu inceste uterere? »

CIC. *pro Cæl.*

Vide AQUA.

« Lautam vis, aut quæ *nondum sit lauta?* — *Siccam* succidam, Quam lepidissimam potes, quamque adolescentem maxume. »

PLAUT. *Mil.* III, 1, 192 sq.

ILLE, ILLA, ILLUD. IS, EA, ID. — Subintellecto relativo, sæpe in obscenis.

Ne quærendum aliunde foret nervosius *illud*,
Quod posset zonam solvere virgineam.

CATULL. LXII, 27 sq.

Ibi *illa* multa tam jocosa fiebant,
Quæ tu volebas, nec puella nolebat,
Fulsere vere candidi tibi soles.

IDEM. VIII, 6, sqq.

Fessus mille modis, *illud* puerile poposci:
Ante preces totas primaque verba dedit.

MART. IX, LXVII, 3 sq.

« *Id* per quod discernitur mas an fœmina sit. »

VARR. *Ling. lat.*

« Illa haud verbum facit, et sepit veste *id* quî estis. »

PLAUT. *Cas.* V, III, 40.

ILLICITA LIBIDO. — Præpostera venus. (*Apul. Met.* VIII, *et Beroald. Interpret.*)

ILLOCABILIS VIRGO. — Quæ omnino nuptui collocari nequit.

« Meam pauperiem conqueror. *Virginem* habeo grandem,

dote cassam, atque *illocabilem*, Neque eam queo locare cuiquam. »

PLAUT. *Aulul.* II, II, 13 sqq.

ILLUDERE. — In fœdissimis. *Illudere*, ludificari, ludibrio habere, sæpe turpitudinis et obscenitatis significationem habere notat Muretus, *Observat. juris*, c. 7, ut apud Græcos ὑβρίζειν.

« Fœminarum capitibus *illudere* solitus. »

SUET. *in Tiber.* 45.

« Tradunt plerique eorum temporum scriptores, crebris ante exitium diebus, *illusum* isse pueritiæ Britannici Neronem. »

TACIT. *Ann.* XIII, 17.

Vide LUDERE.

IMAGINES AMATI aut AMASIÆ. — Vulgo e cera, genus iconicum antiquissimum.

« Solebant heroinæ virorum, seu quos pro viris haberent, effigies ex cera domi habere. »

FR. MODIUS, *in Nov. antiq. Epist.* 18.

Si potes et ceras remove : quid imagine muta
Carperis ? hoc periit Laodamia modo.

OVID. *Remed.* II, 327 sq.

Meminit et Virgilius, Didonem viri sui Sichæi imaginem habuisse.

« Ne epistola quidem ulla sit in ædibus, Nec cerata adeo tabula; et si qua inutilis Pictura sit, eam vendat. »

PLAUT. *Asin.* IV, I, 17 sqq.

IMBUBINARE. — Fœmineo menstruo inquinare.

Hæc te *imbubinat*, et contra te imbulbitat ille.

LUCIL. *Incert. frag.* 36.

IMBUERE. — Proprie vasa nova primo liquore intingere.

Verbum nuptum. Aliquem, aut aliquam veneri erudire; virum, aut fœminam facere.

Illa rudes animos per noctes conscia primas
Imbuit, heu! nullis capta Lycinna datis.

PROPERT. III, XV, 5 sq.

Non, si me satis audias,
Speres perpetuum, dulcia barbare
Lædentem oscula, quæ Venus
Quinta parte sui nectaris *imbuit*.

HOR. *Od.* I, XIII, 13 sqq.

Ab interpretibus enim quinque sunt gradus ad venerem perficiendam : *adspectus*, *colloquium*, *tactus*, *osculum*, *et extrema amoris linea*, id est, seminis emissio.

IMBULBITARE.—Puerili stercore inquinare, quod accidit pædicantibus. Vide IMBUBINARE.

IMMATURA VIRGO. — Nondum viri potens.

« Si *virginem immaturam* stupraverit, etc. »

ff. XIV, X, 47.

IMMEIERE. — Verbum obscenissimum. Vide MEIERE.

IMMINUERE. — Devirginare, impudicare.

« *Imminuere* aliquam castitate. »

ARNOB. *lib.* IV.

« Coram virginem *imminuisset* parata constantia. »

APUL. *Met.*

« Sed tu en unquam cum quîquam viro Consuevisti? — Nisi quidem cum Alcesimarcho, nemine : Neque pudicitiam meam mihi alius quisquam *imminuit*. »

PLAUT. *Cistell.* I, I, 88 sqq.

Imminutionem pro prima coitione posuit Ausonius in *centone nuptiali*.

Impar. — In amore, aut conjugio, dispar formæ, ætatis, animi, etc. Sic apud Virgilium :

..... si quod non æquo fœdere amantes
Curæ numen habet.....

Æneid. IV, 520 sq.

.... Cyrus in asperam
Declinat Pholoen : sed prius appulis
Jungentur capreæ lupis,
Quam turpi Pholoe peccet adultero.
Sic visum Veneri : cui placet *impares*
Formas atque animos sub juga ahenea
Sævo mittere cum Joco.

Hor. *Od.* I, xxxiii, 6 sqq.

Vide Par.

Impatientia. — Ardor, pruritus ad venerem.

« An uxore contentus haud una, concubinis, pellicibus atque amiculis delectatus, *impatientiam* suam spargebat passim (ut vagari adolescentes solent) salax deus? »

Arnob. *adv. Gent.* IV, *de Jove.*

Impedire. — Ad libidines inducere.

« *Impedire*, sordidare, ad probrum ducere. »

Non. Marc.

« Immo ego hunc, Thebani cives, qui domi uxorem meam Impudicitia *impedivit*, per quem teneo thesaurum stupri. »

Plaut. *Amph. supposita*, III, 12 sq.

Improbus. — Impudicus.

Obscenis peream, Priape, si non
Uti me pudet, *improbis*que verbis.

Priap. Carm. XXVIII, 1 sq.

Quibus relictis, in mihi laboratum
Locum venitis, *improbissimi* fures.

Ibidem, LI, 25 sq.

Impudicatus. — Stupratus. (*Fest.*, *Lubin.*)

Impudicus. — Eodem sensu.

Prædictum tibi ne negare possis,
Si fur veneris, *impudicus* ibis.

Priap. Carm. LIX, 1 sq.

Impudicum facere. — Stuprare, apud jurisperitos. (*ff.* XLVII, x, 8.)

Inaures. — Male audiebant apud Romanos viri qui Pœnorum more *inaures* gestabant.

Nequam aurum est aures quodvis vehementius ambit.

Lucil. *ex Incert.* 40.

Inde *aures perforatæ* pro mollibus et effœminatis.

« At qui *aurem perforatam* habes, etc. »

Cic. *in Afrum.*

« Sed quænam illæc avis est, quæ huc cum tunicis advenit?... Facies quidem ædepol punica est..... viden' homines sarcinatos consequi... incedunt cum *annulatis auribus;* Adibo hosce, atque appellabo punice. »

Plaut. *Pœnul.* V, ii, 15 sqq.

Viris *inaures* prohibuit Alexander Severus, mulieribus tantum concedendo, temperate tamen.

« Gemmarum quod fuit vendidit, et aurum in ærarium contulit dicens, gemmas viris usui non esse; matronas autem regias contentas esse debere uno reticulo, atque *inauribus*, et baccato monili, et corona cum qua sacrificium facerent. »

Lamprid. *in Sever.*

Gemmis et unionibus conficiebantur *inaures* fere incredibili sumptu.

« Video uniones non singulos singulis auribus comparatos;

jam enim exercitatæ aures ferendo oneri sunt. Junguntur inter se, et insuper alii binis superponuntur. Non satis muliebris insania viros subjecerat, nisi bina ac terna patrimonia auribus singulis pependissent. »

SENEC. *de Benef.* 9.

Vide Plin. IX, 35.

« *Inaures* da mihi Faciundas pondo duum nummum stalagmia, Ut te libenter videam, quum ad nos veneris. »

PLAUT. *Menæchm.* III, III, 17 sqq.

INCESTUS-A-UM. — Proprie sine cesto, id est discinctus. Inde pro non casto. Venus enim dicebatur nunquam ad coitus illicitos venire cum suo cesto. (*Lutatius in Stat. Thebaid.* II.) Vide CESTON et DISCINCTUS.

Nemo malus felix, minime corruptor, et idem
Incestus, cum quo nuper vittata jacebat
Sanguine adhuc vivo terram subitura sacerdos.

JUV. IV 8 sqq.

Hinc:

INCESTUS-US.—Quæcumque pollutio aut scortatio. (*Servius ad AEneid.* XII.)

INCESTUM-I. — Flagitium in affines (*Non. Marc.*); et etiam pro connubio legibus prohibito.

« *Incestum* committere intelligitur, qui ex his, quas legibus aut moribus probibemur uxores ducere, aliquam duxerit. »

PAULUS, *de Ritu nupt. lib.* 39.

INCESTARE. — Viro aut fœminæ vitium afferre.

« Ei duæ puellæ sunt meretrices servulæ Sorores : earum hic alteram efflictim perit : Neque eam *incestavit* unquam. »

PLAUT. *Pœnul.* V, II, 134 sqq.

INCINCTA. — Mulier prægnans. Sic dicta a laxiore cinctu

propter uteri tumorem. (*Isidor. lib.* X.) Hic præpositio *in* negat. Inde verbum gallicum, *une femme enceinte*.

Inclinare aliquem aut **aliquam**. — Verbum flagitiosum. Incurvare ad puerile officium. Vide *Non. Marc.* verbo *conquiniscere*.

> Promptius expediam quot amaverit Hippia mœchos,
> ....
> ...... quot longa viros exsorbeat uno
> Maura die, quot discipulos *inclinet* Hamillus...
>
> Juv. X, 220 sqq.

Incontinens. — Qui, more bestiarum, absque modo et freno venere delinquit.

> *Incontinentis* nec Tityi jecur
> Relinquit ales, nequitiæ additus
> Custos.....
>
> Hor. *Od.* III, iv, 77 sqq.

Increbrare. — Frequentius venerem agere.

> « Si raras noctes ducit, ab animo perit; Sin *increbravit*, ipsus gaudet, res perit. »
>
> Plaut. *Trucul.* I, i, 28 sq.

Incubare. — De agente in venerem.

> « Quando ego eam mecum rus uxorem adduxero, Rure *incubabo*, utque in præfectura mea. »
>
> Plaut. *Casin.* I, i, 21 sq.

Incuba. — A *cubare*. Stuprator. (*Beroald.* in *Apul. Met.* VII.)

> « *Incuba*, qui vel quæ semper incumbit, vel incubat. »
>
> Papias.

Incubina. — Pro concubina. Verbum vetus. (Vide *Beroald. in Apul. Met.* VII.)

Incubitatus. — Patiens in pædicatione; inclinatus.

« Video ego te! jam *incubitatus* es. — Ita sum; quid id attinet ad te?

Plaut. *Pers.* II, iv, 3.

Incumbere. — Sæpe ad venerem translatum.

« Age, inquit, nunc, et puerum dividamus. Jocari putabam discedentem; at ille gladium parricidali manu strinxit, et: non frueris, inquit, hac præda, super quam solus *incumbis.* »

Petron. *Sat.*

Incursare fœminas. — Insectari extra modum et more perditorum. (*Tertull. de Pudicitia*, IV.)

Incurvare aliquem. — Flectere ad puerile officium. Idem est ac *inclinare.*

Incurvabat Hylam posito Tirynthius arcu;
Tu Megaram credis non habuisse nates?

Mart. XI, xliv, 5 sq.

Indomita. — Quæ viris nec satiata, nec lassata.

An ut matrona onerata phaleris Pelagiis
Tollat pedes *indomita* in strato extraneo?

Petron. *Sat.*

Et eodem sensu:

« Ego animo cupido atque oculis *indomitis* fui: Persuasum est facere cujus nunc me facti pudet. »

Plaut. *Bacch.* IV, ix, 92 sq.

Indulgere, se indulgere. — Prostare.

« *Indulsi* ergo sollicito, totoque corpore citra summam voluptatem me ingurgitavi. »

Petron. *Sat.*

Armenius Zalates cunctis narratur ephebis
Mollior ardenti *sese indulsisse* tribuno.

Juv. II, 164 sq.

Infantes. — A non *fando*. Nam postquam cœperant fari, *puelli* dicebantur. Vide *Non. Marc.*

1° Utero statim egressi lavabantur.

« Postquam peperit pueros, lavare jussit. »

Plaut. *Amph.* V, 1, 50.

2° Post humi sternebantur.

« Hominem tantum nudum, et in nuda humo, natali die abjicit natura, ad vagitus statim et ploratum. »

Plin. *Præf.* 17.

3° Sic humi jacens infans a patre *tollebatur ;* hoc solemni ritu significante, se natu recentem in filium accipere.

« Consulti sunt de nobis parentes nostri, qui quum conditionem vitæ nossent, in hanc nos *sustulerunt.* »

Senec. *Ep. ad Marc.* 18.

« Nam quod peperisset, jussit *tolli.* »

Terent. *Andr.* III, 1.

Tunc inter legitimos hæredes puellulus inscribebatur, foribusque a famulis coronæ apponebantur; et prædio patris virga populea defigebatur ex antiquissimo ritu.

4° Pro adulterinis habebantur liberi qui vultu et forma in patrem dissimiles erant. Vid. *Mart. in Cinnam*, VI, xxvii. Juliæ flagitiorum conscii quum mirarentur quomodo similes Agrippæ marito procrearet, quæ vulgo potestatem corporis sui faceret : *at enim* (teste Macrobio) *nunquam nisi navi plena tollo vectorem*. Inde adspectis liberis palpones et mulierculæ patri hos simillimos acclamabant.

« Quæ pudicitiæ prima fiducia est, edidit partum, quem maritus agnosceret, non timuit ne stupra furtivosque concubitus, parvuli vultus, aut crescentis infantiæ similitudo detegeret. »

QUINTIL. *Declam.* 18.

Nullis polluitur casta domus stupris ;
Mos et lex maculosum edomuit nefas :
Laudantur *simili prole* puerperæ.

HOR. *Od.* IV, v, 21 sqq.

5° *Dies lustricus.* Quinto die *lustrabantur* infantes apud Græcos, ut patet ex Plauto, in *Truculento,* cujus fabula Athenis agitatur. Ἀμφιδρόμιος dicebatur a ritu quo puer cursim circa focum gestabatur. Romæ vero, die octavo puellæ, et nono puelli, votis conceptis et nomine indicato ; unde et dictus *dies nominalis.* Vide inter plures, *Scalig. ad Auson.*, et *Meursium Exerc. critic.* III, 23.

Ecce avia, aut metuens divûm matertera cunis
Exemit puerum, frontemque atque uda labella
Infami digito et lustralibus ante salivis
Expiat, urentes oculos inhibere perita.

PERS. II, 31 sqq.

6° *Nominalia.* In nominibus esse fatum existimabant antiqui.

« Item in lustranda colonia ab eo qui eam duceret, et quum imperator exercitum, censor populum lustraret, *bonis nominibus* qui hostias ducerent eligebantur. Quod idem in delectu consules observant, ut primus miles fiat bono omine. »

CIC. *Divinat.* I.

« Cur publicis lustris, *nomina* victimas ducentium *prospera* legimus ?

PLIN. XXVIII, 3.

[redacted]

Alter parentum infanti nomen imponebat ; id est puello mater, pater vero puellæ.

Sed tu nomen habes aversa fronte sororum
Impositum, mater quod tibi dura dedit.

MART. IV, XXXI, 5 sq.

Antiqui pueros clypeis demittebant.

« Utrumque ablutum, et jam plenum lactis, alieno deposuit clypeo. »

THEOCRIT. *Eidyll.* XXV, 3.

Aliquando in vannis.

« In ventilabris olim infantes dormituros collocabant, in futurarum divitiarum et affluentiæ auspicium. »

Scholiast. Callimach.

Ubi primum a lacte repulsi, peculiaribus deabus commendabantur, *Edulicæ*, *Potinæ* et *Cubæ*, quæ edentibus, potantibus et cubantibus faverent. Vide *Donat. ad Terent. Phorm.*, et *Rom. triumph. lib.* I.

INFECTA VIRGO. — Nondum perfecta; immatura.

« Nam ita est ingenium muliebre; Bene quum lauta est, tersa, ornata, ficta est, *infecta* est tamen. »

PLAUT. *Stich.* V, v, 3 sq.

INFORARE. — Verbum flagitiosum.

« Licetne *inforare*, si incomitiare non licet? — Non *inforabis* me quidem. »

PLAUT. *Curcul.* III, 31 sq.

Vide PERFORARE.

INGENICULARE. — Subactæ femora genibus divaricare.

« Ita ut subito vestes ad pedem defluerent, nudusque, una manu ad mammam, altera pudendis adhibita, *ingenicularet*. »

LAMPRID. *in Heliogabal.*

Ingenuæ. — In *ingenuas* stuprum plectebat lex Julia, dummodo tamen neque corpore quæstum fecerint, neque artem ludicram aut lenocinium exercuerint, neque in scenam operam locaverint. In illas probrum magis quam stuprum commissum fuisse dicebatur. Mimæ ergo et lege ipsa jure *ingenuarum* ejiciebantur.

Inguen. — Verenda utriusque sexus.

Inguen, virilia.

.... Onus *inguinis* aufert,
Nullaque sunt subito signa relicta viri.
Ovid. *Fast.* IV, 21 sq.

Nec recutitorum fugis *inguina* Judæorum,
Nec te sarmatico transit Alanus equo.
Mart. VII, xxx, 5 sq.

Inguen, pro mulierum pudendis.

Aut infinito lacerum patet *inguen* hiatu;
Aut aliquid cunni prominet ore tui.
Mart. III, lxxii, 5 sq.

Quid tibi cum vultu, qualem deprensus habebat
Ravola, dum Rhodopes uda terit *inguina* barba?
Juv. IX, 3 sq.

Inguina sollicitare. — Ad tentiginem excitare.

« *Sollicitavit inguina* mea mille jam mortibus frigida. »
Petron. *Sat.*

Inguinum pondus. — Colei.

« Habebat enim *inguinum pondus* tam grande, ut ipsum hominem laciniam fascini crederes. »

Petron. *Sat.*

« Quidam ab informi *pondere genitalium* salvus effectus est. »
Aug. *de Civ. Dei, lib. ult.*

Vide Pondus.

Ex siligine conficiebantur panes ad *inguinum* similitudinem. Vide COMESSATIONES.

NIRE MULIEREM. — Futuere.

« Quid te mutavit? quod reginam *ineo?* Uxor mea est. Nunc cœpi, an abhinc annos novem? Tu deinde solam Drusillam *inis?* Ita valeas uti tu, hanc epistolam quum leges, non *inieris* Tertullam, aut Terentillam, etc. »

Antonii epist. ad August. ap. SUET. *in Aug.* 69.

« Pasiphaen ligneo juvencæ simulacro abditam *iniit*, ut multi spectantium crediderunt. »

SUET. *in Neron.* 12.

INJUGES FŒMINÆ. — Nondum nuptæ. Vide JUGUM.

« Illa videlicet de caussa, quod et virginitas *jugum* nesciat maritale, et virtus nunquam sit *jugo* prementi subacta. »

FULGENT. *de Prisc. serm.*

« *Juges*, ejusdem jugi pares; unde *conjuges*; *sejuges*, *injuges*. »

FEST.

INJURIAM FACERE. — Stuprare, impudicare.

« Ego me *injuriam fecisse* filiæ fateor tuæ Cereris vigiliis per vinum. »

PLAUT. *Aulul.* IV, X, 64 sq.

INJURIAM OFFERRE. — *Terent. Hec.* V, I. Vid. INSCITUS.

INJURIAM PATI. — Inclinari.

« Dum frater sororis suæ automata per claustellum miratur, accessi tentaturus an *pateretur injuriam*. »

PETRON. *Sat.*

INNUBÆ. — Innuptæ. (*Isidor.*)

« Quod non solum *innubæ* fiunt communes, sed etiam veteres puellascunt, et multi pueri puellascunt. »

VARR. *Baiis.*

Vide *Non. Marc.*

INSCITUS. — Ad venerem invalidus, cassus.

« Annos natus sexaginta qui erit, si quem scibimus, Seu maritum, seu hercle adeo cælibem scortarier, Cum eo nos hic lege agemus; *inscitum* arbitrabimur. »

PLAUT. *Merc.* V, IV, 57 sqq.

« Nam si facturave es, bonas quod par est facere, *Inscitum* offerre injuriam tibi immerenti, iniquum est. »

TERENT. *Hec.* V, I.

INSTRUMENTA. — Virilia.

« Illud unum memento, non me, sed *instrumenta* peccasse. »

PETRON. *Sat.*

« Ergone deûm mater genitalia illa disjecta cum floribus, ipsa per se mœrens officiosa sedulitate collegit, ipsa sanctis manibus, ipsa divinis contrectavit, et sustulit flagitiosi operis *instrumenta* fœdique, abscondenda etiam mandavit terræ? »

ARNOB. *adv. Gent.*

INTEGRA FŒMINA. — Intacta.

« Loquere, filiam meam quis *integram* stupraverit? »

PLAUT. *Trucul.* IV, III, 47.

Vosque item simul, *integræ*
Virgines, quibus advenit
Par dies, agite, in modum
Dicite: o hymenæe, hymen!

CATULL. LVII, 36 sqq.

INTEGRI PUERI. — Nondum vitiati.

Dianæ sumus in fide
Puellæ et *pueri integri*.

[redacted]

Dianam, *pueri integri*
Puellæque, canamus...
CATULL. XXXII, 1 sqq.

INTEGRITAS. — Pro virginitate.

« Obstetrix virginis cujusdam *integritatem* manu velut explorans perdidit. »

AUGUSTIN.

INTERCIDONA. — Ex tribus deabus, ad fœtarum mulierum custodiam adhibitis. Vide *Aug. de Civ. Dei* IX; *Rom. triumph. lib.* I, et DEVERRA.

INTERCUTITUS. — Flagitatus, impudicatus inter cutem; pædicantem passus. (*Fest.*, *Lubin. Antiq.*)

INTERFEMINEUM. — Pudenda utriusque sexus.

« Utriusque sexus *interfemineum* tegat, et femoris objectu, et palmæ velamento. »

APUL. *in Apolog.*

INTERNUCULUS. — (*Petron.*) Catamitus, pusio, pædicatus. Vide *Turneb. Advers.* XXI, 28.

INTERPELLATORES. — Nuptiarum conciliatores.

« Sollicitatores nuptiarum, itemque matrimoniorum *interpellatores*. »

PAULL. *in ff.* XLVII, XI, 1.

INTERPOLARE. — Novam formam e vetere fingere. (*Non. Marc.*)

« Nova pictura *interpolare* vis opus lepidissimum. »

PLAUT. *Mostell.* I, III, 105.

INTERPOLES. — Mulieres quæ se fucis interpolant, ut novæ et quasi puellæ videantur.

« Nam istæ veteres, quæ se unguentis unctitant, *inter-*

poles, Vetulæ, edentulæ, quæ vitia corporis fuco occulunt, Ubi sese sudor cum unguentis consociavit, illico Itidem olent, quasi quum una multa jura confundit cocus. »

PLAUT. *Mostell.* I, III, 117 sqq.

INTESTABILIS, INTESTATUS.—Cui *testes* avulsi sunt; spado, castratus.

« Semper curato ne sis *intestabilis* : Quod amas, amato *testibus* præsentibus. »

PLAUT. *Curc.* I, I, 30 sq.

« Et si *intestatus* non abeo, bene agitur pro noxia. — Quid si non faxis? — Ut vivam semper *intestabilis*. »

PLAUT. *Mil.* V, 23 sq.

IONICI MOTUS.—Saltatio lascivissima ab *Ionibus* inventa; præ ceteris enim famosi erant mollitie et libidinibus. Inde *risus ionicus* pro dissolutiore.

« Quis *Ionicus* aut cinædicus qui hoc tale facere posset?

PLAUT. *Stich.* V, VII, 1.

Motus doceri gaudet *ionicos*
Matura virgo, et fingitur artubus
Jam nunc, et incestos amores
De tenero meditatur ungui.

HOR. *Od.* III, VI, 21 sqq.

IRRUMARE. — Os alicujus inire. Vitium senum et emeritorum.

Quid me, Thai, senem subinde dicis?
Nemo est, Thai, senex ad *irrumandum*.

MART. IV, L, 1 sq.

« Pronior erat (Tiberius) ad id genus libidinis, et natura et ætate. »

SUET. *in Tiber.* 44.

Vide *Juvenalem*, X, 208, et de *irrumatione*, *in Melle Hieronym. Mercurial.* IV, pag. 93.

An, continenter quod sedetis insulsi
Centum, aut ducenti, non putatis ausurum
Me una ducentos *irrumare* sessores?

CATULL. XXXV, 6 sqq.

Irrumare a ruma.

ISIS. — Fanum ejus quibuscumque pactis et furtis venereis celeberrimum. Inde præfecta lenonum et meretricum dicebatur.

...... Jamque exspectatur in hortis,
Aut apud *Isiacæ* potius sacraria *lenæ.*

JUV. VI, 488 sq.

Nec tu Niligeram fieri quod possit ad *Isim*
Quæsieris? nec tu curva theatra time.

OVID. *Am.* II, II, 26 sq.

Nuper enim, ut repeto, *fanum Isidis* et Ganymedem
Pacis, et advectæ secreta palatia Matris,
Et Cererem, (nam quo non prostat fœmina templo?)
Notior Aufidio mœchus scelerare solebas,
Quodque taces, ipsos etiam inclinare maritos.

JUV. IX, 22 sqq.

ITHYPHALLI. — Priapi lignei in honorem Bacchi. In summa hasta positi; compitis subrigebantur.

« In Liberi honorem patris *ithyphallos* subrigit Græcia; et simulacris virilium fascinorum territoria cuncta florescunt. »

ARNOB. *adv. Gent.* V.

Arte laboretur, sed truncum forte dolatum
Arboris antiquæ numen venerare *Ithyphalli*,
Terribilis membri, medio qui semper in horto
Inguinibus puero, prædoni falce minatur.

COLUMELL. *de Cultu hort.* V, 31 sqq.

Hinc:

ITHYPHALLICUS.—Qui continue arrigit, irritante morbo aut incessabili uredine; qui satyriasi laborat. Vide Vossium, *Gloss. ling. lat.*

JACERE. — Verbum nuptum.

« *Jacent* nunc amatores obligati noctibus totis; et forsitan, mutuis libidinibus attriti, derident solitudinem meam. »

PETRON. *Sat.*

Mollia quod nivei duro teris ore Galesi
Basia, quod nudo cum Ganymede *jaces*;
Quis negat hoc nimium?

MART. XI, XXIII, 1 sqq.

Briseis multum quamvis aversa *jaceret*,
Æacidæ propior levis amicus erat.

MART. XI, XLIV, 9 sq.

JECUR. — In *jecore* amoris sedem esse arbitrabantur antiqui, maxime Platonici.

« Lætitiæ affectus in splene, timoris in corde, iræ in felle, *libidinis in jecore.* »

LACTANT. VI, 15, *et de Opific. Dei*, 14.

Tempestivius in domo
Pauli, purpureis ales oloribus,
Commissabere Maximi,
Si torrere *jecur* quæris idoneum.

HOR. *Od.* IV, 1, 9 sqq.

Quum tibi flagrans amor, et libido,
Quæ solet matres furiare equorum,
Sæviet circa *jecur* ulcerosum,
Non sine questu.

HOR. *Od.* I, XXV, 13 sqq.

JUGUM. — Pro matrimonio, ab hoc antiquissimo ritu quo *jugum* aratri sponsis imponebatur, hoc symbolo monitis omnium rerum individuæ societatis. Vide *Serv.*, *Isidor.*, etc.

« *Juges* ejusdem *jugi* pares. »

FEST.

Unde, *conjuges* pro maritatis; *jugum Veneris*, pro matrimonio, etc., et :

Jugum ferre. — Dicebatur de muliere virum experta. Sic Græcis νεόζυγος, *nova nupta*, et ἄζυγες γάμον, quæ *nondum maritatæ*.

« Jamne ea *fert jugum* ? — Tam a me pudica est, quasi soror mea sit ; nisi Si est osculando quippiam impudicior. »

Plaut. *Curcul.* I, I, 50 sqq.

Nondum subacta *ferre jugum* valet
Cervice ; nondum munia comparis
Æquare, nec tauri ruentis
In venerem tolerare pondus.

Hor. Od. V, v, I sqq.

Juga. — Cognomen Junonis, tanquam præpositæ nuptiis legitimis. Vide Jugum.

Jugare.

Teneris teneros *jugans* puellos,
Puellas pueris *jugans* sibique.

Ex Virgil. Centonibus, ab incerto.

Jugatinus. — Deus concubitus. Invocabatur ut sponsus et sponsa bene copularent. (*Aug. Civ. Dei*, IV, 11, et VI, 9.)

« Quum mas et fœmina conjunguntur, adhibetur deus *Jugatinus.* »

Rom. triumph. lib. I.

Junix. — Pro meretrice.

« . . . . eadem illi insidias dabo, Quam mox horsum ad stabulum *junix* recipiat se a pabulo. »

Plaut. *Mil.* II, III, 32 sq.

Metaphora a rebus armentitiis.

Juno. — Mulierum dea specialis; a *juvando*. (*Cic. de Nat. deorum.*) Connubiis præposita, quod notissimum. Patet tamen ex antiqua mythologia, cujuscumque coitus patronam primum fuisse, etiam meretricii; sed post Paridis judicium, amorum præsidio expulsa, ad pudicitiam se recepit.

Parturientibus præerat, et tunc sub Lucinæ nomine invocabatur.

« Periî, mea nutrix! obsecro te, uterum dolet, *Juno Lucina*, tuam fidem ! »

PLAUT. *Aulul.* IV, VII, 10 sq.

« *Juno Lucina*, fer opem, serva me, obsecro. »

TERENT. *Andr.* III, II.

Cuicumque mulieri *Juno* sua.

Etsi perque suos fallax juravit ocellos,
Junonemque suam, perque suam Venerem,
Nulla fides inerit.

TIBULL. III, VII, 15 sqq.

« *Junonemque meam* iratam habeam, si me unquam meminerim virginem fuisse. »

PETRON. *Sat.*

Junoni calendas omnes tribuebant Romani, ut *Jovi* idus omnes. (*Macrob. Saturn.* I, 9.) Hinc, *Juno calendaria* dicta. Sed sacra ejus præcipue *matronæ* celebrabant calendis martiis, ut ab exordio totus esset annus felix et partu et amore conjugali. Vide MATRONALIA.

Jupiter. — Primarius inter salaces, mœchorum deus et pathicorum. Fœdissimus celebrabatur a poetis; quod eleganter sic exprobat Arnobius :

[redacted]

« Non illi fuerat satis Juno, nec sedare impetum cupiditatum in regina poterat numinum, quum nobilitas eam commendaret, tanta facies, oris dignitas, et ulnarum nivei marmoreique candores? An uxore contentus haud una, concubinis, pellicibus atque amiculis delectatus, impatientiam suam spargebat passim (ut vagari adolescentes solent) salax deus? »

ARNOB. *adv. Gent.* IV.

JUVENCA. — Impudica, meretrix; eadem metaphora qua Io in vaccam conversa dicitur.

> Graia *juvenca* venit, quæ te patriamque domumque
> Perdat. Io prohibe! Graia *juvenca* venit.
>
> OVID. *Epist. Œnon. Parid.*, 117 sq.

Vide inter Petronii Fragmenta *Pasiphaæ fabulam ex metris horatianis.*

JUVENTA, JUVENTAS. — Dea pubertatis; Græcorum *Hebe*. Vide HORA.

> Nectar et ambrosiam, latices epulasque deorum
> Det mihi formosa gnava *Juventa* manu.
>
> OVID. *de Pont.* I, *Eleg. ult.*, 11 sq.

> Fugit *Juventas*, et verecundus color
> Reliquit ossa pelle amicta lurida.
>
> HOR. *Epod.* XVII, 21 sq.

Juventati sacra annua celebrabantur. (*Fest.*) Vide *Cic.* I *de Natura deorum; Plin.* XXIX, 104.

LABD

LABDA. — Fellatrix. Effictum verbum a *labia* et *do*, vel a *labda* litera, quæ prima est in λείχειν, aut λεσβιάζειν: nam Lesbii ea infamia flagrarunt.

.... Nunc misella *labdace*
Vix posse jurat ambulare præ fossis.
Priap. Carm. LXXIX, 5 sq.

Cui ipse linguam quum dedit suam, *labda* est.
AUSON. *Epigr.* CXIX, 8.

Vide *Varr. Margopol.*

LABELLA MORDERE. — Inter veneris delicias. *Labella* inter basiandum morsiunculis stringere.

« Compressiones arctæ amantum comparum, Teneris *labellis* molles *morsiunculæ.* »
PLAUT. *Pseudol.* I, 1, 64.

Olli, purpurea delibantes oscula,
Clemente *morsu* rosea *labella vellicent.*
APUL. Ἀνεχόμ. 6 sq.

.... Sive puer furens
Impressit memorem *dente labris notam.*
HOR. *Od.* I, XIII, 11 sq.

Quem nunc amabis? cujus esse diceris?
Quem basiabis? cui *labella mordebis?*
CATULL. VIII, 17 sq.

LABI. — Prostare.

Ut solet amoto *labi* custode puella
Perfida, communes nec meminisse deos.
PROPERT. I, XI, 15 sq.

LABOR. — Operosa coitio, modo senum et debilium.

Cum sene communem vexat spado Dindymus Æglém,
Et jacet in medio sicca puella toro.
Vir bus hic operi non est, hic utilis annis:
Ergo sine effectu prurit uterque *labor.*
MART. XI, LXXIII, 1 sqq.

Hinc:

LABORIOSUS. — Ad venerem lentus, inanis.

« O juvenem *laboriosum !* puto illum pridie incipere, postero die finire. »

PETRON. *Sat.*

LACEDÆMON. — Certe dissolutissima, peculiariter libidinibus contra naturam. Pathici enim et pædicones *Lacedæmonii* habebantur.

.... Ille fruatur
Vocibus obscenis, omnique libidinis arte,
Qui *Lacedæmonium* pytismate lubricat orbem.

JUV. XI, 171 sqq.

Mulieres vero, tribades.

« Nec me fallit in politicis Aristotelem scribere illas (*laconicas*) molliter vivere solitas, ac in omnem licentiam dissolutas. »

CÆL. RHOD. *Lect. antiq.* XIII, 33.

Thebas carmine cantet aut Mycenas,
Aut clarum Rhodon, aut libidinosæ
Ledæas *Lacedæmonis* palæstras.

MART. IV, LV, 5 sqq.

Laconia Veneri sacrata erat.

Hæc Veneris sedes, *Lacedæmone* gratior illi.

MART. IV, XLIV, 5.

LACUS LUCRINUS. — Lacus Campaniæ in sinu baiano, omni genere libidinum celeberrimus.

Dum modo *Lucrino*, modo se permittit Averno,
Et dum baianis sæpe fovetur aquis,
Incidit in flammas, juvenemque secuta, relicto
Conjuge, Penelope venit, abit Helene.

MART. I, LXIII, 3 sqq.

Dum nos blanda tenent lascivi stagna *Lucrini*, etc.

MART. IV, LVI, 1.

Vide verb. BAIÆ.

LACUS VELABRENSIS. — Receptaculum aquæ ad usum

populi, in foro velabrensi juxta montem Aventinum; ripis ejus deferebantur et expônebantur spurii; unde, teste Juvenali, pueros petebant matronæ pro suo partu maritis ostendendos.

Transeo suppositos, et gaudia votaque sæpe
Ad spurcos decepta lacus; atque inde petitos
Pontifices, Salios, Scaurorum nomina falso
Corpore laturos.

JUV. VI, 602 sqq.

LÆVIS. — Proprie glaber, depilatus; sæpe pro molli et pathico.

.... Unde istud dedecus in quo
Trossulus exsultat tibi per subsellia *lævis*.

PERS. I, 82 sq.

Vide verbum DIVELLERE PILOS.

LÆVIUS. — Antiquissimus poeta, qui primus Romæ scripsit libros lascivos. Vide *Auson. Cent. nupt. in fine*.

LAMBERE. — Pudenda lingere; fellare.

Tædia non *lambit* Cluviam, nec Flora Catullam.

JUV. II, 49.

Lambere quum vellet mediorum membra virorum
Castor, nec posset vulgus habere domi,
Repperit ut nullum fellator perderet inguen;
Uxoris cœpit lingere membra suæ.

AUSON. *Epigr.* CXX, 1 sqq.

Quid cum fœmineo tibi, Bœtice Galle, barathro?
Hæc debet medios *lambere* lingua viros.

MART. III, LXXVI, 1 sq.

LAMPADUM CREPITATIO. — Bonum omen habebatur amasiis.

Sternuit et lumen: posito non scribimus illo.
Sternuit, et nobis prospera signa dedit.

OVID. *Epist.* XIX, 151 sq.

Languidus. — Exhaustus nimio coitu.

.... Non illam vir prior attigerat,
Languidior tenera cui pendens sicula beta
Numquam se mediam sustulit ad tunicam.
Catull. LXII, 20 sqq.

Illius uxor aut amica rivalem
Lasciviendo *languidum*, precor, reddat.
Priap. Carm. XLVII, 3 sq.

Languor. — Eodem sensu.

« Te ipsam culleo ego cras faciam ut deportere in pergulam; Ibi tibi adeo lectus dabitur, ubi tu haud somnum capias, Sed ubi usque ad *languorem*. »

Plaut. *Pseudol.* I, II, 79 sqq.

Lanuvium. — Pro pudendis, præsertim mulierum.

« *Lanuvium*, non modo urbem significat, sed eam quoque corporis partem, qua sita sunt pudenda. »

Simeo Bosius *apud Taubmann. in Plaut. Trucul.* II, II, 20.

Cantabant surdo, nudabant pectora cœco :
Lanuvii ad portas, heu mihi ! solus eram.
Propert. IV, IX, 19 sq.

Inde *colei lanuvini*, quos Cicero in *epist. ad Pœtum* honestos esse dicit, ut contra *cliternini* turpes. Vide verb. Cliternini.

Lanuvii attigeram fausto satis omine portas.
Risit Amor, risit Cypris, et ipse Jocus.
Petron. *Epigr. nov.* III.

Lascivire. — Litare veneri.

Vide supra versus citatos ex *Priap. Carm.* XLVII, ad verbum Languidus.

Lassare. — In obscenis.

Vidi ego quum foribus *lassus* prodiret amator,
Invalidum referens emeritumque latus.
OVID. *Am.* III, XI, 13 sq.

Et, quum furtivo juvenem *lassaverit* usu,
Tecum interposita languida veste cubet.
TIBULL. I, IX, 55 sq.

.... Adhuc ardens rigidæ tentigine vulvæ,
Et resupina jacens multorum absorbuit ictus,
Et *lassata* viris, necdum satiata, recessit.
JUV. VI, 128 sqq.

LATEBROSI LOCI. — Ganea, lupanaria, eo quod pleraque subterranea. Vide *Lubin. Antiq.*

« Nam huic ætati non conducit, mulier, *latebrosus locus.* »
PLAUT. *Bacchid.* I, I, 22.

Inde :

LATEBRICOLÆ. — Gallice *qui hante les mauvais lieux.*

« ....harpago, mendax, cuppes, avarus, Elegans, despoliator, *latebricolarum* hominum corruptor. »
PLAUT. *Trin.* II, I, 13 sq.

LATINE LOQUI. — Obscena dicere nudis verbis.

Simplicius multo est, da pædicare, *latine*
Dicere, quid faciam? crassa Minerva mea est.
Priap. Carm. II, 9 sq.

Vide verb. PURUS SERMO et SALES NUDI.

LATUS. — Sæpissime ad venerem relatum; sic :

LATUS EMERITUM. — Venere exhaustum. Vide verb. EMERITUS.

LATUS RUMPERE.

Et inquietus inguina arrigat tumor,
Neque incitare cesset, usque dum mihi
Venus jocosa molle *ruperit latus.*
Priap. Carm. LXXXIV, 42 sqq.

[redacted]

LATUS VELLERE. — Lascive titillare.

« Hinc ante somnum lenissima ambulatione compositus, sine Gitone cubiculum intravi. Tanta erat placandi cura, ut timerem ne *latus* meum frater *convelleret.* »

PETRON. *Sat.*

Velle latus digitis, et pede tange pedem.

OVID. *Art. Amat.* I, 702.

LATERI PARCERE. — Parce uti venere.

.... Exigit a te
Nulla jacens illic munuscula, nec queritur, quod
Et *lateri parcas*, nec, quantum jussit, anheles.

JUV. VI, 35 sqq.

LAUTA VIRGO. — Temerata, quæ jam virum habuit.

« *Lautam* vis, an quæ nondum sit *lauta?* »

PLAUT. *Mil.* III, 1, 192.

Vide verb. ILLAUTA.

LAXA MULIER. — Interfemineo ampla, attrita.

Lydia tam *laxa* est, equitis quam culus aheni,
....
Quam vetus a crassa calceus udus aqua.

MART. XI, XXII, 1 sq.

Commoditas hæc est in nostro maxima pene,
Laxa quod esse mihi fœmina nulla potest.

Priap. Carm. XVII, 1 sq.

LAXÆ TUNICÆ. — Probro erant, tanquam argumentum animi mollis et libidinosi.

« Quos pexo capillo nitidos, et imbelles, aut bene barbatos videbis, manicatis ac *talaribus tunicis*, velis amictos, non togis. »

CIC. *invectiv.* II.

« Sane genus hoc muliebrosum est, *tunicis demissitiis.* »

PLAUT. *Pœnul.* V, v, 24.

Vide *Horat. Sat.* I, 1.

Lectica. — Vehiculums ex servis gestatum; unde ἑξάφορον dicebatur. Vide *Mart.* II, LXXXI, et IV, LI. Octophora proceribus tantum licita erant; sed erumpente libidine, meretricibus et famosis usurpata, in vera lupanaria conversa fuere.

« Ut nunc mulieres nostræ, matronæ romanæ se in vehiculis producebant quasi in auctionem. Rusticus, inhumanus et malevolus, et inter matronas abominandæ conditionis est, si quis conjugem in sellam prostare vetuit, et vulgo admissis inspectoribus vehi undique perspicuam. »

Senec. *de Benef.* IX.

Vide eumdem, *Libell. de Remediis fortuitorum.*

Meretricibus *lecticas* prohibuit Domitianus. (*Sueton. in Domit.* 8.)

Lecticariola. — Quæ prostat sub gerulis et *lecticariolis.*

Ancillariolum tua te vocat uxor, et ipsa
Lecticariola est; estis, Alauda, pares.

Mart. XII, LVIII, 1 sq.

Lectus adversus. — Lectus maritalis; sic dictus quod antiquitus prima nocte ante januam intus instruebatur, boni ominis causa.

« Deinde omni vi janua expugnata, et imagines majorum dejecerunt, et *lectulum adversum* uxoris ejus Corneliæ, cujus castitas pro exemplo habita est, fregerunt; itemque telas quæ ex veteri more in atrio texebantur, diruerunt. »

Asconius *in Miloniana.*

Seu tamen *adversum* mutarit janua *lectum*,
Sederit et nostro cauta noverca toro.

Propert. IV, XII, 85 sq.

Hinc :

Lectum mutare. — Pro novam uxorem domum ducere; quod plane patet ex Propertii loco supra citato.

Lectus genialis. — Maritalis; sic dictus a generandis liberis, et tanquam sacer *Genio* qui naturæ deus credebatur. Vid. verb. Genius.

« *Lectum* illum *genialem* quem, biennio ante, filiæ suæ nubenti straverat, in eadem domo sibi ornari et sterni, expulsa atque exturbata filia, jussit. »

Cic. *pro Cluentio.*

.... *Lectus genialis* in aula est ?
Nil ait esse prius, melius nil cælibe vita.

Hor. *Epist.* I, 1, 87 sq.

Lecti sonus. — Spondæ crepitus sub virili fortitudine.

...... Tota vix hoc ego nocte redemi
Te plorante foris. Testis mihi lectulus, et tu,
Ad quem pervenit *lecti sonus* et dominæ vox.

Juv. IX, 76 sqq.

Legere poma, nuces, olera. — Sæpe ad venerem translatum; tunc *legere* pro furari. Vide *Lips. Antiq. lect.* 3.

Rusticus indocte si quid dixisse videbor,
Da veniam; libros non lego, *poma lego.*

Priap. Carm. LXVIII, 1 sq.

Legumina. — Inter aphrodisiaca. Unde proverbium, *fabis abstine.* Vid. Faba.

« Genere *leguminum* coctorum ad convivium propter luxuriæ continuationem raro vacavit. »

Lamprid. *in Commod.*

Λειχάζειν. — Pro irrumare. Verbum græcum latinis usurpatum.

At tibi nil faciam : sed lota mentula lana
Λειχάζειν cupidæ dicet avaritiæ.
MART. XI, LIX, 11 sq.

LENO, LENUS. — A *lenire*, verbo antiquo pro *delenire*.

« *Lenones* sunt scortorum perductores, etiam invitarum personarum, et in quibus stupra exercita legibus vindicantur. »
ASCONIUS *in* III *contra Verr.*

Vide *Scævol. in Digest.* XXIV, III, 47; *Ulpian. ad l. Athletas, ff. de his qui infam. not.*

Lenones in scenam inducebantur raso capite, et habitu versicolore. (*Turneb. Advers.* XIX, 36 et *annotatores in Plaut. Pseudol.* VI, II, 23.)

LENA. — Conciliatrix; stupri sequestra.

« Omnes sunt *lenæ* levifidæ; Neque tippulæ levius pondus est quam fides lenonia. »
PLAUT. *Pers.* II, II, 61 sq.

LENOCINIUM. — (*Cic.*) Ministerium proxenetarum.

LENOCINARI. — Vile hoc ministerium agere.

LENONIUS. — Adjectivum.

« Domus ejus tota *lenonia*, tota familia contaminata. »
APUL. *Apolog.*

Vide Plautum citatum ad verb. LENA.

LENULLUS, LENUNCULUS. — Diminutiva prius a *lenus*, posterius a *leno*.

« Ita ut occepi dicere, *Lenulle*, de illac pugna, etc. »
PLAUT. *Pœnul.* II, 24 sq.

LENTUS. — Verbum amatorium : tenax. Dicebatur de amore qui solvi nequit.

Me *lentus* Glyceræ torret amor meæ.
HOR. *Od.* III, XIX, 28.

Eheu! quam *lento* Marathus me torquet amore!
TIBULL. I, IV, 81.

Ignibus hic *lentis* uretur ut humida cera.
OVID. *Art. Amat.* III, 526 sq.

LEPUS. — Verbum nuptum ad fœdissima translatum. Credebant enim veteres, *leporem* sexum mutare, alternisque salire et subsidere. Vide *Taubmann. in Plaut. Casin.* I, 1, 50.

« Vides inquit, Chrysis mea, vides quod aliis *leporem* excitat. »
PETRON. *Sat.*

Eodem sensu Plautus loco citato inter salacissima animalia *leporem* commemorat:

« Meus pullus, passer, mea columba, mi *lepus*. »

Lepus Veneri sacer erat. Hinc, teste Plinio, eum fieri formosiorem putabant, qui septem diebus carnes *leporinas* edisset.

Si quando *leporem* mittis mihi, Gellia, dicis:
Formosus septem, Marce, diebus eris.
Si non derides, si verum, lux mea, narras,
Edisti nunquam, Gellia, tu *leporem*.
MART. V, XXIX, 1 sqq.

LESBII. — Infames habebantur apud veteres ob inquinationem oris, quam excogitarunt et in mulieribus primum experti sunt. Inde verbum græcum λεσϐιάζειν pro *irrumare*. (Vide *Eustathium, Iliad. rapsod.* VIII; *Cæl. Rhod. Lect. antiq.* XVIII, 18.)

LESBIARI. — Hoc usus est verbo Galenus in exordio lib. II *Simpl. medic.* eodem sensu quo λεσϐιάζειν.

LEVANA. — Dea advocata, quum pater natu recentem

puerum et humi expositum ex ritu tollebat. Vid. supra verb. INFANTES, 3.

« Et partum ad lucem Diespiter perducebat : præstoque aderat *Levana*, quæ partum de terra levabat expositum. »

Rom. triumph. I, 14.

LIBER, LIBERA. — Cognomen Apollinis et Veneris in nuptiis.

« Et *Liber* accurrit pater, quem sic vocatum esse volunt, quod mares, in coeundo, per ejus beneficium emissis seminibus liberentur (Sol enim auctor fecunditatis) .... *dea Libera* et Venus dicta, illud idem mulieribus, quod *Liber* viris, præstat auxilium. »

Rom. triumph. I, 14.

LIBERTAS. — Sæpe pro licentia lasciviendi. Hinc vindemia *libera* dicebatur, et Bacchus ipse *Liber*.

« De ejus uxore multa dicta sunt, ob nimiam *libertatem* et vivendi facilitatem. »

JUL. CAPITOLIN. *in Anton. Pio.*

LIBERTINÆ. — *Libertinis* meretricium licitum erat; et in eas furta veneris et injuriæ libidinosæ nec lege nec moribus vindicabantur. Inde fere omnes meretrices. Vide *Turneb.* XIX, 31, et *Lips.* ad *Tacitum.*

« Viris cum suis prædicant nos solere ; Suas pellices esse aiunt : eunt depressum, Quia nos *libertinæ* sumus, et ego et tua mater ambæ Meretrices fuimus, etc. »

PLAUT. *Cistell.* I, 1, 38 sqq.

LIBIDO. — Fere semper in malam partem, et pro impudicitate. Hinc :

LIBIDINUM CONSISTORIUM. — Pro lupanare.

« Procedebat de janua laureata et lucernata, ut de novo *consistorio libidinum* publicarum. »

TERTULL. III *ad uxorem*.

LIGNEUS. — Aridus, exsuccus corpore.

Est pulchre tibi cum tuo parente,
Et cum conjuge *lignea* parentis.

CATULL. XX, 5 sq.

LIGNEUS. — Rigidus, durus, aspero scabroque corpore.

.... nervosa et *lignea* δόρκας.

LUCRET. IV, 1155.

LIGURIRE. — Proprie degustare (*Non. Marc.*); obscene vero pro lambere pudenda. Vide verba LAMBERE, CUNNILINGUS, MEDIUS VIR. Eodem sensu:

LIGURITOR.

Eunus Syriscus inguinum *liguritor*,
Opicus magister : sic eum docet Phyllis :
Muliebre membrum quadriangulum cernit.
Triquetro coactu Δ literam ducit, etc.

AUSON. *Epigr.* CXX, 1 sqq.

LIMACES. — Meretrices. A *limace*, quæ folia plantarum et olera corrodit.

« *Limaces* viri. »

PLAUT. *Fragm. Bacchid.* vers. 10.

Vide *Non. Marc.* verbo *limare*.

LIMARE CAPUT. — Conjungere (*Non. Marc.*); quod accidit amasiis, qui, dum osculantur, caput jungunt, et vere terunt et *limant*, mutuo sese fricantes. Vide *Turneb.* XV, 6.

« At videsis, cum illa nunquam *limavi caput*. »

PLAUT. *Pœnul.* I, II, 79.

« Et inter nos conjuravimus, ego cum illo, et ille mecum; Ego cum viro, et ille cum muliere : nisi cum illo, aut ille mecum, Neuter stupri caussa *caput limaret.* »

Plaut. *Merc.* III, 1, 38 sqq.

Limen. — Ominosum putabatur, domus *limen* tangere, ingrediendo vel egrediendo. Sic Virgilius de equo Trojano :

..... Quater ipso in *limine* portæ
Substitit...

Æneid. II, 242 sq.

Et præcipue in nuptiis :

Transfer omine cum bono
Limen aureolos pedes,
Rasilemque subi forem.

Catull. LVI, 166 sqq.

Missa foras iterum *limen* transire memento,
Cautius atque alte sobria ferre pedem.

Ovid. *Amor.* I, xii, 5 sq.

« Sensim super attolle *limen* pedes, nova nupta? »

Plaut. *Casin.* IV, iv, 1.

Lingere. — Verbum flagitiosum : lambere pudenda.

Repperit ut nullum fellator perderet inguen;
Uxoris cœpit *lingere* membra suæ.

Auson. *Epigr.* CXVI, 3 sq.

Humane facit hoc tamen, sed unum,
Gratis quæ dare basium recusat,
Gratis *lingere* non recusat Ægle.

Mart. XII, lv, 11 sqq.

Lingua. — In amore multiplicis officii.

« Jamque æmula libidine, ... jam patentis oris inhalatu cinnameo, et occursantis *linguæ* illisu nectareo, prona cupidine adlubescente, etc. »

Apul. *Met.* II.

« Accepturus ab ipsa Venere septem savia, et unum blandientis *linguæ* ad pulsum longe mellitum. »

APUL., *Met.* VI.

Et dare anhelanti pugnantibus humida *linguis*
Oscula, et in collo figere dente notas.

TIBULL. I, VIII, 37 sq.

LINGUA DUPLEX. — Quod accidit, quum in basiis *lingua linguæ* promiscetur.

« Fac proserpentem me bestiam, *duplicem* ut habeam *linguam.* »

PLAUT. *Asin.* III, III, 105.

LINGUA FUTUTRIX.

Gaudete, cunni, vestra namque res acta est.
Arrigere *linguam* non potest *fututricem.*

MART. XI, LXII, 9 sq.

LINGUA MALA. — Fellatoris.

« Apud quos tota impudicitia vocatur urbanitas, qui medios viros lambunt, homines *malæ linguæ*, etiamsi tacerent. »

ARNOB. *adv. Gent.* V.

De nullo quereris, nulli maledicis, Apici;
Rumor ait *linguæ* te tamen esse *malæ.*

MART. III, LXXX, 1 sq.

LITERÆ. — Pro scientia libidinum.

« *Literas* didicisti : quando scis, sine alios discere. »

PLAUT. *Trucul.* IV, II, 22.

LOCUS. — Pro pudendis utriusque sexus.

« Indecenter ipsa in *loca* manus mittunt prurientibus verendis. »

CÆL. AUREL. *Acut. passionum lib.* III.

« Quoniam, inquam, fidem scelere violasti, et communem amicitiam, res tuas ocius tolle, et alium *locum*, quem polluas, quære. »

PETRON. *Sat.*

« Novimus istam maritorum abstinentiam, qui etiamsi primam virginibus timidis remisere noctem, vicinis tamen *locis* ludunt. »

SENEC. *Controv.* I, 11.

« Fœtus in *locis* matris tumultuatur. »

TERTULL. *de Anima.*

LORUM IN AQUA. — Penis flaccidus.

« Nunquam tu hominem tam infelicem vidisti : *lorum in aqua*, non inguina habet. »

PETRON. *Sat.*

LUBENTINA. — Cognomen Veneris.

« Prolubium et prolubidinem dici ab eo quod lubeat. Unde etiam lucus Veneri *Lubentinæ* dicatur. »

VARR. *de Ling. lat.* 5.

Vide *Non. Marc.* verbo *Prolubium.*

LUBRICUS. — Sæpe in obscenis. Sic :

LUBRICUM CAPUT. — Pro mentula.

Tibi hæc paratur, ut tuum ter et quater
Voret profunda fossa *lubricum caput*....

Priap. Carm. LXXXIV, 30 sq.

LUBRICUM FEMUR.

Puella nec jocosa te levi manu
Fovebit, apprimetve *lubricum femur.*

Ibid. 24 sq.

LUCINA. — Cognomen Dianæ tanquam prægnantibus opem ferentis.

« Diana dicta, quia noctis quasi diem efficeret. Adhibetur autem ad partus, quod ii maturescunt aut septem nonnunquam, aut, ut plerumque, novem lunæ cursibus. »

CIC. *de Natura deorum.*

Hinc illud, quod legitimos *Lucina* labores
Prævenit, et gravidos sentit subrepere nixus
Ante exspectatum festina puerpera votum.

AUSON. *de ratione puerperii maturi*, 31 sq.

LUCULENTUS. — Succosus, valens, nervosus.

Me pulchra fateor carere forma :
Verum mentula *luculenta* nostra est.

Priap. Carm. XXXIX, 5 sq.

LUDERE. — Rem veneream agere, lascivire, libidinari.

Ille pulvis Erythræi,
Siderumque micantium
Subducat numerum prius,
Qui vestri numerare vult
Multa millia *ludi.*

Ludite, ut lubet, et brevi
Liberos date, etc.

CATULL. LVI, 206 sqq.

« In hoc gramine pariter compositi mille osculis *lusimus*, quærentes voluptatem robustam. »

PETRON. *Sat.*

.... Exigite, ut sit
Et pater ipsius cœtus, ne turpia *ludant*,
Ne faciant vicibus.

JUV. VII, 238 sqq.

Ludunt formosæ : casta est quam nemo rogavit.

OVID. *Eleg.* I, VIII, 43.

Vid. *Terent. Eunuch.*; *Muret. in Observ. juris.* 57, etc. Vide ILLUDERE.

LUDUM DARE AMORI. — Amori indulgere.

Miserarum est neque *amori dare ludum*,
Neque dulci mala vino lavere....

HOR. *Od.* III, XII, 1 sq.

LUDOS FACERE. — Eodem sensu ac ludere.

« Perii! pudet hoccine me ætatis *ludum* bis *factum esse* indigne? »

PLAUT. *Bacch.* V, I, 4.

« *Ludos* me *facitis*, intelligo. — Vin' cinædum novum tibi dari, Pægnium? »

PLAUT. *Pers.* V, II, 23.

LUDIA. — Quæ gladiatores ardet. Nam *ludii* proprie sunt gladiatores.

Hermes divitiæ locariorum,
Hermes cura laborque *ludiarum*.

MART. V, XXIV, 9 sq.

Vide *Plut. in Galb.* et *Juv.* VI, 82.

Ludia etiam pro saltatrice. At tunc, non a ludiis aut ludionibus, sed a *Lydis*, tanquam saltationum peritioribus.

LUMBI. — Valentes et vegeti requiruntur ad venerem; unde *lumbis* sedes libidinis ponebatur.

.... Quum carmina *lumbum*
Intrant, et tremulo scalpuntur ubi intima versu.

PERS. I, 20 sq.

Non dico pueris, sed his pilosis
Qui duros nequeunt movere *lumbos*.

CATULL. XVI, 10 sq.

LUMBI SOLUTI. — Venere exhausti.

« Sed et podagricum esse, et *lumborum solutorum* omnibus diceret, et si non servasset integram simulationem, periclitabatur pæne totam tragœdiam evertere. »

PETRON. *Sat.*

LUMBUS TENER. — Mollis, libidinosus.

Si *tenerum* attritus catinensi pumice *lumbum*
Squalentes traducit avos, emptorque veneni
Frangenda miseram funestat imagine gentem?

JUV. VIII, 16 sqq.

Luna. — Marem esse *Lunam* dicebant quidam apud veteres, et non fœminam; ideo *deum Lunum* colebant; unde proverbium antiquum :

« Ut qui *Lunam* fœmineo nomine ac sexu putaverit nuncupandam, is addictus mulieribus semper inserviat. At vero qui marem deum esse crediderit, is dominetur uxori, neque ullas patiatur insidias. »

Æl. Spart. *in Anton. Carac.*

Lupa. — Scortum, meretrix; quum sit id genus suetum vagando, quærens quem devoret.

Credo quod illi nec pater certus fuit,
Et mater est vere *lupa*.

Auson. *Epigr.* XXV, 11 sq.

Scortator nimius, multaque libidine suetus
Rusticulas vexare *lupas*.

Prudent. *adv. Symmach.* I, 105 sq.

Ite, quibus grata est picta *lupa* barbara mitra.

Juv. III, 66.

Lupana. — Mulier lustrorum sectatrix; qualis Messalina apud Juvenalem.

« In fœmineas congruit cultura *lupanas.* »

Commodian. *Inst.* 59.

Lupanar. — A *lupa*. Vid. supra. Conventus fornicum et scortorum.

Latebant *lupanaria* locis secretioribus.

« Ganeo luxuriosus, et tanquam in occultis locis et subterraneis. »

Isidor. *lib.* X.

« Ac subinde, ut in locum secretiorem venimus.... Per anfractus obscurissimos, in hunc locum me perduxit. »

Petron. *Sat.*

A Chione saltem, vel ab Heide disce pudorem;
Abscondunt spurcas et monumenta lupas.

MART. I, XXXV, 7 sq.

2° Noctu tantum patebant. Horam enim ante nonam vetitum erat lenonibus lustrum aperire, et scortis vagari, ne mane juvenes, omissis exercitationibus, ad libidines migrarent. Inde meretrices *nonariæ* dictæ.

Si Cynico barbam petulans *nonaria* vellat.

PERS. I, 133.

Ante lucem claudebantur.

Mox lenone suas jam dimittente puellas, etc.

JUV. VI, 126.

3° *Lupanaria* adeuntes, caput obnubebant.

« In tantum vitiorum Caianorum et Neronianorum fuisse æmulum, ut vagaretur nocte per tabernas et *lupanaria, obtecto capite* cucullo vulgari. »

CAPITOL. *in Ver.*

« Invenit filius adulterum *obvoluto capite*, nec eum occidit. »

FORTUNATIANUS, *Rhetor. lib.* I.

Ex hoc ritu Nævius apud Gellium:

« Eum suus pater cum *pallio* ab amica abduxit. »

GELL. VI, 9.

« Non timide, nec obscure luxuriabatur, etiam *inoperto capite.* »

SENEC. *de Vita beata*, 13.

Imo et meretrices obnuptæ.

Sumere *nocturnos* meretrix Augusta *cucullos.*

JUV. VI, 118.

« Thamar illa quæ se expinxerat, idcirco Judæ suspicione visa est quæstui sedere, adeo quia sub velamento latebat, habitus qualitate quæstuariam mentiente. »

TERTULL. *de Cultu fœminarum, c.* 12.

4° In solemnibus *lupanariorum*, id est, quum nova puella prostitueretur, foribus extra laureatis lucernæ suspendebantur.

« Procedat de janua laureata et *lucernata*, ut de novo consistorio libidinum publicarum. »

TERTULL. III *ad uxorem*.

Usus enim erat in nuptiis, sponsæ domum frondibus ornare. Inde amara illa Juvenalis irrisio :

Accipis uxorem de qua citharœdus Echion
Aut Glaphyrus fiat pater, Ambrosiusque choraules.
Longa per angustos figamus pulpita vicos ;
Ornentur postes et grandi janua lauro, etc.

JUV. VI, 76 sqq.

5° Intus vero, subterranea domus in cellulas partita erat, ut nunc sunt ædes monachorum.

« Ac ne quod non manubiarum genus experiretur, *lupanar* in palatio constituit : distinctisque et instructis pro loci dignitate *compluribus cellis*, in quibus matronæ ingenuique starent. »

SUETON. *in Caligul.* 41.

Vide *Dion. lib.* XIX.

Intrasti quoties inscriptæ limina *cellæ*,
Seu puer arrisit, sive puella tibi.

MART. XI, XLVI, 1 sq.

6° Cuicumque puero aut meretrici sua crypta, cui nomen ejus superscriptum erat cum pretio stupri.

« Nomen tuum pependit in fronte ; stetisti cum meretricibus. »

SENEC. *Controv.* I, 2.

« Meretrix vocata es, in communi loco stetisti ; *superpositus est cellæ tuæ titulus ;* venientes recepisti. »

SENEC. *ibid.*

Sed, nigrum flavo crinem abscondente galero,
Intravit calidum veteri centone lupanar,

Et *cellam* vacuam atque suam : tunc nuda papillis
Prostitit auratis, *titulum* mentita Lyciscæ.

JUV. VI, 120 sqq.

« Puella prosternit se ad pedes : Miserere virginitatis meæ, ne prostituas hoc corpus sub tam turpi *titulo*. Leno vocavit villicum puellarum, et ait : Ancilla exornetur, scribatur ei *titulus* : QUICUMQUE TARSIAM DEFLORAVERIT, MEDIAM LIBRAM DABIT. POSTEA POPULO PATEBIT AD SINGULOS SOLIDOS. »

SYMPHOSIANUS, *in Historia Apollonii Tyrii.*

7° Pretium stupri in lupanaribus. E titulo Tarsiæ constat pretium duplex, scilicet, pro *defloratione, media libra,* et *singulus solidus* pro qualibet subsequenti stupratione.

Vilissima certe foret hæc indicatio, si de moneta argentea ; nam monetæ nostræ relatum semipondo argenteum Romanorum æquat 37 fr. 64 c. ; solidus vero argenteus, 0 fr. 78 c.

Sed si de aureis titulum accipimus, primæ agressionis pretium 433 fr. ; sequentium vero stuprationum, 11 fr. 42 c., quod verisimilius de puella venusta et tenella.

8° Si puella jam noctem promisisset, cellulæ illius inscribebatur : OCCUPATA EST.

« Aut quod illa amicæ suæ amatorem prædicet : Fores occlusæ omnibus sient, nisi tibi ; In foribus scribat, *occupatam esse se.* »

PLAUT. *Asin.* IV, 1, 13 sqq.

9° Nudas se præbebant meretrices in *lupanaribus.*

« Scorta visebantur *nudis corporibus.* »

TACIT. *Annal. lib.* XV.

« Per prostitutarum *nuda corpora.* »

CYPRIAN. *de Spectac.* 6.

Vide *Artemidor.* XII.

« Quum ego negarem me cognoscere domum, video quosdam, inter *titulos* (cellarum), *nudasque* meretrices furtim conspatiantes. Tarde, imo jam sero intellexi me in fornicem esse deductum. »

PETRON. *Sat.*

Sed cellis sane suis nudæ stabant et prostabant.

.... Audiat ille
Testarum crepitus cum verbis, *nudum* olidò stans
Fornice mancipium quibus abstinet....

JUV. XI, 169 sqq.

Cætera nudæ, papillas tamen amiciebant.

.... Tunc nuda *papillis*
Prostitit *auratis.*

JUV. VI, 122 sq.

Id est, lino aurato vinctis.

« Tunc illa cuncto prorsus spoliata tegmine, tænia quoque, qua decoras devinxerat puellas, lumen propter adsistens, etc. »

APUL. *Met.* X.

Idciro nudæ stabant, ut inspici possent ab amatoribus.

10° Cellæ tamen illæ, fœdis suppellectilibus, non instructæ, sed vere inquinatæ : nam pro lecto, matta aut teges vilissimo junco texta, et pro strato, cento rudis libidinibusque innumeris sordidatus.

« In locum secretum venimus ; *centonem* anus urbana rejecit, et hic, inquit, debes habitare. »

PETRON. *Sat.*

.... Dormire virum quum senserat uxor,
Ausa Palatino *tegetem* præferre cubili,
....

[redacted]

Sed, nigrum flavo crinem abscondente galero,
Intravit calidum veteri *centone* lupanar.

JUV. VI, 116 sqq.

Pro lumine tandem, oleariæ lucernæ.

« Redoles adhuc fuliginem fornicis. »

SENEC. *Controv.* I, 2.

.... Acris ubi me
Natura incendit, sub *clara nuda lucerna*
Quæcumque excepit turgentis verbera caudæ,
Clunibus aut agitavit equum lasciva supinum, etc.

HOR. *Sat.* II, VII, 47 sqq.

Obscurisque genis turpis, *fumoque lucernæ*
Fœda, lupanaris tulit ad pulvinar odorem.

JUV. VI, 131 sq.

11° *Lupanariis* prostabant et pueri ad usum pathicorum, ut patet ex *Cod. Theod. l.* IX, *tit.* 7; et *Martial.* loco supra citato, n° 5. Prostitutionem puerorum prohibuit Domitianus.

Nec quam superbus computet stipem leno,
Dat prostituto misera mater infanti.
Qui nec cubili fuerat ante te quondam,
Pudor esse per te cœpit et *lupanari.*

MART. IX, VI, 6 sqq.

12° In palatio suo *lupanar* constituit Caligula.

« . . *lupanar* in palatio constituit: distinctisque et instructis pro loci dignitate compluribus cellis, in quibus matronæ ingenuique starent. Misit circum fora et basilicas nomenclatores ad invitandos in libidinem juvenes senesque: præbita advenientibus pecunia fenebris, appositique qui nomina palam subnotarent, quasi adjuvantibus Cæsaris reditus. »

SUETON. *in Calig.* 41.

Sic publice confessum, lenocinium inter honestas lucri rationes constitutum fuit; principisque ad exem-

plar cives *lupanaria* exstruxerunt, quorum, quis crederet? et locus et fructus inter res hæreditarias numerabantur.

« *Pensiones, licet a lupanario perceptæ* sint, nam in multorum virorum prædiis *lupanaria* exercentur. »

L. ancillarum, ff. de hæred. pet.

13° Revera, infamis non erat apud antiquos lustrorum assuetudo : nimia tantum culpabatur.

« Si quis est, qui etiam meretricis amoribus interdictum juventuti putet, valde severus; negare non possum...Quando non permissum, quando reprehensum? »

CIC. *pro Cæl.* 20.

LUPANARIUS. — Magister lupanaris.

« Corpora omnium constituit vinariorum, *lupanariorum*, caligariorum, et omnino omnium artium. »

LAMPRID. *in Alex. Sever.*

LUPARI. — Scortari, prostare.

« Atqui scalis cum meretrice e nostro ornatu per vias *lupantur.* »

TURPILIUS, *apud Non. Marc.*

.... Et divos thure precemur
Consilium faxint placeat : tu impune *luperis.*

LUCIL. *Frag.* V, 8 sq.

LUPATRIA. — Scortum.

« Ipse nescit quid habet,... Sed hæc *lupatria* providet omnia. »

PETRON. *Frag.*

LUPERCALIA. — Festa in honorem Panis, a loco dicto *Lupercal*, sub monte palatino. Celebrabantur mense februario. Eodem etymo *luperci* pro sacerdotibus pasto-

rum dei, qui, adlucente solemnitatis die, ab ortu solis nudi per urbem cursitabant, mulierum palmas, ventrem, uterumque pelle caprina ferientes, qua re et fecunditas et facilior partus fieri putabatur.

> .... Steriles moriuntur, et illis
> Turgida non prodest condita pyxide Lyde,
> Nec prodest agili palmas præbere *luperco*.
>
> Juv. II, 140 sqq.

> Hic exsultantes salios, nudosque *lupercos*, etc.
>
> Virgil. *Æneid.* VIII, 663.

Lustra. — Pro locis quibus concelebrantur libidines fœdissimæ.

« Proprie lamæ lustrosæ quæ sunt in sylvis aprorum, a quarum similitudine, ii qui, in locis abditis et sordidis, ventri et desidiæ operam dant, dicuntur in *lustris* vitam agere. »

Festus.

> Si neque avaritiam, neque sordes ac mala *lustra*
> Objiciet vere quisquam mihi purus et insons,
> Ut me collaudem, si et vivo carus amicis.
>
> Hor. *Sat.* I, vi, 69 sqq.

> Quem sumptum facis in *lustris* circum oppida lustrans?
>
> Lucil. *Fragm.* XXX, 70.

« Is apud scortum corruptelæ et liberis *lustris* studet. »

Plaut. *Asin.* V, ii, 17.

Lustrari. — Scortari. Vide *Lucil.* supra.

« Unde is nihili? ubi fuisti? ubi *lustratus*? ubi bibisti? »

Plaut. *Casin.* II, iii, 29.

« Nam qui liberos esse illico se arbitrantur, Ex conspectu heri si sui se abdiderunt, Luxuriantur, *lustrantur*, comedunt quod habent. »

Idem. *Pseudol.* IV. vii, 4 sqq.

Lustro-onis. — Substantive. Qui in *lustris* versatur.

« Pessimorum pessime, audax, ganeo, *lustro*, aleo. »
Nævius.

Lusus. — In obscenis. Vide verb. Ludere.

Luteus color. — Ex ritu, et quasi specialis in nuptiis; nempe pro socco et vittis, teste Plinio; ideoque boni ominis, et non mali, ut apud nos.

Vota cadunt, utinam strepitantibus advolet alis,
Flavaque conjugio *vincula* portet Amor.
Tibull. II, II, 17 sq.

Inde per immensum *croceo* velatus *amictu*
Æthera digreditur, Ciconumque Hymenæus ad oras
Tendit...
Ovid. *Met.* X, *de Orphei nuptiis*, 1 sq.

Nuptæ pedes socco *luteo* induebat novus maritus.

Crura distincto religavit auro,
Lutea plantas cohibente *socco*.
Senec. *in Hippolyt. de Hercule.*

Flammeum cape, lætus huc,
Huc veni, niveo gerens
Luteum pede *soccum*.
Catull. LVI, 8 sqq.

Lutum-i. — Vir luxuriosus, perditus.

« O tenebræ, o *lutum*, o sordes, o paterni generis oblite, materni vix memor! »
Cic. *in Pisonem.*

Redde, putrida mœcha, codicillos;
Non assis facis, o *lutum*, lupanar,
Aut si perditius potest quid esse, etc.
Catull. XXXIX, 20 sqq.

Lux. — Verbum amatorium.

« Meum desiderium, *mea lux.* »
Cic. *ad Terentiam.*

Longe ante omnes mihi quæ me carior ipso est,
Lux mea, qua viva vivere dulce mihi est.
CATULL. LXIII, 159 sq.

LUXURIA. — Contra pudorem et supra modum profusio.

« Intelligimus quam sit turpe diffluere *luxuria*, delicate ac molliter vivere. »

CIC. *de Offic.* I.

Nunc patimur longæ pacis mala; sævior armis
Luxuria incubuit, victumque ulciscitur orbem.
JUV. VI, 292 sq.

MALA

MACHÆRA. — Pro pene.

« Noctu in vigiliam quando ibat miles, tum tu ibas simul? Conveniebatne in vaginam tuam *machæra* militis? »

PLAUT. *Pseudol.* IV, VII, 84 sq.

MÆNAS. — Mulier Bacchi sacerdos: fœmina vino et venere furens.

« Aut contrectare, quod mares homines amant? Deglupta *mœna*, Sarrapis sementium.... »

PLAUT. *Pœnul.* V, v, 32 sq.

A μαίνεσθαι, *furere*.

Nota bonæ secreta Deæ, quum tibia lumbos
Incitat, et cornu pariter vinoque feruntur
Attonitæ, crinemque rotant, ululantque Priapi
Mænades. O quantus tunc illis mentibus ardor
Concubitus! quæ vox saltante libidine!
JUV. VI, 314 sqq.

MALACISSARE. — Μαλάκαζειν. Lenire, emollire; ad obscena translatum, et tunc pro effœminare.

« *Malacissandos* articulos exoletis meis porrigam? ut mu-

liercula, aut aliquis in mulierculam ex viro versus digitulos meos ducat? »

SENEC. *Epist.* 66.

« PI. — Apage a me, apage. BA. — Ah! nimium ferus es. PI. — Mihi sum. BA. — *Malacissandus* es. »

PLAUT. *Bacch.* I, I, 31.

Hinc:

MALACUS. — Mollis, delicatus.

« Tum ad saltandum non cinædus *malacus* æque est atque ego. »

PLAUT. *Mil.* III, I, 74.

« Tun' tantilli doni caussa, olerum atque escarum et poscarum, Mœchum *malacum*, cincinnatum umbraticolam, tympanotribam Amas...? »

PLAUT. *Trucul.* II, VII, 48 sqq.

MALCHIO. — Eodem sensu, quod patet ex *Trimalchione* Petronii.

Hos *Malchionis* patimur improbi fastus,
Nec vindicare, Rufe, possumus : fellat.

MART. III, LXXXII, 32 sq.

MALTA aut MALTHA.

« *Maltas*, veteres molles appellari voluerunt a græco, quasi μαλάκους. »

NON. MARC.

Insanam vocant quam *maltam* ac fœminam dici vident.

LUCIL. *Frag.*

Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt.
Malthinus tunicis demissis ambulat : est qui
Inguen ad obscenum subductis usque facetus, etc.

HOR. *Sat.* I, II, 24 sqq.

MALUS. — Deformis, invenustus.

« Viden' hanc ?— Video, haud *mala* est mulier. — Pol, vero ista *mala*, et tu nihili. »

PLAUT. *Bacch.* V, II, 42 sq.

« Quid ? ea ut videtur mulier ? — Non, edepol, *mala*. Ut morata est ? — Nullam vidi melius mea sententia. »

PLAUT. *Merc.* II, III, 57 sq.

Verum a te metuo, tuoque pene
Infesto pueris bonis *malis*que.

CATULL. XV, 9 sq.

MALA FŒMINA. — Non casta, impudica.

Non tuus levis in *mala*
Deditus vir adultera,
Pro qua turpia persequens,
A tuis teneris volet
Secubare papillis.

CATULL. LVI, 101 sqq.

MALUM. — In obscenis. Ab hortis ad venerem verecunde translatum.

« Enimvero prægnanti oportet et *malum* et *malum* dari. »

PLAUT. *Amph.* II, II, 91.

« Nisi habeas, quamquam tu bella es, *malum* tibi magnum dabo jam. »

PLAUT. *Bacchid.* V, III, 53.

Quod movear non est; quia si furaberis ipse
Grandia *mala*, tibi *mala* βραχιτὰ dabo.

Priap. Carm. LXXIV, 1 sq.

Sic *mala* mittebant puellis concubitum rogantes.

Ut *missum* sponsi furtivo munere *malum*
Procurrit casto virginis e gremio,
Quod miseræ oblitæ molli sub veste locatum,
Dum adventu matris prosilit, excutitur.

CATULL. LX, 19 sqq.

MALE MAS. — Ad venerem lentus, iners.

Vos quod millia multa basiorum
Legistis, *male* me *marem* putastis.
CATULL. XVI, 12 sqq.

MAMMA, MAMILLA. — Uberis eminentia : papilla vero breve illud apex, quo lac trahitur. Hinc :

MAMMA. — Pro matre.

« Quum cibum ac potionem buas et papas vocent; matrem, *mammam*, patrem, tatam. »
VARR. *de lib. educandis.*

Græce μάμμη. Vide *Mart.* I, CI.

MAMMA. — Pro nutrice.

Et similis regum pueris pappare minutum
Poscis, et iratus *mammæ* lallare recusas.
PERS. III, 17 sq.

Vide *Gruteri inscript. p.* 662.

MAMMAM OPPRIMERE. — Tractare.

« ...ubi *mamma* manicula *Opprimitur* alia; aut si lubet, corpora Conduplicant. »
PLAUT. *Pseudol.* V, 1, 16 sqq.

MAMILLÆ STRICTÆ. — E sinu patentes. Sic *strictus* dicitur gladius pro evaginato.

Cumque paludatis ducibus, præsente marito,
Ipsa loqui recta facie, *strictisque mamillis.*
JUV. VI, 400 sq.

MAMMÆ INCLINATÆ.

Necdum *inclinatæ* prohibent te ludere *mammæ* :
Viderit hoc, si quam jam peperisse pudet.
PROPERT. II, XVI, 21 sq.

MAMMÆ JACENTES.

« Taceo fractas pondere arvinæ *jacere mammas*, quasque fœdum esset in pectore virili vel prominere. »
SOL. APOLLINARIS, III, 13.

Mammae pannosae. — Tritæ, rugosæ. A *panno* usu confecto.

> Aut tibi *pannosæ* pendent a pectore *mammæ*,
> Aut sulcos uteri prodere nuda times.
>
> Mart. III, lxxii, 3 sq.

Mammae stantes. — Ut sunt virginis intemeratæ. Vide *Stat. Sylv.* I, 2.

Mammeata, Mammosa. — Quæ grandes *mammas* habet.

> « Hujus amica *mammeata*, mea inimica et malevola. »
>
> Plaut. *Pœnul.* I, ii, 161.

> *Mammosam* metuo : teneræ me trade puellæ,
> Ut possint niveo pectore lina frui.
>
> Mart. XIV, cxlvii, 1 sq.

Mamillare. — Indumentum speciale *mamillis* compescendis. Vid. *Martin. Lexic.* Sic sub hoc titulo Martialis in mulierem *mammosam* :

> Taurino poteras pectus constringere tergo ;
> Nam pellis *mammas* non capit ista tuas.
>
> Mart. XIV, lxiv, 1 sq.

Mancipium.

> « Qui alteri quicquam *mancipio* tradit, ita dat quasi suum, ut accipientis illico faciat, dominiumque transferat pure atque in perpetuum. »
>
> Faber, *ad tit. de diversis reg. juris antiqui.*

Hinc et ad venerem, usitatissima translatione:

Mancipio se alicui dare. — Sæpe contumeliose. Vide verb. Emancipare.

> « Memini, et *mancipio tibi dabo.*—Egon' a lenone quicquam *Mancipio accipiam.* »
>
> Plaut. *Curc.* IV, ii, 8 sq.

> « Adduxit simul Forma expetenda liberalem mulierem....

Eam te volo accurare, ut istic veneat, Ac suo periculo is emat qui eam mercabitur : *Mancipio* neque *promittet*, neque quisquam *dabit.* »

PLAUT. *Pers.* IV, III, 51 sqq.

MANICATUS, MANULEATUS. — Mollis, effœminatus, mulierculus. Viri enim nudis brachiis incedebant; fœminæ vero, chirodatæ et *manuleatæ*. Cicero, *Action*. 2, Catilinæ objecit quod *manicatus* esset.

« Apud me vero Epicurus est fortis, licet *manuleatus* sit. »

SENEC. *Epist.* I, 33.

Brachiaque in *manicis*, et pinctæ vincula plantæ,
Carbaseique sinus, et fibula rasilis auro, etc.

STAT. *Theb.* VII, 637 sq.

MANUS AMICA. — Suîmet meretrix aut mœchus, in solitaria voluptate.

Pontice, quod nunquam futuis, sed pellice læva
Uteris, et veneri servit *amica manus*;
Hoc nihil esse putas? scelus est, mihi crede, sed ingens,
Quantum vix animo concipis ipse tuo.

MART. IX, XLI, 1 sqq.

MANUS FUTUTRIX. — Quæ ad venerem sollicitat.

. . . . Inguina saltem
Parce *fututrici* sollicitare *manu*.
Levibus in pueris plus hæc, quam mentula, peccat;
Et faciunt digiti, præcipitantque virum.

MART. XI, XXIII, 3 sqq.

MANUS PULLARIA. — Dextera; a palpandis tentandisque pueris et puellis. *Arnob. advers. Gent.* III, 11.

« *Pullaria.* »

PLAUT. *Frag. ex locis amissis*, vers. 56.

MANUS SCELERARE. — Fœda tractatione polluere.

. . . . Jam parce sepulto,
Parce pias *scelerare manus*.

VIRGIL. *Æneid.* IV, 42 sq.

« *Scelerare manus.* »

PLAUT. *Frag. ex locis amissis*, vers. 40.

MANUS. — Pro virili peculio.

« Atque edepol ut nunc male eum metuo, miser! Si quispiam det, quoi *manus* gravior siet, etc. »

PLAUT. *Pseudol.* III, I, 18 sq.

« Cedo *manum* ergo.— Estne hæc *manus* ?— Ubi illa altera est furtifica læva? «

ID. *Pers.* II, II, 43 sq.

MARISCA. — Ficus majori mole et insipida. (*Varr.*) Unde pro muliere fatua.

Non eadem res est : Chiam volo, nolo *Mariscam*.
Ne dubites quæ sit Chia, *Marisca* tua est.

MART. XII, XCVI, 9 sq.

Chia vero ficus erat saporis acerbiusculi, propterea-que in deliciis.

MARISCA. — Ulcus venereum; tubercula in ano, ad fici similitudinem.

. . . . Sed podice levi
Cæduntur tumidæ, medico ridente, *mariscæ*.

JUV. II, 12 sq.

MARITUS. — Proprio sensu, qui fecundat; mas, admissarius. Inde pro viro in connubiis. More antiquo, *mariti* romani, peregre redeuntes, uxoribus de adventu nuntios præmittebant. Et bene. De hoc usu prudentissimo, vide *Plutarch. Quæst. rom.* IX.

« Me a portu præmisit domum, ut hæc nuntiem uxori suæ. »

PLAUT. *Amph.* I, 1, 40.

MARITUS. — De pecoribus.

Massyli leo fama jugi, pecorisque *maritus*
Lanigeri, mirum qua coiere fide.

MART. IX, LXXI, 1 sq.

Quisque cœtus continetur conjugali fœdere.
Ecce, jam super genistas explicant tauri latus;
Subter umbras cum *maritis* ecce balantum greges.

Pervigil. Veneris, 71 sqq.

MARITUS. — De arboribus.

Vere concordant amores, vere nubunt alites,
Et nemus comam resolvit de *maritis* imbribus.

Ibid. 2 sq.

MARITUS. — Et sæpe ad flagitiosa translatus.

Lingua *maritus*, mœchus ore Nanneius,
Summœnianis inquinatior buccis.

MART. XI, LXII, 1 sq.

. . . . Ne thalassionem
Inducas manibus libidinosis,
Et fias sine fœmina *maritus*.

MART. XII, XCV, 5 sqq.

MARITALE CAPISTRUM. — Frenum conjugale. Metaphora ab equis.

. . . . Si mœchorum notissimus olim
Stulta *maritali* jam porrigit ora *capistro*,
Quem toties texit perituri cista Latini?

JUV. VI, 42 sqq.

MARITATA PECUNIA. — Quam profert mulier conjuncta; dos.

« Pulchra edepol dos *pecunia* est, — Quæ quidem, pol, non *maritata* est. »

PLAUT. *Epidic.* II, 1, 10 sq.

Marmorea. — Mulier quæ, petræ similis, sub viro immobilis jacet.

> At Chione non sentit opus, nec vocibus ullis
> Adjuvat; absentem *marmoreamque* putes.
>
> Mart. XI, lxi, 7 sq.

Mascarpio. — Masturbator.

> « Ingemui ego, utique propter *mascarpionem*, lacrymisque ubertim manantibus, obscuratum dextra caput super pulvinum inclinavi. »
>
> Petron. *Sat.*

Mascula. — Tribas.

> Et de nimboso saltum Leucate minatur
> *Mascula* lesbiacis Sappho peritura sagittis.
>
> Auson. *Cupid. cruci affix.* 24 sq.

Massilienses. — In proverbium erant tanquam molles et pædicones.

> « Ubi tu es qui colere mores *massilienses* postulas? Nunc, tu si vis subigitare me, proba est occasio. »
>
> Plaut. *Cas.* V, iv, 1 sq.

Vide *Brodæum*, *Miscellan.* III, 27.

Mastuprari, Mastuprator. — Eodem sensu quo *masturbari*, *masturbator*. A *manu*, vel *manum stuprare*.

Masturbari. — Fœde se tractare. A *manu* et *turbo*. Item apud Græcos, χειρουργεῖν, *manibus operari*. Antiquissima turpitudo.

> Hoc nihil esse putas? scelus est, mihi crede, sed ingens.
>
> . . . .
>
> Nempe semel futuit, generaret Horatius ut tres;
> Mars semel, ut geminos Ilia casta daret.
> Omnia perdiderat, si *masturbatus* uterque
> Mandasset manibus gaudia fœda suis.

[redacted]

> Ipsam crede mihi naturam dicere rerum :
> Istud quod digitis, Pontice, perdis, homo est.
>
> MART. IX, XLI, 3 sqq.

Lydorum erat quotidianus usus, horis meridianis manibus inducere thalassionem. *Cœl. Rhod.* XX, 4.

Peculiare hoc vitium pueris, ab omni memoria. Inde illud Juvenalis, præceptoribus et pædagogis in ævum penitus affigendum.

> . . . . Exigite ut sit
> Et pater ipsius cœtus, ne turpia ludant,
> Ne faciant vicibus. Non est leve, tot puerorum
> Observare manus, oculosque in fine trementes.
>
> JUV. VII, 238 sqq.

MASTURBATOR. — Qui se fœde tractat.

MATER. — Pro nutrice. Nam nutrix non semel, sed quotidie mater.

« Et sunt nati filii gemino duo, Ita forma simili pueri, uti *mater* sua Non internosse posset, *quæ mammam dabat*, Neque adeo mater ipsa, quæ illos pepererat. »

PLAUT. *Menæchm. Prolog.* vers. 18 sqq.

MATRIMONIUM. — Lege Poppœa nuptiis arcebantur fœminæ quinquagenariæ, propter sterilitatem ; et viri sexagenarii, quum fortes nisi fortibus, et validi nisi validis creari non possint. De viris interdictum tollit Claudius (*Sueton. in Claud.* 23) ; de mulieribus vide *lib.* XXVII, *Cod. de Nupt.*

Ex ritu romano, *matrimoniorum* tria genera, *confarreatio*, *coemptio* et *usus*. Vide hæc verba.

MATRIMONIA. — Pro matronis.

« Et convocatis plebeiis *matrimoniis*, conquesta de injuria patriciorum, etc. »

TIT. LIV. *lib.* X.

Eadem metonymia, *conjugium* pro conjuge apud Propertium.

MATRONÆ. — Ingenuorum uxores, ab innuptis cultu et ornatu discretæ, quod notandum præsertim statuariis, pictoribus et tragœdis. Discernebantur :

1° Coma. Innuptæ capillos gestabant cirros et cincinnos ; matronæ vero, implexos.

» Simulque se mulieres intellexerunt, vertunt capillum, et acu lasciviore sibi crinibus a fronte divisis, apertam professæ mulierositatem, etc. »

TERTULL. *de Virgin. velandis.*

2° Palla. Gallice *une simarre*. Vestis solemnis cum longo syrmate ; qua non nisi in publicum utebantur *matronæ ;* et tunc in signum dignitatis. Diis pallam tribuebant antiqui, ut videtur Apollini cytharam tenenti in antiquo Neronis nummo.

Ad talos stola demissa et circumdata *palla*.

HOR. *Sat.* I, II, 99.

A meretricibus discernebantur stola longa et talari. Meretrices enim, teste Nonio, veste succinctiore utebantur. Vide MERETRIX et TOGA.

« *Matronas* appellabant eas quibus stolas habendi jus erat. »

FEST.

Hinc Horatius :

. . . . Sunt qui nolint tetigisse, nisi illas
Quarum subsuta talos tegat instita veste.

Sat. I, II, 28 sq.

Quis floralia vestit, et *stolatum*
Permittit *meretricibus pudorem?*

MART. I, XXXVI, 8 sq.

MATRONALIA. — Festa matronarum in memoriam raptus Sabinarum. Calendis martiis celebrabantur. Junoni sacrificabant, ut novus annus ab exordio felix esset ac faustus, et in partu et in amore conjugali. Eodem die, fœminæ inter se munuscula missitabant.

« Saturnalibus dabat viris apophoreta, et calendis martiis, *fœminis*. »

SUETON. *in Vespas.* 19.

Vide *Martial.* V, XXXVI; *Ovid. Fast.* III, 229; *Plaut. Mil.* III, I, etc.

Matronæ, quæ sacra colunt pro laude virorum,
Mavortis primum quum rediere dies.

AUSON. *de Feriis rom.* 7 sq.

MATULA. — Sensu fœdissimo.

« Jam hercle ego vos pro *matula* habebo, nisi mihi *matulam* datis. »

PLAUT. *Most.* II, I, 39.

MEDICÆ. — Obstetrices juratæ, quarum officium erat mulieres inspicere.

« Quoties de mulieris prægnatione dubitatur, quinque obstetrices, id est *medicæ*, ventrem jubentur inspicere. »

ANIAN. *ad Paull.*

MEDIUS, MEDIA. — Adj. De pudendis utriusque sexus.

Per *medios* ibit pueros, *mediasque* puellas
Mentula; barbatis non nisi summa petet.

Priap. Carm. LXXVI, I sq.

« Edepol! ego illam *mediam* diruptam velim. »

PLAUT. *Casin.* II, V, 18.

Velle quid hanc dicas, quamvis sim ligneus, hastam,
Oscula dat *medio* si qua puella mihi?

Priap. Carm. XLIV, 1 sq.

MEDULLÆ. — Pro viri rore illo quo procreamur.

Dum jam turgidulo tument liquore
Vascula, et liquidæ fluunt *medullæ;*
Imbelles procul osculationes
Udulis fugias pati labellis.

PETRON. *Phaleuc.* 10 sqq.

MEIERE. — Semen emittere; venerem perficere.

Dimittit neque famosum, neque sollicitum, ne
Ditior aut formæ melioris *meiat* eodem.

HOR. *Sat.* II, VII, 51 sq.

Ut tuus iste nepos olim satur anseris extis,
Quum morosa vago singultiet inguine vena,
Patriciæ *immeiat* vulvæ?

PERS. VI, 71 sqq.

MEIERE IN PEDES. — Quod accidit mentulis retractis.

Jam, nisi per somnum non arrigis, et tibi, Mævi,
Incipit *in medios meiere* verpa *pedes.*

MART. XI, XLVII, 1 sq.

MEL, MELLICULUM. — Inter blandimenta. *Mel* enim antiquis in deliciis.

« Egon' apicularum opera congestum non feram, Ex dulci oriundum, *melliculo* dulci meo? »

PLAUT. *Curcul.* I, I, 10 sq.

« Nunc pol, demum ego sum liber. Meum corculum, *melliculum*, Verculum. »

IDEM, *Casin.* IV, IV, 14 sq.

Vide *Hieronym. ad Nepotian.*

« Licetne amplecti te? — Quid, amplecti licet? — Ut quia te tango, *mel* mî videor lingere! »

IDEM, *ibid.* II, VIII, 20 sq.

[redacted]

De irrumatione penis *melle* uncti, vide *Hieronym. Mercurial. lib.* IV. Vide et quod refert Suetonius de Lucio Vitellii filio, in *Vitell.* 2.

MEMBRUM. — Absolute : pro membro virili.

> Hujus et Alcinoi mirata est filia *membrum*
> Frondenti ramo vix potuisse tegi.
>
> *Priap. Carm.* LXIX, 17 sq.

Hinc, et eodem sensu :

MEMBROSUS, MEMBROSIOR. — Valde mentulatus.

> Sed ruber hortorum custos, *membrosior* æquo,
> Qui tectum nullis vestibus inguen habet.
>
> *Priap. Carm. præfat.* 5 sq.

MEMMIUS. — Spurcissimus poeta de quo *Plin. Jun. in epist.*, ut oratore.

> Quid referam Ticidæ, quid *Memmi* carmen, apud quos
> Rebus abest omnis, nominibusque pudor ?
>
> OVID. *Trist.* II, 1, 433 sq.

MENSTRUA FŒMINARUM.

« Scribit Epiphanius, fœminas semen et *menstruum* libare deo, et deinde potare solitas. »

HIERONYM. *Mercurial. lib.* IV.

MENTULA. — Membrum virile.

> Nec per circuitus loquatur illam
> Ex qua nascimur, omnium parentem,
> Quam sanctus Numa *mentulam* vocabat.
>
> MART. XI, XVI, 8 sqq.
>
> Castas Pieridum chorum sorores
> Auso ducere ad *mentulam* Priapi.
>
> *Priap. Carm.* I, 7 sq.

MENTULAM PUERO FACERE. — Ad venerem puerum educare.

Ah facinus! tunica patet inguen utrimque levata,
Inspiciturque tua *mentula facta* manu.

MART. XI, LXXI, 5 sq.

MENTULA. — Pro viro. Pars pro toto.

Quid? nisi tænario placuisset *troica* cunno
Mentula, quod caneret, non habuisset opus?

Priap. Carm. LXIX, 1 sq.

MENTULATUS. — Pene majore instructus.

Quod si quis inter hæc locus mihi restat,
Deus Priapo *mentulatior* non est.

Priap. Carm. XXXVI, 10 sq.

MERCURIUS. — Et etiam inter deos nuptiarum numeratur. Plutarchus, initio libri de *Præceptis connubialibus*, *Mercurium* juxta Venerem collocari solere tradit, quod conjugii voluptas ratione potissimum ac sermone consistat.

Fervidus tecum puer, et solutis
Gratiæ zonis, properentque Nymphæ,
Et parum comis sine te Juventas
Mercuriusque.

HOR. *Od.* I, XXX, 5 sqq.

Inde caduceus inter emblemata conjugii, ex ritu ægyptiaco. Nam conduplicati serpentes in symbolum erant conjunctionis maris cum fœmina. Sic caduceatum *Mercurium* pro conjugibus Caro et Narbona invocat Martialis :

Cyllenes cœlique decus, facunde minister,
Aurea cui torto virga dracone viret,
Sic tibi lascivi non desit copia furti,... etc.

MART. VII, LXXIV, 1 sqq.

MERERE. — Quæstum corporis facere.

« Qui in ordine erat, is æs militare *merebat*, et ob mercedem, laborem, vel infamiam corporis locat. »

VARR. *Rerum human. lib.* XX.

Vide *Non. Marc.* Hinc:

MERETRIX. — Fœmina suî quæstum faciens, salvo tamen pudore publico.

« Inter *meretricem* et prostibulam hoc interest : quod *meretrix* honestioris loci est et quæstus. Nam *meretrices* a *merendo* dictæ sunt, quod copiam suî tantummodo noctu facerent : prostibula, quod ante stabulum stet, quæstus diurni et nocturni causa. Plautus Cistellaria manifestissime discrevit: « Intro ad bonam *meretricem*; adstare in via solum *prostibulæ* sane est. »

NON. MARC. *Dictionum in significato differentiæ.*

Meretrices apud ædilem inscribebantur. Vid. ÆDILIS. Et tunc nomen mutabant. Addit et probat Douza, eas quæ quæstui renuntiabant, primum sibi liberum et proprium assumere solitas esse.

« Namque hodie earum *mutarentur nomina*, Facerentque indignum genere quæstum corpore. »

PLAUT. *Pœnul.* V, III, 20 sq.

Flavo galero peculiariter utebantur, in modum galeæ facto; et in scenam lutea veste semper introductæ; quia, inquit Scaliger, similis est ille color auro cujus cupientes maxime sunt. Vide *J. C. Scalig. poet.* I, 13. Sic et uxor Claudii, ut meretrix videretur,

.....nigrum *flavo* crinem abscondente *galero*,
Intravit calidum veteri centone lupanar.

JUV. VI, 120 sq.

Ex disciplina publica, veste succinctiore utebantur *meretrices;* dum matronæ, talari.

« *Meretrix* cum veste longa peregrino in loco solet tutandi caussa sese sumere. »

AFRAN. *apud Non. Marc.*

Inde stola interdictæ.

Quis floralia vestit, et stolatum
Permittit *meretricibus* pudorem?

MART. I, XXXVI, 8 sq.

Inde togatæ.

Coccina famosæ donas et iantina mœchæ:
Vis dare quæ meruit munera? mitte *togam*.

IDEM, II, XXXIX, 1 sq.

Cæterum, communi appellatione vocitabant antiqui quascumque famosas, et quæ, libidine incensæ, uredinis tantum incitamine prostant, nulla mercede conducta. Tales fuere Cleopatra et Messalina. Sic Juvenalis:

Ausa palatino tegetem præferre cubili,
Sumere nocturnos *meretrix* Augusta cucullos, etc.

JUV. VI, 117 sq.

Derivata sunt: *meretricium* (*Suet.*) *Meretricie* adverb. (*Plaut.*) *Meretricius-a-um*. (*Cic.*) *Meretricari*, id est scorta sectari, lupanaria celebrare. (*Columell.*) *Meretricula*, scortum pusillum, humile. (*Cic.*) Vide verba LUPANAR, TOGA.

MERIDIARI. — Nonnunquam in obscenis. Rem habere cum amica. Ex more antiquorum media luce dormitandi, ut nunc Itali, Hispani et alii Meridionales.

Meæ deliciæ, mei lepores,
Jube ad te veniam *meridiatum*.
....
Verum si quid ages statim jubeto;

Nam pransus jaceo, et satur supinus
Pertundo tunicam palliumque.

CATULL. XXX, 1 sqq.

Quæ tuo veniunt hero,
Quanta gaudia, quæ vaga
Nocte, quæ *media die*
Gaudeat!

IDEM, LVI, 116 sqq.

MERITORII PUERI. — Catamiti. (*Cic.*; *Serv. in Eclog. Virg.* VIII.)

« Pueri *meritorii* dicuntur qui, aut sponte sua, aut jubente domino, prostant, turpique quæstu merentur. »

BRITANN. *in Juvenal.* III, 234.

MERITORIUM. — Lupanar.

« *Meritoria*, loca tabernarum ubi adulteria committuntur. »

ISIDOR. *Gloss.*

« *Meritoria* intra urbem, quod diu quidem tenere non potuit. »

VOPISC. *in Tacit. imp.*

MILESIUS SERMO. — Verba voluptaria, ex moribus *Milesiorum* lascivia notissimorum.

« Et ego tibi *sermone* isto *milesio* varias fabellas conseram, auresque tuas benevolas lepido susurro promulceam. »

APUL. *Met.*

MILITARE. — Sæpe de duello venereo.

« Paratus *miles* arma non habui. »

PETRON. *Sat.*

Militat omnis amans, et habet sua castra Cupido.

OVID. *Amor.* I, IX, 1.

Vixi puellis nuper idoneus,
Et *militavi* non sine gloria;
Nunc arma, defunctumque bello
Barbiton hic paries habebit, etc.

HOR. *Od.* III, XXVI, 1 sqq.

« Lydorum emollita improbitas illuc progressa fertur, ut alienas uxores virginesque in locum producentes, ... omnes construparent. Unde tyrannidem assecuta Omphale, stupratarum una, illatas ulciscens injurias, servis dominas prostituit in loco eodem quem, rei atrocitatem mollientes, Lydi vocant mulierum certamen et γλυκὺν ἀγῶνα, id est *dulcem luctam*. »

CÆL. RHOD. *Lect. antiq.* XX, 14.

Vide verba HASTA, PRÆLIARI, etc.

MIMI. — Histrionum spurcissimum genus, quorum lascivia ab Arnobio sic describitur:

« Ne symphoniacas agerent et fistulatorias artes, cantionibus ut præirent obscenis numerositer, et scabillorum concrepationibus sonoris; quibus animarum alia lasciviens multitudo incompositos corporum dissolveretur in motus; et ad ultimum clunibus et coxendicibus sublevatis, lumborum crispitudine sublevare. »

ARNOB. *adv. Gent.* II.

Gallice *des bateleurs, des baladins.*

MIMI. — Poemata, ab initio ridicula, postea fœdissimo sale tincta.

Sed si Panniculum, si spectas casta Latinum,
Non sunt hæc *mimis* improbiora : lege.

MART. III, LXXXVI, 3 sq.

Quid si scripsissem *mimos* obscena jocantes,
Qui semper vetiti crimen amoris habent?

OVID. *Trist.* II, 497 sq.

Hinc:

MIMICUS. — Sæpe pro obsceno.

« Vitandum est utrumque oratori, ne scurrilis jocus sit, aut *mimicus.* »

CIC *de Orat.*

MIMICE INCEDERE. — Lascive.

. . . . illa, quam videtis
Turpe *incedere mimice*, ac moleste
Ridentem catuli ore gallicani;
Circumsistite eam et reflagitate.

CATULL. XXXIX, 15 sqq.

MIMULA. — Saltatrix. Romæ quondam, ut nunc apud nos, *mimulæ* in deliciis procerum.

« Venisti Brundusium, in sinum quidem et complexum tuæ *mimulæ*. »

CIC. *in Anton.*

MIMNERMUS. — Poeta eroticus Smyrnæus. Claruit temporibus Solonis.

Plus in amore valet *Mimnermi* versus Homero.

PROPERT. I, IX, 11.

MINGERE. — In mulierem semen emittere; venerem perficere.

Egregium narras mira pietate parentem,
Qui ipse sui gnati *minxerit* in gremium.

CATULL. LXII, 29 sq.

MITRA.—Pileum incurvum. Proprie meretricum, ut patet ex multa lectione. Vide *Serv. ad Æneid.* IV, 21. Et etiam mollium et effœminatorum.

Et nunc ille Paris, cum semiviro comitatu,
Mæonia mentum *mitra* crinemque madentem
Subnixus, rapto potitur. . .

VIRGIL. *Æneid.* IV, 215 sqq.

MŒCHARI. — Adulterium committere. Dicebatur generaliter et de utroque sexu. Sic innupta maritato viro prostans, et cœlebs nuptam iniens, pariter *mœchantur.*

Sancta ducis summi prohibet censura, vetatque
Mœchari; gaude, Zoïle, non futuis.

MART. VI, XCI, 1 sq.

MŒCHISSARE. — Peculiariter de viro in mulierem; verbum Plautianum.

« In adulterio dum *mœchissat* Casinam, credo, perdidit. »

PLAUT. *Casin.* V, IV, 7.

MŒCHUS, MŒCHA. — Adulter, adultera.

Cur Otho mentito sit quæritis exsul honore?
Uxoris *mœchus* cœperat esse suæ.

Vet. poet. catalecta, edente Stephano Valeto.

Et Cosmianis ipse fusus ampullis,
Non erubescit murice aureo nobis
Dividere *mœchæ* pauperis capillare.

MART. III, LXXXII, 26 sqq.

MŒCHI SEMITARII. — Scortatores, agrorum semitis vilissimas rusticolas subigentes.

. . . . Hanc boni beatique
Omnes amatis, et quidem quod indignum est,
Omnes pusilli et *semitarii mœchi.*

CATULL. XXXV, 14 sqq.

MŒCHA LINGUA. — Fellatrix, quum varias admittat mentulas.

Quid narrat tua *mœcha?* non puellam
Dixi, Tongilion: quid ergo? *linguam.*

MART. III, LXXXIV, 1 sq.

MŒCHIMONIUM. — Adulterium.

« Mendicimonium et *mœchimonium*, Laberius in libro quem Cropium inscripsit; in eo verba hæc inveniet qui doctrinæ studium putaverit adhibendum. »

NON. MARC.

MOLERE. — In re obscena. *Molit,* qui subigit; *molitur* subactus aut subacta.

Hunc *molere,* illam autem ut frumentum vannere cunnis.

LUCIL. *Frag.* VII, II.

Deglubit, fellat, *molitur* per utramque cavernam,
Ne quid inexpertum frustra moritura relinquat.

AUSON. *Epigr.* LXX, 7 sq.

Nam simul ac venas inflavit tetra libido,
Huc juvenes æquum est descendere, non alienas
Permolere uxores.

HOR. *Sat.* I, II, 33 sq.

MOLITOR. — Fututor.

Semivir uxorem duxisti, Zoïle, mœcham.
O quantus fiet quæstus utrimque domi!
Quum dabit uxori *molitor* tuus, et tibi adulter,
Quantum deprensi damna pudoris emunt!

AUSON. *Epigr.* LXXXVIII, 1 sqq.

MOLLIS. — Pathicus, patiens in pædicatione.

« *Molles* sive *subactos*, Græci *malacos* vocarunt. Non enim hoc humanos ex natura venit in mores; sed, pulso pudore, libido etiam partes indebitas obscenis usibus subjugavit. »

CÆL. AURELIAN. *Chron.* IV, 9.

Vide *Lib.* III *Cod. ad legem Juliam.*

Sed quod et hircosis serum est, et turpe pilosis,
In *molli* rigidum *clune* libenter habes.

MART. IX, XLVII, 5 sq.

MOLLIS. — Pædico.

Festinat Polytimus ad puellas.
Invitus puerum fatetur Hypnus;
Pastas glande nates habet Secundus;
Mollis Dindymus est, sed esse non vult.

. . . .

Horum delicias, superbiamque,
Et fastus querulos, amice, malo,
Quam dotis mihi quinquies ducena.

MART. XII, LXXV, 1 sqq.

MOLLIS. — Effœminatus, libidinosus.

Femore facili, clune agili, et manu procaces,
Molles, veteres, Deliaci manu recisi.

PETRON. *Sat.*

Rhetoris hæc Rufi statua est. Nil verius ipsa.
Ipsa adeo linguam non habet, et cerebrum :
Et riget, et surda est, et non videt : omnia Rufi.
Unum dissimile est ; *mollior* ille fuit.

AUSON. *Epigr.* XLIV, 1 sqq.

Inde *mollium* cultus omnino muliebris.

« Misit ut... conspiciendis quærerent corporibus fucos, innecterent his colla; laminas pertunderent aurium, fuligine oculos obumbrarent; nec in formis erubescerent masculorum, calamistris vibrare cæsariem; cutem corporis levigare; incedere poplitibus nudis, *omnique alio cultu*, vigorem virilitatis et exponere, et *in habitum fœminarum deliciasque mollire.* »

ARNOB. *advers. Gent.* II.

MOLLIS. — Enervis, exsuccus, ad rem imbellis.

Deinde experta latus, madidoque simillima loro
Inguina, nec lassa stare coacta manu,
Deseris imbelles thalamos, *mollem*que maritum, etc.

MART. VII, LVIII, 3 sqq.

MOLLES LIBRI. — Salaces.

Facundos mihi de libidinosis
Legisti nimirum, Sabelle, versus :
Quales nec Didymi sciunt puellæ,
Nec *molles* Elephantidos *libelli.*

MART. XII, XLIII, 1 sqq.

Erant enim Romæ hujus generis libellis puellæ specialiter eruditæ; quæ vocabantur in comessationibus ad titillationem convivarum, locos lasciviores recitando.

Hic neque more probo videas, neque voce serena
Ingentes trepidare Titos, quum carmina lumbum
Intrant, et tremulo scalpuntur ubi intima versu.

PERS. I, 19 sqq.

MOLLIRE VENERI. — Sibi ad amorem adducere.

Docta vel Hippolytum *veneri mollire* negantem,
Concordique toro pessima semper avis....

PROPERT. IV, V, 5 sq.

[redacted]

Mollire puerum. — Castrare.

. . . . . . haud ulli *puerum mollire* potestas
Credita : sed tacita juvenis Phœbeius arte
Leniter haud ullo concussum vulnere corpus
De sexu transire jubet.

Stat. *Sylv.* III, 68 sqq.

Mollitiis fluere. — Id est, quibuscumque fœdis et impudicis madere.

« Sardanapalum eorum regem, *mollitiis fluentem*, etc. »

Vell. Patercul. *Hist.* I.

Mollescere. — Obscenus, impudicus fieri.

« Salmacis Caria, ex quo qui bibit, *mollescit.* »

Vibius Sequester *de Fontibus.*

Molliculus. — Diminutive. Lascivus, libidinosus.

Qui me ex versiculis meis putastis,
Quod sint *molliculi*, parum pudicum.
Nam castum esse decet pium poetam
Ipsum, versiculos nihil necesse est.

Catull. XVI, 3 sqq.

Monedula. — Blandimentum amatorium.

« Dic igitur me anaticulam, columbam, vel catellum, Hirundinem, *monedulam*, passerculum, putillum. »

Plaut. *Casin.* III, iii, 103 sq.

Monedulæ enim noctu rem faciunt.

Monstrum. — Pro pene ingenti.

Monstrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum,
Eripit a femore, et trepidanti fervidus instat.

Auson. *Cent. imminutio,* 8 sq.

Morbi venerei. — Plane obscura Romanorum nosologia venerea; quum satyricis tantum et subsannatoribus sit annotata, medicis vero fere tacentibus.

Vide verb. Ficus, Marisca.

Celso tamen annotantur: *Inflammatio colis.—Ulcus colis.—Tubercula circa glandem.—Canceri carbunculi—Ani rhagadia, condylomata.—Fungi.—Ramices in inguine.—Ramex coleorum*, quum testiculorum venæ intumescunt intortæ et conglomeratæ ad superiorem partem.—*Pudendorum atrophia*, etc. (*Cels. de obscenarum partium vitiis, lib.* XVIII.)

MORBUS.—De postera venere.

..... bimarem nisi quod patientia *morbum*
Appetit, et tergo fœmina, pube vir es.

AUSON. *Epigr.* CXXII, 5 sq.

Hinc:

.... Hunc ego fatis
Imputo, qui vultu *morbum* incessuque fatetur.

JUV. II, 16 sq.

Hippo subit juvenes, et *morbo* pallet utroque.

ID. *ibid.* 50.

Vos humili adseclæ, vos indulgebitis unquam
Cultori, jam nec *morbo* donare parati?

ID. IX, 48 sq.

MORBOSUS.—Cinædus, pathicus. A faciei lurido colore libidinosis peculiari.

Pulchre convenit improbis cinædis
Mamurræ, pathicoque Cæsarique.
Nec mirum: maculæ pares utrisque;
Urbana altera, et illa Formiana
Impressæ resident, nec eluentur,
Morbosi pariter, gemelli utrique, etc.

CATULL. LII, 1 sqq.

MORBUS INDECENS.—Mulierum vulvæ fluores, stillationes morbosæ.

Nam, dum tumenti mersus hæret in vulva,
Et vagientes intus audit infantes,
Partem gulosam solvit *indecens morbus*.

MART. XI, LXII, 11 sqq.

Morem gerere. — In obscenis, *sibi morem gerit* qui libidini suæ obtemperat.

« Pater tuus intus suo animo *morem gerit;* Cubat complexus, cujus cupiens maxume est. »

PLAUT. *Amph. Prolog.* 131 sq.

Morem etiam *gerere* dicebantur, qui aliorum amoribus inserviebant; proprium lenonum et conciliatorum : et qui sese dabant; proprium meretricum et catamitorum.

« *Morem gerere* proprie est lenonis et meretricis. »

DONATUS, *ad Terent. Adelph.* II, II.

Hinc:

Morigerus, Morigera. — Ad rem obsequiose parati.

« Quid intus agitur ? quid agit Casina? satin' *morigera* est ? »

PLAUT. *Casin.* V, II, 19 sq.

« Omnium primum, Philematium, intro abi, et tu Delphium.—*Morigeræ* tibi erimus ambo. »

PLAUT. *Mostell.* II, 1, 50 sq.

Morsiunculæ. — In veneris deliciis.

« Teneris labellis molles *morsiunculæ.* »

PLAUT. *Pseudol.* I, I, 65.

Olli purpurea delibantes oscula,
Clemente morsu rosea labella vellicent.

APUL. Ἀνεχόμ. 6 sq.

. . . . sive puer furens
Impressit memorem *dente* labris notam.

HOR. *Od.* I, XIII, 11 sqq.

Mortuus. — Eviratus, exsectus, cui mortua venus.

Hic mihi de multis unus, Lucane, videtur
Cui merito dici, *mortue* Galle, potest.

MART. VIII, LXXV, 15 sq.

Motus. — In re venerea.

« Ille lento parebat imperio, puellæque artificium pari *motu* remunerabat. »

PETRON. *Sat.*

Et mihi contingat veneris languescere *motu*.

OVID. *Am.* II, x, 35.

Et :

MOVERI, MOVERE, MOTARE.

Inque vices equitant, et luna teste *moventur*.

JUV. VI, 310.

Accessi quoties ad opus, mistisque *movemur*
Inguinibus, etc.

MART. VII, XVIII, 5 sq.

Deliciæ populi, magno notissima circo,
Quinctia, vibratas docta *movere* nates.

Priap. Carm. XXVI, 1 sq.

Ecquando Theletusa circulatrix,
Quæ clunem tunica tegente nulla
Extis aptius altiusque *motat*,
Crissabit tibi fluctuante lumbo,
Sic ut non modo, Priape, posset
Privignum quoque sed *movere* Phædræ ?

Priap. Carm. XVIII, 1 sqq.

MULIER. — Fœmina viripotens, (*ff. de rerum significat.*, *lib.* XIII), communi appellatione fœminarum, ratione sexus, sed a pubertate tantum.

MULIER. — Pro meretrice. Ut Galli dicunt, *une fille*. Aut fœmina jam devirginata.

« Vir ego tuus sim ? ne me appella falso falso nomine.—Hæret hæc res, hæc jam mulier facta est ex viro. »

PLAUT. *Amph.* II, II, 181 sq.

MULIERCULÆ. — Meretriculæ.

« Non suas secum *mulierculas* in castra ducturi. »

CIC. *in Cat.*

Muliebris patientia. — De fœmina virum accipiente.

« Obstupui ego, et nec Gitona, verecundissimum puerum, sufficere huic petulantiæ adfirmavi; nec puellam hujus ætatis esse, ut *muliebris patientiæ* legem posset accipere. »

Petron. *Sat.*

Muliebris patientia. — De pathicis et catamitis.

« Quid dicis, inquam, *muliebris patientiæ* scortum, cujus ne spiritus purus est?

Petron. *Sat.*

. . . . bimarem nisi quod *patientia* morbum
Appetit, et *tergo fœmina*, pube vir es.

Auson. *Epigr.* CXXII, 5 sq.

Muliebre decus. — Virginitas.

Muliebria pati. — Pædicari. (*Quint.*)

Muliebria. — Mulierum menstrua.

« Erant autem ambo senes et provectæ ætatis, et desierant Saræ fieri *muliebria.* »

Lib. Genes. Cap. XVIII, v. 11.

Muliebrosus. — Mollis, effœminatus.

« Sane genus hoc *muliebrosum* est, tunicis demissitiis. »

Plaut. *Pœnul.* V, v, 24.

Mulierare.

« Et rex et misellus ille pauper amat, habetque ignem intus acrem, hic ephebum *mulieravit.* »

Varr. Γνῶθι σεαυτόν.

Mulierarius. — Mulierum amator; opposite pædiconibus.

« *Mulierarius* fuit inter primos amatores, aversæ veneris semper ignarus. »

Jul. Capitolin. *in Alb. imp.*

Mulieritas. — Mulierum pubertas.

« . . . . totam circumferunt *mulieritatem.* »

Tertull. *de Virgin. veland.* XII.

Mulierositas. — In fœminas uredo.

« Similiterque cæteri morbi, ut gloriæ cupiditas, ut *mulierositas*, ut ita appellem eam quæ græce φιλογυνεία dicitur. »

Cic. *Tuscul. lib.* IV.

Mulierosus. — Mulierum sectator. (*Cic.*)

Mulsa mea. — Blandimentum flagitiosum, a *mulgere.*

« Dicam enim, *mea mulsa*, de istac Casina huic nostro villico Gratiam facias. »

Plaut. *Cas.* II, vi, 20 sq.

Multus. — Alienis libidinibus cujuscumque generis paratus.

Multus homo es, Naso, neque tecum *multus* homo, sed
Descendis, Naso, *multus* es et pathicus.

Catull. CVII, 1 sq.

Munditiæ. — Quæ ad corporis curam spectant.

Cui flavam religas comam
Simplex *munditiis?*...

Hor. *Od.* I, v, 4 sq.

Hinc :

Munditians deus. — Pro Amore, quia *munditiæ* præest.

« Qui postquam amo Casinam, magis initio munditiis *munditianti deo.* »

Plaut. *Cas.* II, iii, 9.

Mundulus. — Qui extra modum suî munditiæ studet.

« Nunc ego istos *mundulos* urbanos amasios Hoc ictu exponam, atque omnes ejiciam foras. »

Plaut. *Trucul.* III, 1, 13 sq.

Mundus-a-um. — Ornatus. Gallice *paré*.

« Neque *mundu* adæque es, ut soles; hoc sis vide : ut petivit Suspirium alte! et pallida es. »

Plaut. *Cistell.* I, 1, 57 sq.

Mundus muliebris. — Quo mulier fit mundior. In eo, specula, matulæ, unguenta, vasa argentea, argenteum balneare, similiaque continentur, quæcumque ad culturam corporis pertinent; exceptis *ornamentis*, utpote vestes, monilia, annuli, reticula, mitræ, margaritæ, etc. (*Ulp. lib.* XXV *de auro et argento, mundo et ornamentis legatis.*)

Legavit quidam uxori *mundum* omne penumque.

Lucil. *Frag.* XVI, 4.

Vide *Gell.* IV, 1; *Non. Marc.*; *Varr. Ling. lat.* IV, 28.

Mundus nuptialis. — Novæ nuptæ vestes et ornamenta ex ritu.

« Tunc me gremio suo tollens, *mundo nuptiali* decenter ornabat. »

Apul. *Met.* IV.

Munturna. — Dea nuptiis invocata ut concordia domi semper maneat. (*Rom. triumph. p.* 14.)

Munus-eris, Munia-orum. — Pro officio veneris.

Lusimus satis, at boni
Conjuges bene vivite, et
Munere adsiduo valentem
Exercete juventam.

Catull. LVI, 229 sqq.

. . . . nondum *munia* comparis
Æquare, nec tauri ruentis
In venerem tolerare pondus.

Hor. *Od.* II, v, 2 sqq.

MURTIA. — Cognomen Veneris, a *murto* Amorum matri dedicata. Sacellum ejus, Romæ, in monte Aventino.

« Si quis a fuga retrahere, vel occultam demonstrare potuerit fugitivam nomine Psychen, conveniat retro *metas murtias*, Mercurium prædicatorem; accepturus, indicii nomine, ab *ipsa Venere* septem savia suavia. »

APUL. *Met.* VI.

Vide *Plin.* XV, 19, et verb. MYRTUS.

MURTON, MURTUM. — Clitoris.

« Quæ interjacet (rimam) subsultans caruncula, nympha nuncupatur aut *murton*, sive epideris aut clitoris. »

CÆL. RHOD. *lib.* IV, *cap.* 7.

MUSÆUS. — Poeta eroticus, laude lyræ prope par Orpheo. Scripserat mollissimos libros, qui sine pruritu legi non poterant.

Musæi pathicissimos libellos,
Qui certant sybariticis libellis,
Et tinctas sale pruriente chartas
Instanti, lege, Rufe. . . .

MART. XII, XCV, 1 sqq.

MUTINUS. — Cognomen Priapi, sub hoc nomine peculiariter invocati a copulantibus, ut simul apte moveantur, unaque rem perficiant concussibus ordinatis.

« Et *Mutinus*, in cujus sinu pudendo nubentes præsident, ut illarum pudicitiam prior deus delibasse videatur. »

LACTANT. *de Falsa Relig.* I, 20.

« Etiamne *Mutinus*, cujus immanitatem pudendis horrentique fascino, vestras inequitare matronas et auspicabile dictis et optatis? »

ARNOB. *Adv. Gent.* II.

MUTINUM. — Mentula.

Pomarii tutela diligens, rubro,
Priape, furibus minare *mutino*.

Priap. Carm. LXXIII, 1 sq.

Mutinum etiam, teste Varrone, effigies erat pudendorum pro amuleto pueris e collo suspensa.

Numquid *mutino* subjectoque est opu' signo, etc.
LUCIL. *Frag. apud Non. Marc.*

MUTO-ONIS. — Mentula. Vide *Porphyr. in Hor. Sat.* I, II,

A læva lacrymas *mutoni* absterget amica.
LUCIL. *Frag.* VIII, 12.

Huic, si *mutonis* verbis, mala tanta videnti
Diceret hæc animus : quid vis tibi? numquid ego a te
Magno prognatum deposco consule cunnum?..
HOR. *Sat.* I, II, 68 sqq.

Apud quosdam, pro ipso Priapo.

MUTONIATUS. — Valde mentulatus.

Dormis cum pueris *mutoniatis*,
Et non stat tibi, Phœbe, quod stat illis.
MART. III, LXXIII, 1 sq.

Spectas nos, Philomuse, quum lavamur,
Et quare mihi tam *mutoniati*
Sint leves pueri, subinde quæris.
MART. XI, LXIV, 1 sqq.

Qui quum te male foderint jacentem,
Ad partem veniet salax asellus,
Nihilo deterius *mutoniatus*.
Priap. Carm LII, 8 sqq.

MUTUNNUS. — Priapus. Vid. *Tertull. ad Nationes,* II, 11.

MUTUUM FACERE. — In obscenis.

« Edepol *mutuum* mecum *facit.* »
PLAUT. *Trinumm.* II, IV, 37.

MYONIA.

« Auctor Ælianus est mulierem libidinis portentosæ ab Epicrate dictam esse *Myoniam*, de notissima salacitate murium, qui dicuntur μῦες. »
CÆL. RHOD. XIV, 18.

MYRRHA. — Cyniræ filia, patrem ardens nocturnis horis inebriavit, eique vino captato se subjecit; et gravida facta est. Prodito incesto, iratumque patrem fugiens, in arborem a Venere versa est. Sed quum infantem sub cortice retineret, percussa patris gladio, parvulum edidit, quem educatum Nymphæ *Adonim* appellarunt. Vide *Serv. in AEneid.* V, n° 9, et *Dioscoridem*, *Plinium*, *Ruellium*, etc.

> *Myrrha* fugit, tenebrisque et cæcæ munere noctis
> Intercepta neci est.
>
> OVID. *Met.* X, 476 sq.

MYRTUS. — Veneri dedicata.

> . . . . Veneri gratissima *myrtus*.
>
> VIRG.

Adhibita *myrtus* in nuptiis; inde *conjugalis* dicitur a Plinio, II, 9. Vita functi amantes in silva *myrtea* errare dicebantur.

> Hic quos durus amor crudeli tabe perodit
> Secreti celant calles, et *myrtea* circum
> *Silva* tegit.
>
> VIRGIL. *AEneid.* VI, 422 sqq.

Myrto quoque veteres in conviviis caput sibi coronabant et floribus variis. Quod notissimum ex poetis, tum Græcis, tum Latinis, præsertim ex Horatio.

NANI

NÆVIUS. — Poeta eroticus de quo *Gell.* I, 24, et *Arnob. adv. Gent.* I, 28.

NANI, NANÆ. — Pueri et puellæ forma minutula, in fœdissimis libidinibus Romanorum.

« Lautiorum mensis pererrabant *nani* et *nanæ* cum scurris, morionibus et cinædis. »

LAMPRID. *in Sever.*

NARES TUMIDÆ. — Inter signa pubertatis.

Et tibi jam *tumidæ nares*, jam fortia colla.

NEMES. *Eclog.* II.

NASATUS. — Fortiter mentulatus. (*Lamprid. in Heliogab.*) Unde proverbium:

Noscitur ex labris quantum sit virginis antrum;
Noscitur ex *naso* quanta sit hasta viro.

NATALIS. — Cognomen Junonis, quum ejus sub tutela sit partus.

Natalis Juno, sanctos cape thuris acervos,
Quos tibi dat tenera docta puella manu!

TIBULL. IV, VI, 1 sq.

NATALIS DIES. — Patrisfamilias festum natale; a filiis et mancipiis annua commemoratio, ex se privata, sed gravi ritu celebrata, ex antiquissima consuetudine, ut patet *Lib. Genes. Cap.* XL.

Celebrabatur et imperatorum. Vide *Suet. in Aug.* 57, et in *Caligul.* 65; et amicorum, quibus amici munera mittebant (*Martial. epigr.* VIII, LXIV); necnon puellarum et meretricum ab amasiis.

Natales mihi martiæ kalendæ,
Lux formosior omnibus kalendis,
Qua mittunt mihi munus et *puellæ*.

MART. X, XXIV, 1 sqq.

Quid? quasi *natali* quum poscit munera libo,
Et, quoties opus est, nascitur illa sibi?

OVID. *Art. Amat.* I, 431 sq.

« *Diei natalis* in sacrificio licebat voluptatibus operam dare; nam in aliis sacrificiis erat castitatis observatio, etc. »

SERV. *in Virgil. Eclog.* III.

Phyllida mitte mihi, *meus* est *natalis*, Iola;
Quum faciam vitula pro frugibus, ipse venito.

VIRGIL. *Eclog.* III, 74 sq.

NATIS JACTURA.

. . . . nec licet jacenti
Jactura natis expiare culpam.

Priap. Carm. LXXVIII, 10 sq.

NATES GLANDE PASTAE. — Pingues, sed luridæ et obesæ, ut est cutis porcorum.

Pastas glande nates habet Secundus.

MART. XII, LXXV, 3.

NATES PERVELLERE. — Fœdissimum. De puero *nates* emundante ad patiendum stuprum.

« At tibi nos dedimus, dabimusque etiam. — Hei! *nates pervellit*, Licet : diu sæpe sunt expunctæ. »

PLAUT. *Pers.* V, II, 66 sq.

NATES PRÆBERE. — Id est pædicatori.

Fœmina si furtum faciat mihi, virque, puerque:
Hæc cunnum, caput hic, *præbeat* ille *nates*.

Priap. Carm. XXI, 1 sq.

NATIO. — Eadem dea quæ *Natalis* (vide supra), apud Ciceronem de *Natura deorum* III. A *nativitate*.

NATRIX. — Anguis natans. (*Non. Marc.*) Sæpe pro mentula.

Natricem impressit natibus crassam et capitatam.

LUCIL. *apud Non.*

Natta. — Commune nomen eorum qui viles et sordidas artes exercebant. Contumeliose de dissoluto et libidinoso, ob fœdissimam vitam plebiculæ istius artificum.

> . . . . ego te intus et in cute novi;
> Non pudet ad morem discincti vivere *nattæ*.
>
> Pers. III, 30 sq.

Natura. — Pars obscena utriusque sexus, ut apud Græcos φύσις.

« Parere quædam matrona cupiens, dubitans essetne prægnans, visa est in quiete obsignatam habere *naturam*. . . . . . negavit eam, quoniam obsignata fuisset, concipere potuisse. »

Cic. *de Divinat.*

« Cujus (Mercurii) excitata *natura* traditur, quod adspectu Proserpinæ commotus sit. »

Cic. *de Nat. deor.* III, 22.

> Simpliciter tibi me, quodcumque est, dicere oportet:
> *Natura* est quoniam semper aperta mihi.
>
> *Priap. Carm.* XXXVIII, 1 sq.

Vide *lib.* XVII, *Cod. de Prætoribus; Varr. de Re rustica* II; *Turneb. Advers.* XVI, 3.

Navis. — Pudendum muliebre. Notissimum dictum Juliæ, Augusti filiæ, a Macrobio sic relatum : flagitiorum ejus conscii quum mirarentur, quomodo similes Agrippæ marito filios procrearet, quæ tam sæpe et vulgo corporis sui potestatem faceret; *at enim*, ait illa, *nunquam nisi navi plena tollo vectorem.*

« Ibo intro ut subducam *navim* rursum in pulvinarium. »

Plaut. *Cas.* III, II, 27.

« Prandi in navi; inde huc egressus sum; te conveni. — Eccere, Perii misera! quam tu nunc mihi *navem* narras?

Plaut. *Menæchm.* II, III, 50 sq.

« Non ignoramus vocabulum *navis* adhiberi interdum ad significandas corporis cavas illas partes, quas qui dividit, *naufragium* facere solet. »

SCIP. *Paregr. lib.* I, *cap.* XXVIII.

NEPOS VENERIS. — Pro formoso et venusto.

« Omnes profecto mulieres te amant, ut quæque adspexit.— Nescio tun' ex me hoc audieris, an non : *nepos* sum *Veneris.* »

PLAUT. *Mil.* IV, VI, 49 sq.

« Si te salvum hinc mittimus *Venereum nepotulum.* »

PLAUT. *Mil.* V, V, 20.

Eodem sensu :

« Quin etiam ipse *parentem tuam* (Venerem) accedis et salutas. »

APUL. *Met.* I.

NEPOS. — Luxuriosus, libidinosus, qui rem suam cum meretricibus dissipat.

. . . . at pater ardens
Sævit, quod meretrice *nepos* insanus amica
Filius, uxorem grandi cum dote recuset
Ebrius. . . . .

HOR. *Sat.* I, IV, 48 sq.

Hinc et eodem omnino sensu, *nepotari* et *nepotatus* apud Nonium; *nepotini sumtus* apud Suetonium, in *Caligul.* 37; et *nepotalis luxus* apud Apuleium, *Metamorph.* II.

NEQUAM. — Pro lascivo.

At mea luxuria pagina nulla vacat.
Hæc igitur *nequam* juvenes, facilesque puellæ,
Hæc senior, sed quem torquet amica, legat.

MART. III, LXIX, 4 sqq.

NEQUITIA. — Libido.

[redacted]

Lascivam tota possedi nocte puellam,
Cujus *nequitias* vincere nemo potest.
MART. IX, LXVII, 1 sq.

Numquid pollicita est tibi beatam
Noctem Nævia, sobriasque mavis
Certæ *nequitias* fututionis?
MART. I, CVII, 4 sqq.

« Dum dicit : patrem excitabo, irrepsi tamen, et male repugnanti gaudium extorsi. At ille, non indelectatus *nequitia* mea, postquam diu questus est deceptum se et derisum, etc. »
PETRON. *Sat.*

NERVUS. — Pro pene.

« Si vis sanus esse, Gitonem roga; recipies, inquam, *nervos* tuos, si triduo sine fratre dormieris. »
PETRON. *Sat.*

Tam bene si *nervum* dius tendebat Ulysses,
Tendere consimilem *nervum* indignetur Ulyssis
Penelope, *nervum* cui more intendit Ulyssis
Turba procûm? medium si *nervo* attendit Ulyssis,
Consimili spernat mediam se attendere *nervo*.
PETRON. *Phaleuc.* V.

Quid, quod libelli stoici inter sericos
Jacere pulvillos amant?
Illiterati num minus *nervi* rigent,
Minusve languet fascinum?
HOR. *Epod.* VIII, 15 sqq.

Vide *Juv.* X, 205. Hinc :

NERVOSUS. — Potens ad venerem.

Sive quod impia mens cæco flagrabat amore,
Seu quod iners sterili semine natus erat;
Ne quærendum aliunde foret *nervosius* illud,
Quod posset zonam solvere virgineam.
CATULL. LXII, 25 sqq.

NICO. — Puella Samia, a Xenophonte adnotata tanquam scriptor libri spurcissimi. Vid. *Athen.* V.

NIMBUS. — Fascia ad frontem minuendam; nam frons parva inter formæ decora habebatur.

« Laminas pertunderent aurium, imminuerent frontem *nimbis.* »

ARNOB. *adv. Gent.* II.

Eviluit *nimbus* ubi ab ancillis et humillimis scortis usurpatus fuit; inde :

NIMBATA. — Pro muliere abjecta et pro nihilo habenda.

« Quam magis adspecto, tam magis est *nimbata* et nugæ meræ. »

PLAUT. *Pœnul.* I, II, 135.

NODUM RELIGARE. — Gallice *nouer l'aiguillette.* Alicui virilitatem maleficio funerare. Firmiter credebant enim veteres virum arte magica fascinari posse.

« Vis homicidium ferro, veneno, *magicis devinctionibus* perfici. »

TERTULL. *de Spectaculis.*

Nec mihi sunt sortes, nec conscia fibra deorum,
Præcinit eventus nec mihi cantus avis.
Ipsa Venus *magico religatum* brachia *nodo*
Perdocuit multis non sine verberibus.

TIBULL. I, VIII, 3 sqq.

Vide *Salmas. in Tibull.*

NOMINA. — Fatum esse in *nominibus* existimabant Romani; unde male ominata liberis imponere verebantur.

« Item in lustranda colonia, ab eo qui eam duceret; quum imperator exercitum, censor populum lustraret, bonis *nominibus* qui hostias ducerent eligebantur. Quod idem in delectu consules observant, ut primus miles fiat bono *nomine.* »

CIC. *de Divinat.* I.

« Cur publicis lustris *nomina* victimas ducentium prospera legimus ? »

PLIN. XXI, 3.

Sic et in restitutione Capitolii sub Vespasiano, inter cæteras cæremonias :

« Ingressi milites, quibus fausta *nomina*, felicibus ramis, etc. »

TACIT. *Hist.* IV, VIII.

Vide *Spartian. in Septim. Get.*

Alter parentum *nomen* nascenti imponebat; id est puero mater, pater vero puellæ.

Sed tu *nomen* habes aversa fronte sororum
Impositum, mater quod tibi dura dedit.

MART. IV, XXXI, 5 sq.

NONARIA. — Scortum, meretrix, communi appellatione ab hora nona, qua tantum lupanaria patebant, scortaque incipiebant vagari.

. . . . multum gaudere paratus
Si cynico barbam petulans *nonaria* vellat.

PERS. I, 132 sq.

NOSCERE, COGNOSCÈRE, NOTITIAM HABERE. — Verbum nuptum de re venerea.

« Intra annum vicesimum *fœminæ notitiam habuisse* in turpissimis habent. »

CÆSAR, *de Bello Gallico* VI, *de Germanis.*

« Non potes tu cogere me, ut tibi Maledicam, *novit* herus me. »

PLAUT. *Mostell.* IV, II, 12 sq.

Turpiter illa virum *cognovit* adultera virgo.

OVID. *Epist.* VI, 133.

Non ego tam facilis; sat erit mihi *cognitus* unus.

PROPERT. II, XXX, 33.

Vide *Taubman. in Plaut.* Frequentissima hæc locutio in sacris literis.

NOTA VIRILIS. — Illud quo viri sumus.

Tu quæ, ne videas *notam virilem*,
Hinc averteris, ut decet pudicam;
Nimirum, nisi quod times videre,
Intra viscera habere concupiscis.

Priap. Carm. LXVI, 1 *sqq.*

NOTÆ. — Muta locutio signis et gestibus inter amasios; antiquissima erga matres et maritos deceptio, paucis illis sequentibus verbis penitus illustrata:

« Quasi in choro pila ludens datatim dat sese, et communem facit. Alium tenet; alio nutat; alibi manus est occupata; alii pervellit pedem; alii dat annulum spectandum a labris; alium invocat; cum alio cantat; attamen aliis dat digito *notas.* »

Vet. Poet.

Me specta, nutusque meos, vultumque loquacem,
Excipe furtivas et refer ipse *notas.*
Verba superciliis sine voce loquentia dicam.
Verba leges digitis, verba notata mero.
Quum tibi succurret veneris lascivia nostræ,
Purpureas tenero pollice tange genas.
Si quid erit, de me tacita quod mente loqueris,
Pendeat extrema mollis ab aure manus.
Quum tibi quæ faciam, mea lux, dicamve, placebunt,
Versetur digitis annulus usque tuis.
Tange manu mensam, tangunt quo more precantes
Optabis merito quum mala multa viro.

OVID. *Am.* I, IV, 17 *sqq.*

Illa docet furtim molli decedere lecto;
Illa pedem nullo ponere posse sono.
Illa viro coram nutus conferre loquaces,
Blandaque compositis abdere verba *notis.*

TIBULL. I, II, 19 sqq.

Nothus, Notus. — Spurius, ex ignobili matre natus; (*Serv. Æneid.* VII, 24) aut ex peregrino. (*Varr. Ling. lat.* IX.)

Sic Virgilius de equis:

> Illorum de gente, patri quos Dædala Circe
> Supposita de matre *nothos* furata creavit.
>
> Virgil. *Æneid.* VII, 282 sq.

Nox. — Pro concubitu.

« Ego autem nactus occasionem vindictæ, Eumolpum excludo; redditaque scordalo vice, sine æmulo scilicet, et cella utor et *nocte.* »

Petron. *Sat.*

> Sæpe nega *noctem*, capitis modo finge dolorem.
>
> Ovid. *Am.* I, viii, 73.

Noctiluca. — Scortum noctu vagans; cognomen Veneris apud Lævium poetam. Vide Festum.

« Venerem igitur almam adorans, sive fœmina sive mas est, ita uti alma *noctiluca* est. »

Læv. *Fragment.*

> *Noctiluca* medica.
>
> Lucil. *Frag.* III, 22.

Noctuvigila. — Eodem sensu.

« Tuam fidem Venus *noctuvigila* ! »

Plaut. *Curcul.* I, iii, 40.

Nocturna bella. — Coitus.

> Quo ferrum? quidve hæc geritis tela irrita dextris?
> At non in venerem segnes *nocturnaque bella*, etc.
>
> Virgil. *Æneid.* XI, 735 sqq.

Nox vidua. — Casta.

« Narra mihi, inquam, frater, si tua fides, ea nocte qua te mihi Ascyltos subduxit, usque in injuriam vigilavit? an contentus fuit *vidua* pudicaque *nocte*? »

Petron. *Sat.*

Cur ego te *viduas* exegi frigida *noctes*.

OVID. *Epist.* XIX, 69.

Nam te non *viduas* jacere *noctes*
Nequicquam tacitum cubile clamat.

CATULL. VI, 6 sq.

NUBERE. — Fœminarum est in matrimonio ; virorum vero *ducere*. *Nubere* est proprie se velo obumbrare.

Veteres tamen, non solum mulieres *nubere* dicebant, sed etiam viros, quod notandum ad intelligentiam primæ et rudis latinitatis. Sic *Pomponius*, apud *Nonium Marcellum* :

« Sed meus frater, postquam vidit me inde injectum domo, *nupsit* posterius dotatæ vetulæ, varicosæ, vafræ. »

POMPON. *Panuceatis*.

NUBERE. — Etiam de coitu illegitimo.

« At satius fuerat eam viro dare *nuptum* potius. — Heia! Hæc quidem ecastor quotidie viro *nubit*, *nupsit*que hodie, *Nubet* mox noctu : nunquam ego hanc viduam cubare sivi. »

PLAUT. *Cistell.* I, 1, 44 sqq.

Qui loquitur Curios, assertoresque Camillos,
Nolito fronti credere ; *nupsit* heri.

MART. I, XXV, 3 sq.

Jam sex aut septem *nupsisti*, Galla, cinædis,
Dum coma te nimium pexaque barba juvat.

MART. VII, LVIII, 1 sq.

NUCES. — Inter puerorum crepundia ; ideoque sæpissime ad puerilem patientiam translatæ. Meritorii enim pueri, quibus licenter utebantur antiqui, a turpi servitio recedentes *nuces* spargebant, id est ludos pueritiæ. Vide *Serv.* in *Virgil. Eclog.* VIII.

Mopse, novas incide faces; tibi ducitur uxor;
Sparge, marite, *nuces*; tibi deserit Hesperus Œtam.

VIRGIL. *Eclog.* VIII, 29 sq.

Et maritus ipse *nuces* spargendas dabat, ut ostenderet se velle in futurum pueris abstinere, meritoriosque suos turpi officio hic et nunc dimittendo.

Da *nuces* pueris iners,
Concubine; satis diu
Lusisti *nucibus*; lubet
Jam servire Thalassio;
Concubine, *nuces* da.

CATULL. LVI, 131 sqq.

Hinc *legere nuces* in obscenis, ut docet Lipsius *Antiq. lect.* 3.

Nuptiis versabant *nuces* pueri et puellæ cum magno strepitu, ne vox puellæ virginitatem deponentis posset audiri. Unde Plinius *nuces* vocat, *nuptiarum comites*. Vide *Serv.* loco supra citato, et *Plin.* XV, 22.

Nucis cortex inter fucos, quo scilicet cani crines flavescerent.

Heu! sero revocatur amor, seroque juventa,
Quum vetus infecit cana senecta caput.
Tum studium formæ, coma tum mutatur, ut annos
Dissimulet viridi *cortice* tincta *nucis*.

TIBULL. I, VIII, 41 sqq.

NUDITAS. — In deliciis Romanorum.

« Nam amator meretricis mores sibi emit auro et purpura;
Quid opus est, quod suum esse nolit, ei ultro ostentarier?
Pulchra mulier *nuda* erit quam purpurata pulchrior. »

PLAUT. *Mostell.* I, III, 128 sqq.

« Quin tute exornas moribus lepidis, quum lepida tota es?
Non vestem amatores mulieris amant, sed *vestis fartum*? »

PLAUT. *ibid.* vers. 12 sq.

Nudulas tibi porrigit papillas,
Nudulos tibi porrigit lacertos,
*Nudulum*que femur, genu *nudulum*
Et pectuscula *nudula*, et retecta
Ostentat tibi, *nudulas*que plantas.
Quid tum? *nudula tota*, tota inermis.

PETRON. *Phaleuc.* 40 sqq.

Non juvat in cæco venerem corrumpere motu.
Si nescis, oculi sunt in amore duces.
Ipse Paris *nuda* fertur periisse Lacæna,
Quum Menelaæo surgeret e thalamo.
Nudus et Endymion Phœbi cepisse sororem
Dicitur, et *nudæ* concubuisse deæ.
Quod si pertendens animo vestita cubaris,
Scissa veste, meas experiere manus.

PROPERT. II, XVI, 11 sqq.

Nudas inspiciebant puellas lenones, mangones et conciliatores, ut pro certo haberent an essent bona merx, laudabileque conjugium.

« Et conditiones quæsitas per amicos, qui, matresfamilias et ætate adulta virgines *denudarent*, atque *perspicerent*, tanquam Thoranio vendente. »

SUET. *in Aug.* 69.

Vide COMESSATIONES.

NUGÆ. — Libidines venereæ. Gallice *la bagatelle*.

. . . . major tamen illa voluptas
Alterius sexus: magis ille extenditur, et mox
Auribus atque oculis concepta urina movetur.
Non capit has *nugas* humilis domus.

JUV. XI, 166 sqq.

Hinc *nugo* pro mœcho et dissoluto apud *Apul. in Metam*.

NUGÆ. — Convicia comica; verborum lusus libidinosi in theatro, ut in Atellanis.

« Quid dicit tibi! — *Nugas theatri*, verba quæ in comœdiis Solent lenoni dici, quæ pueri sciunt. »

PLAUT. *Pseudol.* IV, VI, 18 sqq.

Vide *Donat. ad Terent. Eunuch.*

NUPTIÆ. — *Nuptiarum* solemnia fuse lepidissimeque describit Catullus molli in suo hymenæo cantu LVI.

1° Ex instituto Romuli rapi simulabatur virgo ex gremio matris, in memoriam raptus Sabinarum. Inde lege cautum ne nisi de nocte fierent. Vide *Fest. Pomp.* et *Varr. in AElis.* Facibus præcedebatur nova sponsa e foco ejus incensis et aqua adspersis, boni ominis causa.

« Virgini in hortos deductæ, ante diem tertium quam ibi *nuptiæ* fierent, quum in separata diæta esset die *nuptiarum*, priusquam ad eum transiret, et *priusquam aqua et igni acciperetur*, id est *nuptiæ* celebrarentur, obtulit decem aureos dono. »

L. SERV. SEMPRON., § *virgini de donat. inter vir. et ux.*

Quos facient justos *ignis et unda* viros.

OVID. *Art. Amat.*, II, 598.

2° Ominosum putabant antiqui, ingrediendo, vel egrediendo limen tangere, quod præcipue in novis *nuptiis* religioni habebant.

« *Sensim super attolle limen pedes*, nova nupta! sospes Iter incipe hoc, ut viro tuo semper sis superstes, atque Ut potior pollentia sit, vincasque virum, victrixque sies, Superetque tuum imperium! vir te vestiat, tu virum despolies. »

PLAUT. *Casin.* IV, IV, 1 sqq.

. . . . limen transire memento
Cautius, atque alte sobria ferre pedem.

OVID. *Am.* I, XII, 5 *sq.*

Limen enim Vestæ sacratum erat; unde cavebant, ait Varro in Æliis, ne a sacrilegio inchoarent novæ nuptæ, si virginitatem depositura calcassent rem *Vestæ*, id est numini castissimo, consecratam.

3° Postes mariti unguine lupino ungebantur; a Romulo ipso institutum, quod lupæ lacte nutritus fuit. Vide *Serv. in Æneid.* IV, n° 46.

« Egregia numinis et singularis interpretatio potestatum, nisi postes virorum adipali unguine oblinerentur a sponsis, nisi virginalia vincula jam ferventes dissolverent, etc. »

ARNOB. *adv. Gent.* II.

4° Novæ nuptæ caput flammeolo involvebatur.

« Jam Psyche puellæ caput involverat *flammeolo*.... »

PETRON. *Sat.*

. . . . dudum sedet illa parato
Flammeolo, tyriusque palam genialis in hortis
Sternitur, etc.

JUV. X, 333 sqq.

Flammeus enim color primum matronis tantum licitus erat, ut ab innuptis discernerentur.

« *Flammeus* vestis, vel tegmen quo capita matronæ tegunt. »

NON. MARC.

5° Pronubæ comitabantur novam nuptam (vide PRONUBÆ), mulierumque turba, quæ ubi deducta in domum mariti erat, versus acclamabant ad Venerem prurientes (vide FESCENNINI VERSUS), thalamumque instruebant.

« Jam embasicœtas præferebat facem; jam ebriæ mulieres longum agmen plaudentes fecerant, thalamumque incesta exornaverant veste. »

PETRON. *Sat.*

6° Sponso tandem tradita virgine, choryphæi epithalamia cantabant obscenasque strophas cum magno strepitu (vide HYMEN. CANTUS); nucesque spargebant (vide NUCES), donec delibata crederetur, uxorque plene facta.

7° Vide COLLUM TUMIDUM.

NUPTIÆ SENUM. — Ridiculæ habebantur ; unde Anacreonteum illud : *Anacreon, senex es, blandæ dicunt puellæ.* Certe enim, ut apud nos, senes uxorem ducentes occentabant antiqui cum strepitu, quod Galli vocant *charivari.* Quod patet ex elegantissime collectis ab Alberico Gentili *de Nupt.* V, 3. (*Taubman. in Plaut.* etc.)

« Dabitur homini amica, noctuque in lecto accendet senem :
Namque, edepol! aliud quidem illi quid amica opus sit, nescio. »

PLAUT. *Stich.* IV, 1, 66 sq.

« Nupta ea est, an vidua ? — Et nupta et vidua. — Quo pacto potis Vidua et nupta esse eadem ? — Quia *adolescens nupta est cum sene.* »

IDEM, *Mil.* IV, 1, 18 sq.

NUPTIÆ INTER VIROS. —Portentosa Neronis libido, nec de privatis inaudita.

« Post etiam Pythagoræ cuidam, in modum solemnium conjugiorum, nuberet, inditumque imperatori flammeum, dos, et genialis thorus, et faces nuptiales, cunctaque quæ vel in fœminis non sine verecundia conspiciuntur, spectata. »

SULP. SEVER. *Sacr. hist.* II.

« Puerum Sporum, exsectis testibus, etiam in muliebrem naturam transfigurare conatus est : cum dote et flammeo per solemne nuptiarum celeberrimo officio deductum ad se pro uxore habuit. »

SUETON. *in Neron.* 28.

Barbatus rigido *nupsit* Callistratus Afro
Hac qua lege viro nubere virgo solet.
Præluxere faces, velarunt *flammea* vultus,
Nec tua defuerunt verba, Thalasse, tibi, etc.

MART. XII, XLII, 1 sqq.

NUPTIARUM ANNIVERSARIA. — Religiose celebrabantur auspicio Mercurii, ex Ægyptiaca disciplina. Vide MERCURIUS.

Cyllenes, cælique decus, facunde minister,
Aurea cui torto virga dracone viret;
Sic tibi lascivi non desit copia furti,
Sive cupis Paphien, seu Ganymede cales.
. . . .
Hunc semper Norbana diem cum conjuge Caro
Læta colat primis qua coiere toris.

MART. VII, LXXIV, 1 sqq.

Vide et REPOTIUM.

NUPTIÆ. — Et etiam pro concubitu illegitimo:

« Continuo producta est puella satis bella, et quæ non plus quam septem annos habere videbatur..... Plaudentibus ergo universis et postulantibus, *nuptias* fecerunt. »

PETRON. *Sat.*

« Tum Quartilla jocantium quoque libidine accensa et ipsa surrexit, correptumque Gitona in cubiculum traxit. Sine dubio non repugnaverat puer, ac ne puella quidem tristis expaverat *nuptiarum* nomen. »

PETRON. *Sat.*

« Tu rus uxorem duces : id rus hoc erit, Tantisper dum ego cum Casina faciam *nuptias*. »

PLAUT. *Cas.* II, VIII, 49 sq.

NUPTA VERBA.

« Quæ virginem dicere non licebat. »

FEST.

« Majores nostri virginis acerbæ aures veneris vocabulis imbui noluerunt ; ut essent qui filiæ virginis omni verbo spurco tuerentur aures. »

VARR. *Agath.*

« . . . . Injuriarumque tenebatur, qui turpibus verbis utebatur apud virgines. »

TERTULL. *de Spectac.*

Virgo sum : nondum didici *verba nupta* dicere.

PLAUT. *Frag. dyscol.*

NUTARE. — Capite assentire; quod frequentissimum inter amasios.

Nil opus est digitis per quos arcana loquaris,
Nec tibi per *nutus* accipienda nota est.

OVID. *Art. Amat.* I, 131 sq.

« Neque illa ulli homini *nutet*, nictet, annuat. »

PLAUT. *Asin.* IV, 1, 39.

NUTRICES. — Pro mammis, etiam sensu venereo.

Illaque atque alia viderunt luce marinas
Mortales oculi nudato corpore nymphas
Nutricum tenus exstantes e gurgite cano.
Tum Thetidis Peleus incensus fertur amore,
Tum Thetis humanos non despexit hymenæos, etc.

CATULL. LIX, 16 sqq.

OBDU

OBDUCERE. — Dicebatur de proxenetis et conciliatoribus. Vide *Publ. Victor. Var.* XV, 7, et *Turneb.* XIV, 34.

« Missus mercatum ab suo adolescens patre Emit atque apportat scita forma mulierem . . . . Amat senex hanc, se adsimulans vendere, Tradit vicino : eum putat uxor illius *Obduxe* scortum... »

PLAUT. *Argument. Mercat.* vers. 1 sqq.

« Nec, pol! ego patiar, sic me nuptam tam male, Measque in ædes sic scorta *obductarier.* »

ID. *Merc.* IV, IV, 45 sq.

OBFICUS. — Turpis, impudicus. (*Papias.*)

OBSCENITAS VERBORUM.

« Vel hoc vitium sit quod κακόφατον vocatur; sive mala consuetudine, in obscenum intellectum sermo deductus est, ut *ductare exercitus* et *patrare bellum*, apud Sallustium dicta sancte et antique, ridentur a nobis, si diis placet; quam culpam non scribentium quidem judico, sed legentium. Tamen vitanda, quatenus verba honesta moribus perdidimus. . . . . »

QUINTIL. *Inst. orat.* VIII, 3.

Est altera *obscenitas* quæ vocalis tantum, ex verborum concentu oritur, aut vitiosa sermonis compositione. Quodquidem vitium accurate vitabant antiqui, præsertim loquendo.

« Non olet unde sit quod dicitur *cum illis*, *cum* autem *nobis* non dicitur; quia, si ita diceretur obscenius, concurrent literæ, ut etiam modo, nisi *autem* interposuissem. »

CIC. *Orat.* XVIII.

OBSESSORES ALIENI MATRIMONII. — Insidiatores alienæ pudicitiæ. (*Val. Max.*)

OBSIGNATA. — Dicebatur de virgine intemerata.

« *Signatam* integram virginem vetustas voluit dicere. »

NON. MARC.

« Primam Chrysicum negat *signatam* reddere. »

LUCIL. *lib.* XXIX.

« Parere quædam matrona cupiens, dubitans an esset prægnans, visa est in quiete *obsignatam* habere naturam. »

CIC. *de Nat. deor.* XXII.

Vide SIGNATA.

Obvarare. — Pervertere, depravare. Dictum a varis.

« Nam consiliis *obvarunt*, quibus tamen concedit hic ordo. »

Enn. *Achill. apud Non. Marc.*

Ocquiniscere. — Inclinare. De pædicante.

Ut nullum civem pædicavi per dolum,
Nisi ipsus orans ultroque *ocquinisceret.*

Pompon. *Prostibulo, apud Non. Marc.*

Nisi nunc aliquis subito obviam occurrit mihi
Qui *ocquiniscat*, quo compingam terminum in tutum locum.

Idem, *Pistore, apud Non. Marc.*

Oculus limus. — Obliquus; signum lasciviæ.

« Quadam voluptate suffusi, aut *limi*, ut sic dicam venerei. »

Quintil. *Inst. orat.* II, 3.

« Ad me conversa *limis* et morsicantibus oculis. »

Apul. *Met.* II.

« Viden' *limulis*, obsecro, ut intuentur? — Ecastor, sine omni arbitror malitia esse. »

Plaut. *Bacchid.* V, II, 12 sq.

Oculi indomiti. — Extra modum lascivi.

« Ego animo cupido, atque *oculis indomitis* fui. »

Plaut. *Bacchid.* IV, IX, 92.

Oculi nigri. — In pretio apud Romanos.

Semper hærentem puerum canebat,
Et Lycum *nigris oculis* nigroque
Crine decorum.

Hor. *Od.* I, XXXII, 10 sqq.

Non magis esse velim, quam pravo vivere naso,
Spectandum *nigris oculis* nigroque capillo.

Hor. *de Art. poet.* 36 sq.

Necnon venuste Claudianus:

. . . . . . non labra rosæ, non colla pruinæ,
Non crines æquant violæ, non lumina flammæ.

De Honorii et Mariæ nuptiis, 265 sq.

Hic *violæ* pro nigro colore; nam Virgilius *nigras* dicit violas.

OCULI PETULANTES. — Lascivi, impudici.

« Cujus omnes corporis partes ad nequitiam sunt oppositissimæ; *oculi*, ad *petulantem* lasciviam. »

RUTILIUS LUPUS *ex Lycurgo*.

« Ipse Paris dearum lividinantium judex, si hanc in comparatione vidisset tam *petulantibus oculis*, et Helenem huic donasset, et deas. »

PETRON. *Sat*

OCULI PUTRES. — Venere soluti. Eodem sensu Persius: *patranti fractus ocello*; et Juvenalis, *oculosque in fine trementes*.

Omnes in Damalim *putres*
Deponent *oculos*: nec Damalis novo
Divelletur adultero,
Lascivis hederis ambitiosior.

HOR. *Od.* I, XXXVI, 17 sqq.

OCULIS VENARI. — De arte mulierum quæ, tanquam visco volucres auceps capit, sic et ipsæ viros *oculis* attrahunt et capiunt.

« Viden' tu illam *oculis venaturam* facere, atque aucupium auribus? »

PLAUT. *Mil.* IV, I, 43.

OCULISSIMUS. — Carissimus. Simili modo Galli: *Je l'aime comme mes yeux*.

« Salve, *oculissime* homo. »

PLAUT. *Curcul.* I, II, 28.

Sic et alibi *oculitus amare*, id est valde et singulariter.

OFFICIUM. — Res venerea.

« In solemni sexuum *officio* quod marem ac fœminam miscet, in concubitu communi, in illo ipso voluptatis ultimæ æstu, etc. »

TERTULL. *de Anima*, I, 27.

« Liviam Orestillam Caio Pisoni nubentem, quum *ad officium* et ipse veniret, ad se deduci imperavit. »

SUET. *in Calig.* 24.

« Quum ergo res ad effectum spectaret, clara Eumolpus voce exhortabatur, ut spissaret *officium*. »

PETRON. *Sat.*

OFFICIUM OMNE. — Genus omne veneris et concubitus.

Quidquid amas dabit illa manus : communiter *omni*
Fungitur *officio*.

CLAUDIAN. *in Eutrop.* I, 367 sq.

OFFICIUM PUERILE. — Patientia pueri pædicati.

« Faciendum est *puerile officium* : conquiniscam ad Cistulam. »

PLAUT. *Cist.* IV, I, 5.

Lascivam tota possedi nocte puellam,
Cujus nequitias vincere nemo potest.
Fessus mille modis, *illud puerile* poposci,
Ante preces totas primaque verba dedit.

MART. IX, LXVII, I sqq.

OLERA. — In obscenis.

« Num radix fuit? — Non fuit. — Num cucumis? — Profecto, hercle, non fuit quidquam *olerum*. »

PLAUT. *Cas.* V, II, 32 sq.

Inde Catullianum illud proverbium de eis qui, aliis prostantes, quærebant quo suam libidinem exercerent.

Mentula mœchatur, mœchatur mentula certe;
Hoc est quod dicunt, ipsa *olera* olla legit.

CATULL. LXXXIX, I sq.

Omnia. — Verbum venereum. Cuncta gaudia quæ puer aut puella dare potest ; omnis veneris lætitia.

« Nec adhuc quidem *omnia* erant facta , quum Ascyltos furtim se foribus admovit. »

Petron. *Sat.*

Et idem alibi :

« Forsitan dum *omnia* concupisco , etc. »

Ulteriora pudet narrare , sed *omnia* fiunt.

Ovid. *Epist.* XV, 133.

Hærens ad latus, *omnia* experiris ;
Frustra , etc.

Catull. XVIII , 6 sq.

Opella idalia. — Opus venereum. Dictio suavissima; nam minutis verbis, ut pueri, gaudent et amores.

Non has mellea velitationes
Cyprilla exigit, aut procax Cupido
Cui salacula mentula , et salaces
Lumbuli *idalia* placent *opella*.

Phaleuc. ex editione Petronii a Linocerio CIƆIƆXXCV, *Lutet. Parisior.*

Opera. — Sæpe ad venerem translatum. Sic Terent. *Operam dare amori.*

« Liberis *dare operam* , quam honeste dicitur. »

Cic. *Epist. ad Fam.* IX, 22.

« Cujus fuerit conditionis Venus, cujus *operæ*, cujus quæstus. »

Arnob. *adv. Gent.* IV.

Sic Græce meretrices dicebantur ἐργάσιμοι, et quæstus earum ἐργάστα.

Opicus. — Fetidus, obscenus, immundus. Ab *Opicis*, Italiæ populo, fœditate liguritorum notissimo.

Eunus Syriscus inguinum liguritor ;
Opicus magister. Sic eum docet Phyllis.

Auson. *Epigr.* CXX, 1 sq.

Nec curanda viris *opicæ* castigat amicæ
Verba. Solœcismum liceat fecisse marito.

JUV. VI, 455 sq.

OPIGENA. — Cognomen Junonis, sic dictæ ab *Ope*, quam matronæ colebant, quod eam in partu opem ferre credebant. (Vide *Steph. Dict. historic.*)

OPPIDULUM. — Pro mulierum pudendis.

Fossula *oppidulum* arctula profundum
Et meandribulis inexplicandis munit undula, etc.

PETRON. *Phaleuc.* 32 sqq.

Quid tum! nudula tota, tota inermis,
Armatum hastula tua vibrante,
Aperta *oppiduli* in sui benigne
Castella, o pudeat!

ID. *ibid.* vers. 45, sqq.

OPUS. — Opera est labor, *opus* vero, quod opera perficitur. Eadem igitur similitudine *opus* sæpissime de actu veneris.

Obscenis rigido deo tabellas
Ducens ex Elephantidos libellis,
Dat donum Lalage, rogatque tentes
Si pictas *opus* edat ad figuras.

Priap. Carm. III, 1 sqq.

Accessi quoties ad *opus*, mistisque movemur
Inguinibus, cunnus non tacet, ipsa taces.

MART. VII, XVIII, 5 sq.

OPUS MULIEBRE. — Patientia pædicati.

« Quid ille alter, o dii! qui tanquam togæ virilis stolam sumpsit, qui ne vir esset a matre persuasus est; qui *opus muliebre* in ergastulo fecit; qui postquam conturbavit, etc. »

PETRON. *Sat.*

ORARIUM. — Linteolum ad immunditiam *oris* detergendam. Gallice *un mouchoir*. *Orario* et utebantur Romani

ad pudenda detergenda post venerem peractam. Vide *Aug. de Civitate Dei*, XXII, 7.

> Ricini et aurati, ricæ et *oraria* mitræ.
>
> LUCIL. *Frag.* III, 13.

Oraria interpetratur *Achaintre*, *quibus os obvolvebatur.*

Orarii donum signum erat favoris apud imperatores. Inde usus Orientalium, *orarium* tradere prædilectæ pellici, in indicium noctis concessæ.

> « Ipsumque primum donasse *oraria* populo romano, *quibus uteretur in favorem.* »
>
> VOPISC. *in Aurelian.*

ORBONA. — Dea quæ præest pueris utroque parente *orbatis*. Aram Romæ habebat. Vide *Plin.* II, 7.

ORGIA. — Sane sciendum, *orgia* apud Græcos dici sacra omnia, sicut apud Latinos *cæremoniæ*. Abusive enim pro sacris liberis. Erant Romæ *orgia* Cybeles, Cereris, necnon Veneris ipsius, ut patet ex antiquo poeta apud Ephestionem. Turpitudinis causa, *orgia* omnia prohibuit senatus, anno urbis 568.

ORNATUS-US. — Quidquid pertinet ad cultum virorum et mulierum. Sic apud Livium Adronic. *Asiatico ornatu affluere.*

> « Quid vides! — Nescio quis eccum incedit *Ornatu* quidem thalassico. »
>
> PLAUT. *Mil.* IV, VI, 66 sq.

Sed peculiariter de compositione capillorum.

> Ecce tuum solers caput *exornare* Cypassis
> Objicitur dominæ contemerasse torum.
>
> OVID. *Am.* II, VII, 17 sqq.

Et infra :

Adde quod *ornandis* operosa est illa capillis,
Et tibi per doctas grata ministra manus.

IDEM, *ibid.* 23 sq.

Hinc :

ORNATRICES. — Puellæ in ministerio apud matronas, et ex officio peculiari ad compositionem capillorum.

« Hæc matris meæ liberta *et ornatrix* fuit. »

SUETON. *Claud.* 40.

Ornatricis mobilem artem sic exprimit Tertullianus :

« Quid crinibus vestris quiescere non licet modo subtritis, modo suscitatis, modo elisis ! alii in cincinnis coercentur; alii, ut vagi et volucres elabuntur, non bona simplicitate. Affigitis præterea nescio quas enormitates sutilium atque textilium capillamentorum, nunc in galeri modum, quasi vaginam capitis, et operculum verticis; nunc in cervicem retro suggestum. »

TERTULL. *de Cult. fœmin.* VI.

In *ornatrices* mulierum morositates, contumelias et lacerationes testantur satyrici, præsertim vetularum, et inspeciosarum. Si forte dum comerentur, se difformes inspicerent, speculo dejecto miseram famulam verberabant.

Tuta sit *ornatrix* : odi quæ sauciat ora
Unguibus, et rapta brachia figit acu.
Devovet et tangit dominæ caput illa ; simulque
Ploret ad invisas sanguinolenta comas.

OVID. *Art. Amat.* III, 239 sqq.

Præfectura domus sicula non mitior aula.
Nam si constituit, solitoque decentius optat
Ornari, et properat, jamque exspectatur in hortis,
Aut apud Isiacæ potius sacraria lenæ :
Disponit crinem, laceratis ipsa capillis,
Nuda humeros psecas infelix, nudisque mamillis.

Altior hic quare cincinnus? Taurea punit
Continuo flexi crimen facinusque capilli.
Quid psecas admisit? quænam est hic culpa puellæ,
Si tibi displicuit nasus tuus?

JUV. VI, 486 sqq.

Ad consilium vocabantur *ornatrices* emeritæ, in arduis ornatus. Vide *Junium, de Coma, c.* 7.

Est in consilio matrona, admotaque lanis
Emerita quæ cessat acu: sententia prima
Hujus erit; post hanc ætate atque arte minore
Censebunt, tamquam famæ discrimen agatur
Aut animæ: tanta est quærendi cura decoris.

JUV. VI, 497 sqq.

ORPHEUS.—Masculæ veneris primus institutor ab Ovidio dictus.

Ille etiam Thracum populis fuit auctor, amorem
In teneros transferre mares, citraque juventam
Ætatis breve ver, et primos carpere flores.

OVID. *Met.* X, 83 sqq.

In gratiam *Orphei* Thraces mulieribus stigmata inurebant. Vide Plutarch. in sermone *de iis qui serius puniuntur divinitus*.

OS. — Pars vultus labellis obsignata. Vide LABELLA.

OS RUBIDUM. — Signum verecundiæ apud antiquos.

« *Oris* verecundi et semper *rubidi*. »

SPARTIAN. *in Percenn. Nigr.*

OS SICCUM. — Indecorum enim erat omnibus, sed præsertim puellis, frequenter spuere. Sic Catullus multa in amica Formiani enumerans parum venusta:

Salve nec minimo puella naso,
Nec bello pede, nec nigris ocellis,

Nec longis digitis, nec *ore sicco*,
Nec sane nimis elegante lingua, etc.

CATULL. XL, I sqq.

OS PRÆBERE. — De fellante.

« Adolescentem morem gestum oportuit. — Quî potui melius? Quin hodie usque *os præbui.* »

TERENT. *Adelph.* II, II.

ORE MORIGERARI. — Irrumari.

« Quare Parrhasii quoque tabulam, in qua Meleagro Atalanta *ore morigeratur*.... in cubiculo dedicavit. »

SUETON. *Tiber.* 44.

OSCILLATIO. — Concubantium motus, ex alternis oppositisque concussibus. A *cillere,* id est movere.

« Sic inter mercenarium amicamque positus, senex velut *oscillatione* ludebat. »

PETRON. *Sat.*

OSCILLUM. — Gallice *une balançoire*. Certe inter ludos Romanorum.

Versibus incomptis ludunt, risuque soluto,
. . . .
Et te, Bacche, vocant per carmina læta, tibique
Oscilla ex alta suspendunt mollia pinu.

VIRGIL. *Georg.* II, 386 sqq.

« Alii dicunt, *oscilla* membra esse virilia de floribus facta; quæ suspendebantur per intercolumnia, ita ut in ea homines, acceptis clausis personis, impingerent, et ea ore cillerent, id est moverent, ad risum populo commovendum; et hoc in Orpheo lectum est. »

SERV. *in Virgil. loco supra citato.*

OSCULUM. — Diminutivum, pro ore minusculo.

. . . . videt *oscula* quæ non
Est vidisse satis.

OVID. *Met.* I, 499 sq.

Tu velut Œbaliis habites taciturnus Amyclis,
Aut tua Sigalion ægyptius *oscula* signet.
Obnixum, Pauline, taces.

AUSON. *Epist.* XXV, 26 sqq.

OSCULATIO. — Verbum genericum : actus basiandi.

Dum jam turgidulo tument liquore
Vascula, et liquidæ fluunt medullæ,
Imbelles procul *osculationes*
Udulis fugias pati labellis.
Blandulos decet hos columbulillos
Imbelles avido *osculationes*
Rostrulo inserere. . . .

PETRON. *Phaleuc.* 9 sqq.

Tres *osculorum* species, fine dissimiles, *observantiæ*, *studii*, *voluptatis*. Præcipue notanda sunt :

OSCULUM CAPITIS.

« Laudor quod *osculavi* privignæ *caput.* »

TITINNIUS, *Ilarubra*, *apud Non. Marc.*

OSCULUM FRONTIS. — Religiosum apud veteres, auctore Plutarcho : frons enim Genio sacrata erat.

OSCULUM AURIBUS DEPREHENSIS. — Græce χύτρα, id est *olla*, quod, ut caput ollæ, ita aures ansarum formam referunt. Inter Latinos hoc osculi genus primus expressit Plautus :

« Pareo : at scin' quomodo? Sine te exorem, sine te *prendam auriculis*, sine dem savium. »

PLAUT. *Pœnul.* I, II, 162 sq.

« *Prehende auriculis*, compara labella cum labellis. »

IDEM, *Asin.* III, III, 78.

Romæ, in veteri monumento, videtur Cupido alatus, qui comprensis auribus Zozimam deosculatur.

Et fœtus matrona dabit, natusque parenti
Oscula *compressis auribus* eripiet;
Nec tædebit avum parvo advigilare nepoti, etc.
TIBULL. II, VI, 53 sqq.

OSCULUM CUM LINGUA.

Et dare anhelanti *pugnantibus* humida *linguis*
Oscula, et in collo figere dente notas.
TIBULL. I, VIII, 37 sq.

OSCULUM HIRCOSUM. — Fetidum, impudicum.

Te vicinia tota, te pilosus
Hircoso premit *osculo* colonus.
MART. XII, LIX, 4 sq.

OSCULA SINCERA. — Intacta, intemerata.

« Non solum virginitatem illibatam, sed etiam *oscula sincera* ad virum perferre debet. »
VAL. MAX. I, 6.

Quasi dicas primum osculum, primum florem labiorum.

OSCULA CLAUSA, DIMIDIO LABRO. — Modo eorum qui fetidum spirantes os aperire non audent.

Fila Tarentini graviter redolentia porri
Edisti quoties, *oscula clausa* dato.
MART. XIII, XV, 1 sq.

Basia dimidio quod das mihi, Posthume, *labro*,
Laudo; licet demas hinc quoque dimidium.
MART. II, X, 1 sq.

OSCULA DELIBARE. — Legere, sed leviter et labris lubricis; opposite *basiis compressis*. Dictio lepidissima.

Olli subridens hominum sator atque deorum
Vultu quo cœlum tempestatesque serenat,
Oscula libavit natæ. . . .
VIRGIL. *Æneid.* I, 254 sqq.

Olli purpurea *delibantes oscula*,
Clemente morsu rosea labella vellicent.

APUL. Ἀνεχόμ. 6 sq.

OSCULIS APPLICARE. — Firme basiare.

« Habuit in deliciis homines appellatos nominibus verendorum utriusque sexus, quos libentius *suis osculis applicabat.* »

LAMPRID. *in Commod.*

OSCULI JUS.

« Affinibus et propinquis in mulieres *jus* est, ut sobrias comprobent, etc. »

ARNOB. *adv. Gent.* II.

« Verum illecebris Agrippinæ, Germanici fratris sui filiæ, per *jus osculi* et blanditiarum occasionem pellectus in amorem. »

SUET. *in Claud.* 26.

OSTENTATRIX. — Quæ tamquam mercem se ostendit et explicat, seu quæstus, seu gratuitæ veneris causa.

« Quam improba juvenum circumspectatrix ! quam immodica suî *ostentatrix !* »

APUL. *in Apolog.*

OSTREA. — Inter fomenta cibi. Sic Juvenalis de muliere ebria :

. . . . Quid enim Venus ebria curat ?
Inguinis et capitis quæ sint discrimina, nescit
Grandia quæ mediis jam noctibus *ostrea* mordet,
Quum perfusa mero spumant unguenta Falerno,
Quum bibitur concha. . . .

JUV. VI, 300 sqq.

OVA. — Pro coleis.

. . . . Vel tantus ad ora veniret
Aut aliis causis ita computresceret *ovum*,
Ne fieri posset quin crudelis medicina
Ova recidisset, medici reprobabilis usus.

OVID. *Pseud.*

PABULUM. — De quæstu meretricum; metaphora a rebus armentariis.

« Hic te opperiar : eadem illi insidias dabo, Quam mox horsum ad stabulam junix recipiat se *a pabulo.* »

PLAUT. *Mil.* II, III, 32 sq.

Vide STABULUM, JUNIX.

PÆDAGIUM. — Cubiculum puerorum.

« Puer in *pædagio* mixtus pluribus dormiebat. »

PLIN. *Epist.* VII, *ad Ruff.*

PÆDAGOGUS. — Παιδαγώγος. Delicatorum gregis custos. Inter dignitates imperii præfulgebat hæc præfectura, Ganymedi emerito fere semper commissa, ut patet ex lapide sequenti a Casaubone relato :

TI. CLAVD. LIB. GRATIOSO. PÆDAGOGO. PVERVM.
CAPRETANORVM. AVG. N. SERV. FECIT.

Et altera inscriptione ex *Ferret. Mus. lapid.*

T. FLAV. AVG. LIB. GANIMEDI. PÆDAGOGO. PVERORVM.
CÆS. FECIT.

« Fuitque (Adrianus) in amore Trajani ; nec tamen ei per *pædagogos* puerorum quos Trajanus impensius diligebat, Gallo favente, defuit. »

SPARTIAN. *in Adrian.*

« Hic mihi corrumpit filium, scelerum caput, Hic dux, hic ille est *pædagogus* : hunc ego Cupio excruciari. »

PLAUT. *Pseudol.* I, V, 31 sqq.

PÆDAGOGIUM. — Pædicatio.

« Super ingenuorum *pædagogia* et nuptarum concubinatus, vestali virgini Rubriæ vim intulit. »

SUETON. *in Neron.* 28.

PÆDICARE. — Proprie est puerum inire, quod patet ex etymo; latiore vero sensu de quacumque constupratione postera, seu in exoletum, seu quidem in fœminam.

Da mihi quod cupies frustra dare forsitan olim,
  Quum tenet obsessas invida barba genas,
Quodque Jovi dederat, qui raptus ab alite sacra
  Miscet amatori pocula grata suo :
Quod virgo prima cupido dat nocte marito,
  Dum timet alterius vulnus inepta loci.
Simplicius multo est, da *pædicare*, latine
  Dicere, quid faciam ? crassa Minerva mea est.

Priap. Carm. II, 3 sqq.

Nec minus usitata mulierum *pædicatio* apud antiquos.

« Novimus istam maritorum abstinentiam, qui, etiamsi primam virginibus timidis remisere noctem, *vicinis* tamen *locis ludunt.* »

SENEC. *Controv.* II.

Nec invitæ nates præbebant uxores et amicæ, ut pueros arcerent.

Deprensum in puero tetricis me vocibus, uxor,
  Corripis, et culum te quoque habere refers.
Dixit idem quoties lascivo Juno tonanti ?
  Ille tamen grandi cum Ganymede jacet.
Incurvabat Hylam posito Tirynthius arcu ;
  Tu Megaram credis non habuisse nates ?
. . . .
Briseis multum quamvis aversa jaceret,
  Æacidæ propior levis amicus erat.
Parce tuis igitur dare mascula nomina rebus,
  Teque puta cunnos, uxor, habere duos.

MART. XI, XLIV, I sqq.

PÆDICARI. — Passive, *pædicationem* pati.

Extirpa, mihi crede, pilos de corpore toto,
  Teque pilare tuas testificare nates.

Quæ ratio est, inquis? scis multos dicere multa.
  Fac *pædicari* te, Charideme, putent.
MART. VI, LVI, 3 sqq.

PÆDATIA. — Nomen ab Horatio datum *Pedatio*, equiti romano, qui, absumpto patrimonio, sese ipse prostituerat; et bene, quum mulieris vicem gereret.

. . . . atque in me veniat mictum atque cacatum
Julius et fragilis *Pædatia*, furque Voranus.
HOR. *Sat.* I, VIII, 38 sq.

PÆDICO-ONIS. — Agens in postera venere.

Psoleon ille vocat, quod nos psoloenta vocamus;
  Id quod nos culum, culeon ille vocat.
Σμερδάλεος certe, nisi res non munda vocatur,
  Et *pædiconum* mentula smerdalea est.
Priap. Carm. LXVIII, 5 sqq.

Dives eras quondam: sed tunc *pædico* fuisti,
  Et tibi nulla diu fœmina nota fuit;
Nunc sectaris anus: o quantum cogit egestas!
  Illa fututorem te, Charideme, facit.
MART. XI, LXXXVIII, 1 sqq.

Insignissimos inter *pædicones* antiquitatis præcipue notantur: Jupiter in Ganymedem; Phœbus in Hyacinthum; Achilles in Patroclum, et etiam Briseim; Gracchus in Corneliam; Pompeius in Juliam; Brutus in Porciam; rex Bithyniæ in Cæsarem, etc.

PÆDISCÆ. — Ancillulæ et libertinæ quæstum facientes utraque patientia. Vide Pitisc. *Lexic. ant.* Hinc:

PÆDISCIUM. — Παιδισκεῖον; pro lupanare.

PÆTUS-A. — Cujus oculi declinati et tremuli, ut sunt

hircorum. Signum animi libidinosi. Inde *pæta* Venus pingebatur.

Si *pæta* est, Veneri similis; si flava, Minervæ.
OVID. *Art. Am.* II, 659.

Notas habemus quisque corporis formas.
Phœbus comosus; Hercules lacertosus;
Trahitque Bacchus virginis tener formam;
Minerva glauco lumine est; Venus *pæta*.
Priap. Carm. XXXVI, 1 sqq.

PAGINA NOCTURNA. — Libri lascivi; quum post cœnam locus esset jocis libidinosis.

Non omnis nostri *nocturna* est *pagina* libri;
Invenies et quod mane, Sabine, legas.
MART. XI, XVIII, 1 sq.

PALÆSTRA. — Ad veneras exercitationes conversum. Præcipue de inclinatione patientis. Palæstrita enim in gymnasio vincebat maxime, si cedens, reducto pectore, adversarium reflecteret. *Clinopalis* dicebatur hæc exercitatio, hoc est, *inclinata palæstra;* unde Domitianus concubitum *clinopalem* vocabat. Vide CLINOPALIS.

Idem post opus et suas *palæstras*,
Loro quum similis jacet remisso, etc.
MART. X, LV, 4 sq.

PALLACA-Æ. — Pellex, concubina.

« Et inde quieti vacabat (Vespasianus), accubante aliqua *pallacarum*, quas in defunctæ locum Cœnidis plurimas constituerat. »

SUET. *in Vespas.* 21.

Mere græcum παλλάκη. Vide *Plin. lib.* 35; *Popmam de diff. verb.*, et *Non. Marc.*

PALLIOLUM. — Pallium breve et angustum, ad usum

1° Libertarum, meretricum et ancillarum. Palla matronis peculiaris, ampla et sinuosa erat.

> Ad talos stola demissa, et circumdata *palla*
> Plurima, etc.
>
> Hor. *Sat.* I, ii, 99 sq.

Meretricum vero amiculum, *pallium* lineum, idem quo matronæ in adulterio deprehensæ induebantur. Vide Adulter.

> Hanc volo quæ facilis, quæ *palliolata* vagatur,
> Hanc volo quæ puero jam dedit ante meo.
>
> Mart. IX, xxxii, 1 sq.

> . . . . Dorida nullo
> Cultam *palliolo*, etc.
>
> Juv. III, 94 sq.

2° Mollium et delicatorum.

« Tum isti Græci *palliati*, capite operto qui ambulant, Qui incedunt suffarcinati cum libris, cum sportulis, etc. »

Idem, *Curcul.* II, iii, 9 sq.

« Pro lorica *malacum* capiam *pallium;* Ubi mihi pro equo lectus detur, scortum pro scuto accubet. »

Plaut. *Bacchid.* I, i, 38 sq.

3° Et ad usum virorum quum ad spurca irent, ne dignoscerentur.

« Flet quia non amplius tam apparatas cœnas habebit; neque, nocte exiens clara omnibus, capite *palliolo* involuto, omnia accedet scorta. »

Lucian. *Dialog. mort. de philosoph.*

« Quippini? quin si voles *Operire capita*, ne nos leno noverit, Qui illi malæ rei tantæ fuimus illices. »

Plaut. *Pœnul.* III, iv, 33 sqq.

Palpare. — Proprie est molli et blanda manu tangere

et contrectare. Hinc pro fœminam blanditiis ad rem allicere : translatum ab equis.

« Observatote, quam blande mulieri *palpabitur.* »

PLAUT. *Amph.* I, III, 9.

Gallice *enjôler une femme.*

PALPARE. — Sensu obsceno. Tractante manu ad venerem titillare.

. . . . nam coitus jam longa oblivio : vel si
Coneris, jacet exiguus cum ramice nervus,
Et quamvis tota *palpetur* nocte, jacebit.

JUV. [illegible], 204 sqq.

PALPITARE. — In obscenis.

. . . . alter enim, quantum in legione tribuni
Accipiunt, donat Calvinæ vel Catienæ,
Ut semel atque iterum super illam *palpitet*, etc.

JUV. III, 132 sqq.

PALUMBI.

Inguina torquati tardant hebetantque *palumbi;*
Non edat hanc volucrem qui cupit esse salax.

MART. XIII, LXIV, 1 sq.

PALUMBUS, PALUMBES, PALUMBULUS.—Inter obscena.

« Nos tibi *palumbem* ad aream usque adduximus; Nunc te illum melius capere, si captum esse vis. »

PLAUT. *Pœnul.* III, III, 63 sq.

« Cave ne solus exedas tam bellum pullulum; sed nobis quoque tuis *palumbulis* nonnumquam impertias. »

APUL. *Met.* VIII.

« Teneo te *palumbulum* meum, passerem. »

IDEM, *ibid.* X.

PALUS. — Pro pene.

. . . . Deus inde ego, furum aviumque
Maxima formido ; nam fures dextra coercet,
Obscenoque ruber porrectus ab inguine *palus.*

HOR. *Sat.* I, VIII, 3 sqq.

Pandare latera. — *Pandare* aut *pandari* dicebatur de ligno incurvato; per similitudinem, de lateribus coitu nimio exhaustis.

> Cur non tam latera exfututa *pandas ?*
> Ne tu quid facias ineptiarum ?
>
> Catull. VI, 13 sq.

Pandemus. — Mere græcum ; Venus plebeia. Romæ sacellum ejus in foro veteri, quo populus confluebat universus. Vide Venus popularis.

Panis mica. — Inter fucos mulierum et delicatorum.

> « Quin et faciem quotidie rasitare, ac *pane madido* linire consuetum ; idque instituisse a prima lanugine, ne barbatus umquam esset. »
>
> Suet. *in Othon.* 12.

Panes in similitudinem pudendorum. — Vide Phallus, Siligo, Priapus.

Pannuceus, Pannosus. — Victus, flaccidus, rugatus. A panno trito.

> Truditur et digitis *pannucea* mentula lassis,
> Nec levat exstinctum sollicitata caput.
>
> Mart. XI, xlvii, 3 sq.

> Aut tibi *pannosæ* pendent a pectore mammæ ;
> Aut sulcos uteri prodere nuda times.
>
> Idem, III, lxxii, 3 sq.

Pannychis. — Fictum nomen apud Petronium virgunculæ illius Gitoni nuptæ, appellatione generica cuilibet apta meretrici : nam *pannychia* idem sunt ac pervigilia. Vide *Arnob. adv. Gent.* V. Quotidie enim pernoctans fingitur ad peragendas voluptates. Vide Pervigilium.

PANTEX. — Imus venter; in fœdissimis, et contumeliose; de vetulis et pannuceis.

> Bidens amica, Romuli senis memor,
> Paratur, inter atra cujus inguina
> Latet jacente *pantice* abditus specus.
>
> *Priap. Carm.* LXXXIV, 26 sqq.

> Ne valeam, si non multo sapit altius illud,
> Quod cum *panticibus* laxis, et cum pede grandi,
> Et rubro pulmone vetus, nasisque timendum,
> Omnia crudelis lanius per compita portat.
>
> MART. VI, LXIV, 18 sqq.

PAPHIA. — Cognomen Veneris notissimum; a *Papho*, Cypri civitate, mollitie et voluptate celeberrima. Hic ex ritu puellæ dotem quæsituræ se prostituebant, non sacello, aut pervigiliis, sed littore, in memoriam Veneris ortæ ex spuma maris. Vide *Strab. lib.* XIV, et *Plin. lib.* V, *cap.* XXXI.

Nulla sacris ejus sanguinis hostia. Nefas enim videbatur, eam cæsis animantibus venerari, per quam vita concedebatur.

« Hostiæ, ut quisque vovit; sed mares deliguntur. Certissima fides hædorum fibris. *Sanguinem aræ offundere vetitum*; precibus et igne puro altaria adolentur; nec ullis imbribus, quamquam in aperto, madescunt. »

TACIT. *Histor. lib.* II, *cap.* 3.

Thure tantum colebatur et floribus.

> Ipsa Paphum sublimis abit, sedesque revisit
> Læta suas, ubi templum illi, centumque *Sabæo*
> *Thure* calent aræ, *sertisque* recentibus halant.
>
> VIRGIL. *Æneid.* I, 416 sqq.

> O Venus, regina Cnidi Paphique,
> Sperne dilectam Cypron, et vocantis

> *Thure* te *multo* Glyceræ decoram
> Transfer in ædem.
>
> HOR. *Od.* I, XXX, 1 sqq.

PAPILLÆ. — Uberum apices. (*Fest.*)

> Et pulchro pulchras strophio producta *papillas*
> Gaudet utrumque sui pectoris esse decus.
>
> PETRON. AFRANII *Epigr.* II, 3 sq.

Pro mammis in re voluptaria, et tunc pars pro toto. Hinc :

Papillæ horridulæ. Stantes, prominentes. (*Non.*) Duriusculæ. (*Lambin.*)

> « *Papillarum horridularum* oppressiunculæ. »
>
> PLAUT. *Pseud.* I, 1, 66.

Papillæ baccantes. Tumentes instar *baccarum*, tuberantes. (*Ovid. Met.*)

Papillæ luctantes. Intumescentes, quasi enitentes ad strophium repellendum.

> Non contecta levi velatum pectus amictu,
> Non tereti strophio *luctantes* vincta *papillas*.
>
> CATULL. LIX, 64 sqq.

Papillæ sororiantes. Simul nascentes.

> Namque tibi *mamillulæ*
> Stant floridæ, et protuberant
> *Sororiantes* primulum.
>
> POLITIAN.

Papillæ virgines. Nondum tractatæ et maritæ. (*Lips.*) Sic lepide Martialis :

> Et talis tumor excitet *papillas*,
> Quales cruda viro puella servat....
>
> MART. VIII, LXIV, 10 sq.

Papillæ surgentes.

Ipsa *surgentes papillas* de Favoni spiritu,
Urget in notos penates.
Pervigil. Ven. ubi de calicibus florum, 12. sq.

PAPILLARUM TRACTATIO. — Inter ineptias amantium; sic supra Plaut. *oppressiunculæ*.

Forma *papillarum* quæ fuit apta premi.
OVID. *Am.* I, V, 20.

« Numquam altiore somno ephebus obdormivit. Itaque primum *implevi lactentibus papillis manus*; mox basio inhæsi, deinde in unum omnia vota conjunxi. »

PETRON. *Sat.*

PARARE SE. — Suî copiam facere. Dare.

Dura est quæ multis simulatum fingit amorem,
Et se plus uni si qua *parare* potest.
PROPERT. II, XXV, 47 sq.

PARATUS. — Scilicet ad venerem.

Tibi hæc *paratur*, ut tuum ter et quater
Voret profunda fossa lubricum caput.
Priap. Carm. LXXXIV, 31 sq.

At deus obscena nimium quoque parte *paratus*.
OVID. *Fast.* I, 437.

PARARIUM. — Præludia veneris. (*Senec. Controv.*) Vide PROMULSIS et ANTECŒNIUM.

PARECTATUS. — Qui de pueritia ad pubertatem venit. A græco sumptum.

Inde *parectato* chlamydes et barbula prima.
LUCIL. *Frag.* VIII, 9.

Tum ephebum quemdam quem vocant *parectaton*.
IDEM, *Frag.* XX, 8.

Vide *Non. Marc.*

PARES. — Mutuo amore conjuncti.

> Nam si quid in Flacco viri est,
> Non feret adsiduas potiori te dare noctes,
> Et quæret iratus *parem*.
>
> Hor. *Epod.* XV, 12 sqq.

Tractum ab equis bijugibus. *Par* ergo intelligi debet qui, aut quæ in amore respondeat, ac *pariter* jugum ferat.

PARES. — Pro coleis. (*Plin.*)

PARIA COMPONERE. — In obscenis.

> « Immo ego sic jam *paria composueram*, ut, si depugnandum foret, ipse cum Quartilla consisterem, Ascyltos cum ancilla, Giton cum virgine. »
>
> PETRON. *Sat.*

PARILIA.—Festa Palladis, a prægnantibus privatim celebrata et in lecto cubantibus. (*Fest.; Meurs. de Puerp.*) Non confundenda cum *paliliis* in honorem deæ *Palis* a pastoribus celebratis. Vide. *Struk. Ant. rom.* 9; *Ovid. Fast.* II; et *Pers. Sat.* I, 72.

PARS. — Pro uxore. Simili modo Galli dicunt *ma moitié*.

> « Loquitur de me et de *parte* mea. »
>
> PLAUT. *Menæch.* III, II, 14.

PARS, PARS CORPORIS, PARS OBSCENA.—Pro pudendis.

> Aut igitur tunicam *parti* prætende tegendæ,
> Aut quibus hanc oculis adspicis, ista lege.
>
> *Priap. Carm. ad Lectorem*, 7 sq.

> « Funerata est illa *pars corporis* qua quondam Achilles eram. »
>
> PETRON. *Sat.*

> At deus *obscena* nimium quoque *parte* paratus.
>
> OVID. *Fast.* I, 437.

PARTUS. — Junoni inprimis vota solvebantur ad facilem

felicemque partum. Accedebant tamen alii dei et deæ, scilicet Egeria, Latona, Lucina, Mæna, Prorsa, Postversa, etc. Vide hæc verba.

Ad *partum* frequentior credebatur decimus mensis. Inde Virgilius :

> Matri longa *decem* tulerunt fastidia *menses*.
>
> *Eclog.* IV, 60.

« Si filius vel filia intra *decem mensium* spatium post mortem meam editi fuerint, hæredes sunto. »

Lib. IV, *ff. de Posthum. hæred.*

Partus, vinculum conjugii.

> Fœmina, quum senuit, retinet connubia *partu*,
> Uxorisque decus matris reverentia pensat.
> Nos Lucina fugit, nec pignore nitimur ullo.
>
> CLAUDIAN. *in Eutrop.* I, 72 sq.
>
> Interea tormentum ingens nubentibus hæret,
> Quod nequeunt parere, et *partu retinere maritos*.
>
> JUV. II, 137 sq.

PARTUMEIUS. — Verbum ab Horatio fictum de partu supposito, a *partu* et *meiendo*.

> Tuusque venter *partumeius*, et tuo
> Cruore rubros obstetrix pannos lavit,
> Utcumque fortis exsilis puerpera.
>
> HOR. *Od. Epod.* XVII, 50 sqq.

PASIPHAE. — Uxor notissima Minois regis, quæ, taurum ardens, vaccam ligneam fabricare jussit, qua sublatens belluæ coitu potita est. A Nerone et in theatro editum est hoc spectaculum, plaudente populo, ut testatur *Sueton. in Neron.* 12. *Pasiphaes* amorem ad signum cæleste refert *Lucian. lib. de Astrologia.*

> Junctam *Phasiphaen* Dictæo credite tauro :
> Vidimus, accepit fabula prisca fidem.

Ne se miretur, Cæsar, longæva vetustas :
Quidquid fama canit, donat arena tibi.
MART. *de Spectac.* VI, 1 sqq.

PASSER. — Mollis, lascivus. Ob *passeris* ex natura salacitatem.

Dic *passer*, cui tot montes, tot prædia servas
Appula, etc.
JUV. IX, 54 sq.

Aut præcidite seminale membrum,
Quod totis mihi noctibus fatigant
Vicinæ sine fine prurientes,
Vernis passeribus salaciores;
Aut rumpar, etc.
Priap. Carm. XXV, 2 sqq.

Inde Galloprovinciales lingua vernacula penem nuncupant *lou passeroun*.

PASSER, PASSERCULUS. — Inter mellitas amantium voces.

« Dic igitur me *tuum passerculum*, gallinam, coturnicem, Agnellum, etc. »
PLAUT. *Asin.* III, II, 76 sq.

« Meus pulus, *passer*, mea columba, etc. »
IDEM, *Casin.* I, 1, 50.

PASSIVUS. — Pathicus. Vide *Jul. Firmic. in Math.* 4.

PATAVINA. — Pro pudica. *Patavinæ* enim mulieres pudicitia maxime insignes. Vide *Plin. Epist.* XIV, 1.

Tu quoque nequitias nostri lususque libelli
Uda puella leges, sis *Patavina* licet.
MART. XI, XVII, 7 sqq.

PATERE. — In obscenis.

.... nec tibi tener puer
Patebit ullus, ingemente qui toro
Juvante verset arte mobilem natem.
Priap. Carm. LXXXIV, 21 sqq.

Jam primum stator hic libidinosus
Alternis ineundo et exeundo
Porta te faciet *patentiorem*.

Ibid. LII, 3 sqq.

Pater. — Nomen religionis, primum generale omnium deorum; postea hominibus datum in honorem; inde *patres conscripti* pro senatoribus. Deinde vulgatum etiam libidinose. Hinc :

Patres conventitii. — Qui promiscui in unius scorti nidum convenerunt.

« Ego et tua mater ambæ Meretrices fuimus illa te, ego hanc mihi educavi Ex *patribus conventitiis.* »

Plaut. *Cistell.* I, 1 40 sqq.

Pater vitio, Pater culpa. — Id est concubitu illegitimo. Qui liberos vulgivaga venere suscipit.

Ut dubius *vitio* sit *pater* ille *meo.*

Ovid. *Trist.* II, 352.

Illudas quibus, auferasque mentem ?
Huic semper *vitio pater* fuisti.

Mart. XII, lii, 9 sq.

« Qui bono sunt genere nati, si sunt ingenio malo, *Suapte culpa* genere capiunt genus, ingenium improbant. »

Plaut. *Merc.* V. iv, 8 sq.

Pathicus, Pathica. — Proprie, qui, quæ in venere rem patitur.

Ne trepida, numquam *pathicus* tibi deerit amicus.

Juv. IX, 130.

Cingit inaurata penem tibi, sancte, corona :
Hunc *pathicæ* summi numinis instar habent.

Priap. Carm. XL, 3 sq.

Obliquis, *pathicæ*, quid me spectatis ocellis ?
Non stat in inguinibus mentula tenta meis.

Ibid. LXXV, 1 sq.

[redacted]

Pati virum. — Viro subire.

« Minor est ista quam ego fui, qum primum *virum passa sum.* »

Petron. *Sat.*

« Invita alium *virum passa est.* »

Tertull. *Ehort. ad castitat.* 13.

Hinc et eodem sensu :

Patientia. — Dicebatur de utroque sexu.

« Obstupui ego, et nec Gitona verecundissimum puerum sufficere huic petulantiæ adfirmavi, ne puellam ejus ætatis esse, ut muliebris *patientiæ* legem posset ecipere. »

Petron. *Sat.*

Id est, viripotentem ex natura.

Ex lege vero, post duodecimum annum expletum. Quod tamen Augustus in matrimoniorum favorem indulsit a decimo anno.

Frequentius vero de postera venere.

« Tunc primum ignota ante vocabla reperta sunt sellariorum et spintriarum, ex fœditate loci ac multiplici *patientia.* »

Tacit. *Annal.* VI, 1.

Patinæ cibariæ. — Non tantm vasibus potatoriis, sed et *patinis* lasciva pingebanir aut sculpebantur.

Fulget, et in *patinis* ludit pulcerrima Nais,
Prandentum inflammans ora ecore suo.
Congrua non tardus diffundat ira minister,
Ut lateat positis tecta libido ois.

Vet. Pd. catalect. ex Valet.

Patrare. — Proprio sensu aliqid perficere. Honestum olim verbum; postea ad obscenitatem translatum, et pro venerem consummare, id est, semen emittere.

Vide *Isidor.* et *Canut. ad illud Persii*, I, 18, *patranti fractus ocello*, id et, molliter et libidinose natanti.

Quid est ? an hæc sinistra liberalitas
Parum *expatravit ?*

CATULL. XXVII, 16 sq.

PECCARE. — De illegitimo coitu. Stuprum concedere: rem quoquo modo *facere* aut *pati*.

« Ergo amor etiam eos tangit ! Jupiter in cælo suo non invenit quod eligeret, et *peccaturus* in terris, nemini tamen injuriam fecit. »

PETRON. *Sat.*

Incustoditis et apertis, Lesbia, semper
Liminibus *peccas*, nec tua furta tegis ;
Et plus spectator quam te delectat adulter ;
Nec sunt grata tibi gaudia, si qua latent.

MART. I, XXXV, 1 sqq.

PECCARE. — Fidem suam abjicere ; alienis amplexibus indormire. Gallice *faire une infidélité.*

Non ego ne *pecces* quum sis formosa, recuso,
Sed ne sit misero scire necesse mihi.
Nec te nostra jubet fieri censura pudicam,
Sed tamen, ut tentes dissimulare, rogat.
Non *peccat* quæcuque potest *peccasse* negare,
Solaque famosam culpa professa facit.

OVID. *Am.* III, XIV, 1 sqq.

Rumor ait crebro nostram *peccare* puellam ;
Nunc ego me surdis auribus esse velim.
Crimina non hæc sunt nostro sine ficta dolore.
Quid miserum torques, rumor acerbe ? tace.

TIBULL. IV, XIII, 1 sqq.

PECCARE. — Veneri mentiri, vir non esse, quod accidit flaccidis mentulis difututorum.

« Fateor, domina, sæpe *peccasse ;* nam et homo sum, et adhuc juvenis : numquam tamen ante hunc diem usque ad mor-

[redacted]

tem deliqui.... Illud unum memento, non me, sed instrumenta *peccasse*. Paratus miles arma non habui... dum omnia concupisco, voluptatem tempore consumpsi; non invenio quod feci. »

PETRON. *Sat.*

PECULIUM. — Id quo viri sumus.

« Quid somniatis? mea quidem hæc habeo omnia, *Meo peculio* empta. »

PLAUT. *Pseudol.* IV, VII, 91 sq.

« Per anfractus deinde obscurissimos egressus, in hunc locum me perduxit; prolatoque *peculio*, cœpit rogáre stuprum. »

PETRON. *Sat.*

« Homines bene nasatos et majoris *peculii*, etc. »

LAMPRID. *in Vita Heliogabal.*

Hinc:

PECULIARE. — Stuprare.

« Scelus tu pueries : atque ob istam rem, ego aliquid te *peculiabo*. »

PLAUT. *Pers.* II, II, 10.

PECULIATUS. — Pene et coleis maxime instructus.

Accedunt duo, qui latus tuentur,
Pulchre pensilibus *peculiati*.

Priap. Carm. LII, 6 sq.

PECUS CLURINUM aut CLUSINUM. — De grege meretricum et scortorum. Verbum Plautianum incerto etymo, sed sensu non ambiguo.

« Pudendumne? tu vero, *clurinum pecus*, Advenisti huc sustentatum cum exornatis ossibus. »

PLAUT. *Trucul.* II, II, 14 sq.

Vide CLUSINUM.

PEDES. — Pro pudendis apud Hebræos; unde aqua *pe-*

dum pro urina, et Latinis simpliciter *aqua*. Vide *Drus. Quæst. hebr.* I, 35.

PEDES EXIGUI. — In laudem apud Romanos.

> *Pes* erat *exiguus*; *pedis* est aptissima forma.
>
> OVID. *Am.* III, III, 7.

Contra :

> Depygis, nasuta, brevi latere ac *pede longo* est.
>
> HOR. *Sat.* I, II, 93.

PEDES TOLLERE. — In obscenis modus coitus, quum agens patientis *pedes sustollit* ad ineundum.

> An ut matrona ornata phaleris pelagiis
> *Tollat pedes* indomita in strato extraneo?
>
> PETRON. *Sat.*

Vide CONCUBITUS.

« Mammas teneas, *pedes extollas*, suavies, etc. »

NONIUS, *apud Non. Marc.*

PEDANEÆ. — Scorta. Tamquam passim vaga ad quæstum. Vide *Procop. in Anecdot.* et *Buleng. de Theatris*, I, 49.

PELLEX. — Ex lege Numæ, quæ viro nupsit jam uxorem habenti; concubina. A *pellicere*, per blanditias allicere. Sic Virgilius, *ÆEneid.* II, *pellacem* Ulyssem dicit. Vide PALLACA.

« Et dimissam Scriboniam, quia liberius doluisset nimiam *pellicis* potentiam. »

SUET. *in Aug.* 69.

« Malum mihi prorsum illa (Juno) magnum dabit, quum tu me literis tuis *pellicem* illi esse confiteris. »

A. GELL. XIII, 4.

Eadem lege Numæ interdictum erat quibuscumque *pellicibus* Junonis aram tangere.

Pellex. — Pro meretrice.

« An uxore contentus haud una, concubinis, *pellicibus* atque amiculis delectatur, etc. »

Arnob. IV, *de Jove.*

« . . . . i hac mecum, ut videas simul Tuam Alcumenam *pellicem*, Juno mea. »

Plaut. *Merc.* IV, i, 23 sq.

Pellex. — Pro concubino.

« Præterea actiones Dolabellæ et Curionis patris; in quibus eum Dolabella *pellicem* reginæ, spondam interiorem regiæ lecticæ, ac Curio stabulum Nicomedis, ... dicunt. »

Suet. *in Cæs.* 49.

Quid quasi *pellicibus* torqueris inepta ministris,
In quibus et brevis est et fugitiva venus?
Plus tibi, quam domino, pueros præstare probabo:
Hi faciunt, ut sis fœmina sola viro.

Mart. XII, xcvi, 3 sqq.

Pellex. — Pro manu fututrici. De masturbatore.

Pontice, quod nunquam futuis, sed *pellice* læva
Uteris, et veneri servit amica manus;
Hoc nihil esse putas? . . .

Mart. IX, xli, i sqq.

Pellicatus-us. — Concubinatus.

« Ab ea est enim ipse propter *pellicatus* suspicionem interfectus. »

Cic. *de Offic.*

Pellecebræ. — Delinimenta meretricia.

« Capitis te perdam ego et filiam, *Pellecebræ*, pernicies, adolescentum exitium. »

Plaut. *Asin.* I, ii, 6 sq.

Penis. — Proprie cauda. (*Cic.*) Pro virga virili; quod notissimum.

Stare jubes nostrum semper tibi, Lesbia, *penem*:
Crede mihi, non est mentula quod digitus.

MART. VI, XXIII, 1 sq.

Si facis in *penem* quidquid ubi venit amarum.

PERS. IV, 48.

PENIS LEGITIMUS. — Justæ mensuræ et magnitudinis.

An facile et pronum est agere intra viscera *penem*
Legitimum, atque illic hesternæ occurrere cœnæ?

JUV. IX, 43 sq.

PENSARE MENTULAM. — Manu explorare an sit pondere et mensura, aut, ut ait Juvenalis, sit *legitima*. Lusus meretricum et impudicorum.

Arrectum quoties Marulla *penem*
Pensavit digitis, diuque mensa est,
Libras, scripula sextulasque dicit.
Idem post opus et suas palæstras,
Loro quum similis jacet remisso,
Quanto sit levior Marulla dicit.
Non ergo manus ista, sed statera.

MART. X, LV, 1 sqq.

Vide PONDUS.

PENSILIA. — Virilia.

Accedunt duo, qui latus tuentur,
Pulchre *pensilibus* peculiati.

Priap. Carm. LII, 6 sq.

PERAGERE VIROS. — Exhaurire crebro concubitu. (*Barth. Advers.* XXI, 10.)

Quum sacrum fieret deo salaci,
Conducta est pretio puella parvo;
Communis satis omnibus futura,
Quæ quot nocte *viros peregit* una,
Tot verpas tibi dedicat salignas.

Priap. Carm. XXXIV, 1 sqq.

Sic Galli dicunt *achever un homme*.

Perambulare lectum. — Concussibus venereis lectum proterere.

> Et ille nunc superbus et superfluens
> *Perambulabit* omnium cubilia,
> Ut albulus columbulus dionæus.
>
> Catull. XXVII, 7 sqq.
>
> .... tremulique quassa lecti
> Argutatio, *inambulatioque*.
>
> Idem, VI, 10 sq.

Percidere. — Verbum flagitiosum.

« Non hercle si os *perciderim* tibi, metuam, morticine. »

Plaut. *Pers.* II, iv, 12.

Percutere. — In obscenis.

« Non taces, nocturne *percussor*, qui ne tum quidem quum fortiter faceres, cum pura muliere pugnasti ? »

Petron. *Sat.*

Perdepsere. — Vide Depsere.

Perdix. — In obscenis simili sensu quo palumbes, anseres, etc. Vide *Aristoph. in avibus*, et verbum Aversa venus.

Perductare. — Inter venerea, ut *ducere*.

« Quidquid est, errabo potius, quam *perductet* quispiam. »

Plaut. *Mostell.* III, ii, 160.

Perductor.—Conciliator amorum impudicorum. Differt tamen a lenone, quod leno scorta tantum et famosas perducebat, dum *perductor*, cujuscumque fœminæ feles, etiam dolo. Antiquo tamen lexico legitur μασ7ροπεύω, *lenocinor, perduco;* μασ7ρώπος, *leno, perductor.*

« De nocturnis ejus bacchationibus ac vigiliis lenonum, aleatorum, *perductorum* nulla mentio fiat. »

Cic. *in Verr.* III.

« Lenones, *perductores*, aquarioli. »

TERTULL. *Apolog.* 43.

« Apage istum a me *perductorem.* »

PLAUT. *Mostell.* III, II, 159.

PEREGRINUS-A-UM. — Rebus venereis translatum. Sic:

PEREGRINUM AMOREM CONCEDERE. — Jam alteri concessum alteri tradere. Gallice *faire une infidélité.*

« O facinus, inquam, indignum! Quod amo te quamvis relictus, et in hoc pectore, quum ingens vulnus fuerit, cicatrix non est. Quid dicis *peregrini amoris concessio?* »

PETRON. *Sat.*

PEREGRINÆ. — Meretrices. Undique Romæ confluebant mulieres barbaræ, quæstus gratia; quibus addendus est pene innumerabilis fœminarum bello captarum numerus, aut mangonibus in mercem traditarum. Pleraque ergo extranea scorta; unde et ex multitudine, *peregrina* idem sonat ac *meretrix*.

« Adeon' est demens ex *peregrina?* »

SENEC. *Androm.* III, I, 10.

Vide *Donat.*

Ab antiquo, et eodem sensu apud Hebræos.

« Puteus angustus *peregrina.* »

Proverb. Salom. XXIII, 27.

PERFICERE. — Rem ad effectum ducere.

« Nam dicitur cum eo jocatus esse Heliogabalus turpissime dicens: Maximine, sexdecim, viginti, triginta milites diceris aliquando lassasse; potes tricies cum muliere *perficere?* »

JUL. CAPITOLIN. *in Maximinis.*

Rem peragit nullam Sertorius, inchoat omnes:
Hunc ego, quum futuit, non puto *perficere*.
MART. III, LXXIX, 1 sq.

PERFORARE. — Verbum flagitiosum; præsertim de pædicante.

« Licetne *inforare*, si incomitiare non licet? — *Non inforabis* me quidem. »
PLAUT. *Curcul.* III, 31 sq.

Deprensos ego *perforare* possum
Tithonum, Priamumque, Nestoremque.
Priap. Carm. LXXVIII, 3 sq.

PERGULÆ. — Appendices externæ ædificiorum, quæ in publicum spectant, ut sunt podia et mæniana. Gallice *des balcons*. Metonymice de locis in quibus lenones scorta sua amatoribus exponunt. (*Scaliger, in lectionibus Auson. et Propert.*)

Ex Ausonio vero, *pergulæ* sunt casæ humiles, pauperum domicilia. Has inter interpretationes optabit lector, ad Plautum intelligendum, quum lenonem introducit mulieribus minitantem se in *pergula* sua eas expositurum, id est lupanare.

« Te ipsam culleo ego cras faciam ut deportere in *pergulam*; Ibi tibi adeo lectus dabitur, ubi tu haud somnum capias, Sed ubi usque ad languorem. »
PLAUT. *Pseudol.* I, II, 79 sqq.

PERIRE. — Amore contabescere, perdite amare.

Tris unam *pereunt* adolescentes *mulierem*
Rure unus, alter urbe, peregre tertius.
PLAUT. *Trucul. arg.* vers. 1 sq.

...... indigna merce puella *perit*.
PROPERT. II, XVII, 16.

PERMOLERE. — Vide MOLERE.

Nam simul ac venas inflavit tetra libido,
Huc juvenes æquum est descendere, non alienas
Permolere uxores.

HOR. *Sat.* I, II, 33 sqq.

PERSUASTRICES. — De meretricibus.

« . . . . ut si quis dicat, *persuastrices*, præstigiatrices, atque inductrices. »

FORTUNATIANUS, *Rhet.* III.

« . . . . eccas tandem! probri perlecebræ et *persuastrices.* »

PLAUT. *Bacchid.* V, II, 47.

PERTRACTATUS. — Tractatione tritus et obsoletus; de scortis et prostitutis. Unde pro rebus vulgatis et inquinatis. Sic Plautus :

« Profecto expediet fabulæ huic operam dare; Non *pertractate* facta est, neque item ut cæteræ; Neque spurcidici insunt versus immemorabiles; Hic neque perjurus leno est, nec meretrix mala, etc. »

Captiv. prolog. vers. 54 sqq.

PERTUNDERE. — In obscenis. Forare.

Nemo istum ventrem *pertundet*, etc.

LUCIL. *Frag.* 30.

Nam pransus jaceo, et satur supinus
Pertundo tunicam palliumque.

CATULL. XXX, 10 sq.

Hinc :

PERTUNDA.

« Etiamne *Pertunda* quæ in cubiculis præsto est, virginalem scrobem effodientibus maritis? »

ARNOB. *adv. Gent.* IV.

« Si adest dea Prema, ut subacta se non commoveat quum prematur; dea *Pertunda* quid id facit? »

AUG. *Civ. Dei*, VI, 9.

[redacted]

Pervigilia. — Proprie pernoctationes ad opus quodcumque ; religiose vero festa nocturna in honorem deorum. Vide *Tacit. Annal.* XV ; *Tit. Liv.* XXIII, 35 ; *Sueton. in Vitell.* 10 ; *Arnob. adv. Gent.* V, etc.

Ineunte aprili , celebrabantur *pervigilia* Veneris , (*Ovid. Fast.* IV, *init.*) et per tres noctes.

> Ipsa vellet ut venires , si deceret virginem ,
> Jam *tribus* choros videres feriatos *noctibus*.
>
> *Pervigil. Veneris*, 40 sq.

« Quid? tu Venerin' *pervigilare* te vovisti , Phædrome ? Nam hoc quidem edepol , haud multo post luce lucebit. »

Plaut. *Curcul.* I, iii, 25 sq.

Hic spurcissima peragebantur.

« Qui illam stupravit *pervigiliis* Veneris. »

A. Gell. XI, 23.

Inde :

Pervigilia. — Pro nocturnis libidinibus.

« Excepti etiam pluribus ferculis , quum laberemur in somnum : Itane est? inquit Quartilla , etiam dormire in mente est , quum sciatis Priapi genio *pervigilium* deberi ? »

Petron. *Sat.*

Pervigilium Veneris. — Notissimum carmen ex auctore incerto. Vide *Just. Lips. in probabilibus criticis*, p. 106 et 261. Elegantissimum certe, sed ad linguæ latinæ auream ætatem referri non potest, quod patet ex genere dicendi quibusdamque formulis ab ea abhorrentibus. Constat ex versiculo 51 , pro sacris in monte Hybla celebrandis editum fuisse.

Pessulus. — Pro pene.

Gemelli ostioli latebricosa
Vos spiracula *pessulis* serate,
Pessulis agitate complicatim.

Ex centonibus incerti, *ex Petronio Linocerii*, v. 50 sqq.

Petere. — In matrimonium. Sæpe pro stuprum rogare.

Multi illam *petiere*; illa aversata petentes, etc.

Ovid. *Met.* I, 4;8.

Nulli se dicit mulier mea nubere malle
Quam mi-hi, non si se Jupiter ipse *petat*.

Catull. LXV, 1 sq.

Nupta tu quoque, quæ tuus
Vir *petet*, cave ne neges,
Ne *petitum* aliunde eat.

Catull. LVI, 161 sqq.

Petulcus. — Lascivus.

.... neque oves, hædique *petulci*
Floribus insultent.

Virgil. *Georg.* IV, 10 sq.

« Et *petulci* dicti ab appetendo, unde et meretrices *petulcas* dicimus. »

Serv. *in Georg. loc. cit.*

Phallus. — Φάλλος. Penis fictitius, ex varia materia confectus, variosque in usus.

Primum ex ligno, potissimum ficulneo, ob ficus perspicuam fertilitatem. Is summa pertica ferebatur, tamquam vexillum, festis Priapi et Bacchi, quæ inde φαλλογόνια vocabantur. Vide Priapus, Fascinum, Ityphallus, et *Arnob. adv. Gent.* V.

2° Ex serica aut linea panna. Ad usum Lesbiarum. Vide Tribas.

3° Panes conficiebantur in similitudinem pudendorum. Vide Coliphia, Siligo.

Si vis esse satur, nostrum potes esse Priapum ;
Ipsa licet rodas inguina, purus eris.
MART. XIV, LXVII, 1 sq.

4° Et pocula ex vitro, aut auro. Pocillatorum icunculas exhibet Pignorius, *de Servis*, manibus Priapos illos extollentium.

« In poculis libidines cælare jussit, et per obscenitates bibere. »
PLIN. *initio lib.* XXXIII.

.... *vitreo* bibit ille *Priapo*.
JUV. II, 95.

PHALLICA CARMINA. — Versus qui canebantur ad *phallum* in Dionysiis. (*Suidas; Buleng. de Theatr.*)

PHILÆNIS. — Scripsit de variis modis coeundi, uti Elephantis et Cyrene.

Ad hanc puella (pene nomen adjeci)
Solet venire cum suo fututore;
Quo tot figuras, quot *Philænis* enarrat,
Non admovente, pruriginosa discedit.
Priap. Carm. LXIII, 15 sqq.

De libris *Philænidis* vide *Athen. lib.* VIII. Clara erat literis et philosophia, uti fere omnes meretrices græcæ.

Ardebat eam quidam Philocrates, sophista atheniensis, qui in vanum rogans et continua recusatione iratus, dicitur librum illum de concubitu scripsisse, et carmine satyrico *Philænidi* tribuisse. Negans vero *Philænis* tumulo suo inscribi jussit, se numquam tale flagitium conscivisse.

PHILTRUM. — Φίλτρον. Poculum amatorium. Veneficium ad compellendum amorem.

Hic magicos adfert cantus : hic Thessala vendit
Philtra, quibus valeat mentem vexare mariti,
Et solea pulsare nates.

Juv. VI, 609 sqq.

PHRYGES.—Mollissimi omnium populorum habebantur.

O vere *Phrygiæ*, neque enim *Phryges*, ite per alta
Dindyma, ubi assuetis biforem dat tibia cantum.

VIRGIL. *Æneid.* IX, 617 sq.

Barbarus est Lydus, servus Geta, *fœmineus Phryx.*

AUSON. *Eidyll. de Historiis.*

PICTURÆ OBSCENÆ. — Spurcæ et libidinem excitantes: jam Romæ usitatissimæ sub primis imperatoribus. Notum est ex Suetonio, Tiberium picturis instruxisse cubiculum suum, ex Elephantidis libro editis, *c.* 43.

Quæ manus *obscenas* depinxit prima *tabellas*,
  Et posuit casta turpia visa domo,
Illa puellarum ingenuos corrupit ocellos,
  Nequitiæque suæ noluit esse rudes.
Ah ! gemat in terris ista qui protulit arte
  Jurgia sub tacita condita lætitia !
Non istis olim variabant tecta figuris,
  Quum paries nullo crimine pictus erat.

PROPERT. II, VI, 27 sqq.

PILUMNUS. — Ex diis puerperæ custodibus.

« Mulieri fœtæ, post partum tres deos custodes Varro commemorat adhiberi.... eorumque custodum significandorum caussa tres homines nocte circuire limina domus, et primo limen ferire securi, postea *pilo*, tertio decurrere scopis; ut his datis culturæ signis, deus Silvanus prohibeatur intrare.... ab his autem tribus rebus tres nuncupatos deos, Intercidonam, a securis intercisione, *Pilumnum* a *pilo;* Deverra a scopis. »

AUG. *de Civ. Dei*, VI, 9.

PIMIACULA. — Cunni labia.

« Medius autem sinus mulieris ex membranis nervosis constat.... Intus autem spatiosissimus ; fons vero angustus, in quo coitus virorum et usus veneris efficitur, quem vulgus cunnum vocat. Cujus fons vel *labra*, Græce *eptyrogomata*, vel *pimiacula* dicuntur. »

Pseudo-literæ Q. Sorani ad Cleopatram reginam, de medendo ardore libidinis.

Pinguiarius. — Qui pingues fœminas amat.

Sed idem amicam nolo mille librarum.
Carnarius sum ; *pinguiarius* non sum.

Mart. XI, ci, 5 sq.

Pipinna. — Mentula. A *pipillare*, quod est avium; exiguo verbo in blandimentum.

Drauci Nata sui vocat *pipinnam*,
Collatus cui Gallus est Priapus.

Mart. XI, lxxiii, 1 sq.

Pisciculi.

« ... Quasi pueros primæ teneritudinis, quos *pisciculos* vocabat, instituerct, ut natanti sibi inter femina versarentur ac luderent. »

Sueton. *in Tib.* 44.

Pix. — Pro spermate.

Pubes pube subaffricetur,
Viscosa *pice* glutinetur hæc huic.

Virgiliocenton. incerti ex Petron. Linocerii.

Placere. — Verbum nuptum.

.... sed hi libelli,
Tanquam conjugibus suis mariti,
Non possunt sine mentula *placere*.

Mart. I, xxxvi, 3 sqq.

Plantarium. — Pili pudendorum; a re rustica translatum.

Quinque palæstritæ licet hæc *plantaria* vellant,
Elixasque nates labefactent forcipe adunca,
Non tamen ista filix nullo mansuescit aratro.

PERS. IV, 39 sqq.

PLENUS COITUS, PLENA VOLUPTAS, LIBIDO. — Quum res ad effectum ducta est.

« Dii, inquam, immortales, si ego huic dormienti abstulero *coitum plenum* et optabilem, pro hac felicitate, cras puero asturconem macedonicum optimum donabo. »

PETRON. *Sat.*

Sic notissimum illud Ovidii, *tunc plena voluptas Quum pariter victi*, etc.

.... adeo mea *plena libido*,
Ut Nymphas omnes interiisse putem.

Priap. Carm. XXXIII, 3 sq.

PLENA MULIER. — Gravida.

« Et quum te gravidam, et quum pulchre *plenam* adspicio, gaudeo. »

PLAUT. *Amph.* II, II, 49.

PLINIUS JUNIOR. — Lasciva carmina scripsit, quorum ipse meminit, *Ep.* XVII, petulantiamque excusat, *Ep.* IV, XIV, 15.

« Meminerint autem quippe eruditi, probatissimo viro *Plinio* in poematiis lasciviam, in moribus constitisse censuram. »

AUSON. *Cent. nupt.*

PODEX. — Inter obscena, fere semper in contumeliam.

Secti *podicis* usque ad umbilicum
Nullas relliquias habet Charinus, etc.

MART. VI, XXXVII, 1 sq.

Hietque turpis inter aridas nates
Podex velut crudæ bovis.

HOR. *Epod.* VI, 8 sq., *in anum libidinosam.*

Pœna. — De stupro nefando; 1° de pædicatione.

> PEnelopes primam DIdonis prima sequatur,
> Et primam CAni syllaba prima REmi;
> Quodque sit ex illis, mihi tu, deprensus in horto,
> Fur, dabis : hac *pœna* culpa luenda tua est.
>
> *Priap. Carm.* LXVII, 1 sqq.

2° De fellatione.

> Pædicere, puer, moneo; futuere, puella;
> Barbatum furem *tertia pœna* manet.
>
> *Priap. Carm.* XII, 1 sq.

Hinc:

Pœnas dare. — Pro stuprum pati.

« Jam pro cella meretrix assem exegerat; jam ille mihi injecerat manum ; et, nisi valentior fuissem, *pœnas dedissem.* »

Petron. *Sat.*

Pollucta. — Residua victimarum, quæ populo post sacrificium tradebantur. Metaphorice vero, pro scortis tritis; tanquam publicæ libidinis reliquiis.

« Non ego sum *pollucta* pago ; potin' ut me abstineas manum. »

Plaut. *Rud.* II, iv, 11.

Polluere. — In obscenis.

« Ascylton autem truci intuens vultu : quoniam, inquam, fidem scelere violasti et communem amicitiam, res tuas ocius tolle, et alium locum, quem *polluas*, quære. »

Petron. *Sat.*

Poma. — Vide *Lips. Antiq. lect.* 3, ubi dicitur, *legere poma, nuces, olera*, apud *Virgil.*, *Cic.*, *Catull.*, etc. verecunde ab hortis ad rem voluptarium translata esse. Quod apud Theocritum, μηλοβολεῖν.

> Rusticus indocte si quid dixisse videbor,
> Da veniam : libros non lego, *poma lego.*
>
> *Priap. Carm.* LXVIII, 1 sq.

Pondus. — Viri genitalia.

« Habebat enim inguinum *pondus* tam grande, ut ipsum hominem laciniam fascini crederes. »

Petron. *Sat.*

Stimulatus ut furenti rabie vagus animus,
Devolvit ipse acuto sibi *pondera* silice.
Itaque ut relicta sensit sibi membra sine viro, etc.

Catull. LVIII, 4 sqq.

Ponere. — In obscenis. Subigendam partem præbere.

« Quid vis tibi? — *Pone.* — Equidem pol, te datare credo consuetum, senex. — *Pone* hoc sis : aufer cavillam : non ego nunc nugas ago. »

Plaut. *Aulul.* IV, iv, 9 sqq.

Poppysma.—Oris pressi sonus, similis illi quo permulcentur equi et canes. Obscene vero de susurro cunni labiorum, quum frictu madescunt.

Accessi quoties ad opus, mistisque movemur
Inguinibus, cunnus non tacet, ipsa taces.
....
Pedere te mallem; namque hoc nec inutile dicit
Symmachus, et risum res movet ista simul.
Quis ridere potest fatui *poppysmata* cunni?
Quum sonat hic, cui non mentula mensque cadit?

Mart. VII, xviii, 5 sqq.

A græco ποππύζειν.

Porcus. — Virginum pudenda.

« Nam nostræ mulieres, maxime nutrices, naturam qua fœminæ sunt in virginibus appellant *porcum*, græce χοῖρον, significantes esse dignum insigni nuptiarum. »

Varr. *de Re rustic.* 14.

Hinc verbum græcum a Latinis usurpatum χοιροπωλεῖν, *porcum vendere*, pro corpore quæstum facere.

Porta. —Verbum nequitiæ; utriusque veneris foramen.

> At te tum miseri malique fati,
> Quem attractis pedibus, patente *porta*.
> Percurrent raphanique mugilesque.
>
> Catull. XV, 17 sqq.

Portorium.—Proprie pretium vecturæ; salse pro quæstu meretricio.

> « Ego pol! istum portitorem privabo *portorio*. »
>
> Plaut *Asin.* I, iii, 7.

Portus-us. — Eleganter a Plauto de re nautica ad venerem translatum.

> « Fixus hic apud nos est animus tuus clavo Cupidinis. Remigio veloque quantum poteris festina et fuge. Quam magis te in altum capessis, tam æstus te in *portum* refert. »
>
> Plaut. *Asin.* I, iii, 4 sqq.

Poscere. — Verbum nuptiale : petere uxorem.

> « Interea senex Megadorus, a sorore suasus ducere Uxorem, avari gnatam *deposcit* sibi. Durus senex vix promittit, etc. »
>
> Plaut. *Aulul. arg.* vers. 5 sqq.

Posse.— Ad venerem valere; arrigere.

> Num *possim* vetulam, quæris, Matrinia? *possum*
> Et vetulam; sed tu mortua, non vetula es.
>
> Mart. III, xxxii, 1 sq.

Potiri. —Absolute. Frui amore alicujus. Simili contractione Galli dicunt *jouir*.

> Amare liceat, si *potiri* non licet.
> Fruantur alii; non moror, non sum invidus, etc.
>
> Apul. Ἀνιχόμ. 1 sq.

Potior, Potissimus. — Primus apud amicam. Gallice *l'amant préféré*.

« Si iratum est scortum forte amatori suo, Bis periit amator, ab re atque animo simul. Sin alter alteri *potior* est, idem perit. Si increbravit, ipsus gaudet, res perit. »

PLAUT. *Trucul.* I, I, 25 sqq.

« Item huic ultro fit, ut Meret, *potissimus* nostræ domi ut sit. »

IDEM, *Menœchm.* II, III, 8 sq.

Nam, si quid in Flacco viri est,
Non feret adsiduas *potiori* te dare noctes,
Et quæret iratus parem.

HOR. *Epod.* XV, 12 sqq.

POTENS. — Qui amicam solus possidet, summa cum potestate. Quo regno gloriantur amasii. *Potior* vero primas partes habet; ergo non sine rivalibus.

Nunc admirentur quod tam mihi pulchra puella
Serviat, et tota dicar in urbe *potens*.

PROPERT. II, XXVII, 21 sq.

PRÆBERE. — Stuprum concedere.

Odi quæ *præbet*, quia sit *præbere* necesse,
Siccaque de lana cogitat ipsa sua.

OVID. Κατάλεπτα.

PRÆCIDERE. — Pædicare.

Reclusis foribus grandes *præcidis*, Amille:
Et te deprendi, quum facis ista, cupis.

MART. VII, LXII, 1 sq.

Dicat forsitan hæc sibi ipse: nemo
Præcisum sciet esse me; sed errat:
Magnis testibus ista res agetur.

Priap. Carm. XIV, 5 sqq.

PRÆCIDERE. — De irrumatione.

Hesterna factum narratur, Posthume, cœna
Quod nollem: quis enim talia facta probet?
Os tibi *præcisum*, quanto non ipse Latinus
Vilia Panniculi percutit ora sono.

MART. II, LXXII, 1 sqq.

Præcinctus. — Paratus ad venerem.

« Tres enim erant mulierculæ, si quid vellent conari, infirmissimæ, scilicet contra nos, quibus si nil aliud virile, sexus esset quod auxiliaretur. Et *præcincti* certe altius eramus. »

Petron. *Sat.*

« Ultimo cinædus supervenit : myrtea subornatus gausapila, cinguloque *subcinctus.* »

Idem, *ibid.*

Translatum a fabris, quibus mos erat se præcingere quum laboratum irent.

Præda, Prædator. — De furtis venereis.

« Jam ergo cœperam ephebum in gymnasium deducere; ego studia ejus ordinare; ego docere ac præcipere, ne quis *prædator* corporis admitteretur in domum. »

Petron. *Sat.*

Et alibi :

« Non frueris, inquit, hac *præda.* »

Præfecti mulieribus. — Moderatores luxuriæ muliebris apud Græcos; numero erant XX, γυναικόκοσμοι dicti.

« Non vero *mulieribus præfectus* præponatur qui apud Græcos creari solet; sed sit censor qui viros doceat moderari uxoribus. »

Cic. IV, *de Republ.*

Simili sensu necnon voto et consilio :

« Ut matronarum hic facta pernovit probe ! *Moribus præfectum mulierum* hunc factum velim. — Nunc quoquo venias, plus plaustrorum in ædibus Videas, quam ruri, quando ad villam veneris. »

Plaut. *Aulul.* III, v, 29 sqq.

Prælibatio. — Jus antiquissimum regum et magnatum, necnon dominorum in ancillas suas.

« Idem auctor Adromachides, Pœnorum gentem id moris habuisse indicat, ut nupturis virginibus regi suo addictis, ei copiam fecerint devirginandi quam vellet. »

JOACHIM. VADIANUS, *in Pompon. Mel.* V.

PRÆLIGARE. — Verbum technicum de maleficiis in amore, id est veneficiis, seu vinculis, quibus viri ligati et velut defixi sunt. Vide *Turneb.* II, 30. Inde locutio gallica *nouer l'aiguillette*. Sic Plautus : *O præligatum pectus !* *Bacchid.* I, II, 28.

PRÆLIUM. — Duellum venereum. A militia ductum.

Tum victor madido prosilias toro,
Nocturni referens vulnera *prælii*.

CLAUD. *in Nupt. Honor. et Mariæ.*

« Abi ergo, ac te compara, tota enim nocte, tecum fortiter et ex animo *præliabor*. »

APUL. *Met.* II.

Id mea me multis docuit regina querelis
Invisente novo *prælia* torva viro.

CATULL. LX, 19 sq.

Vide MILITARE, PUGNA.

PRÆPOTENS. — Forma præcellens, formosus.

« Certo enim, quod quidem ad nos duas Attinuit, *præpotentes*, pulchræ, pacisque potentes, soror, fuimus. »

PLAUT. *Pœnul.* V, IV, 8 sq.

PRÆPUTIUM. — Prius ei parti nomen illud imposuere Romani quam scirent a Judæis præsecari solitam. Ergo ex etymo vere græcum. Hinc :

PRÆPUTIUM DUCERE. — Pro masturbari.

Abditus interea latet et secretus adulter,
Impatiensque moræ silet, et *præputia ducit*.

JUV. VI, 237 sq.

PRÆSEPE. — Accipitur in obscenis.

« Acherontis pabulum, flagitii *Præsepe*, stabulum nequitiæ. »

PLAUT. *Casin.* II, 1, 12 sq.

Vide annotationes Taubmanni.

PRÆTEXTATUS-A-UM. — Quidquid puerile; a *prætexta* veste impuberibus peculiari. Sæpe pro impuro, a puerorum flagitioso officio. Hinc:

PRÆTEXTATI MORES. — Fœdi, dissoluti.

Mittentur braccæ, cultelli, frena, flagellum:
Sic *prætextatos* referunt Artaxata *mores*.

JUV. II, *vers. ult.*

PRÆTEXTATA VERBA. — Obscena.

« Erat enim dicacitatis plurimæ, et sic scurrilis ac sordidæ ut ne *prætextatis* quidem verbis abstineret. »

SUET. *in Vespas.* 22.

« Non *prætextatis*, sed puris honestisque verbis, venerandum illud concubii secretum. »

A. GELL. III, 10.

PREMA MATER. — Ex numero deorum qui nuptiis præerant. Specialiter providebat ista ne subacta virgo se ultra modum commovens semen a vulva ejiceret. Vide *Capell. de Nupt.* II, et *Tertull. ad Nationes*, II, 11.

PREMERE. — Sæpe in obscenis.

Dum stupet ac novus est, et adhuc non novit amorem,
Parce: *premendus erit*, quum veteranus erit.

Vet. poet. catalect. ex Valeto.

PRETIOSI, PRETIOSÆ. — Qui, quæ noctes suas magno vendunt; a *pretio* impudicitiæ.

« Quid porro non est iniquum fortes viros arma sumere, et in castris pernoctare, et pro vallo obligatos stare vulneribus;

interim, securos esse in urbe *pretiosos* et professos impudicitiam? »

SENEC. *lib. de divin. Provid.*

Quæritis unde *avidis nox sit pretiosa puellis*,
Et venere exhaustæ damna querantur opes.
Certa quidem tantis caussa et manifesta ruinis,
Luxuriæ nimium libera facta via est.

PROPERT. III, XI, 1 sqq.

Ab omni enim memoria, mulierum fuit, quum ex dote aut censu virorum luxuriæ suppeditare non possent, flagitiis supplementum conquirere. Sic ex Euripide, non amoris aut libidinis caussa abiit Helenes, sed ob Menelai paupertatem. Hinc apud Horatium, metonymica permutatione :

PRETIOSUS. — Qui stuprum quovis pretio sollicitat; genus perditorum, meretricibus reipsa pretiosissimum.

Sed jussa coram non sine conscio
Surgit marito, seu vocat institor,
Seu navis hispanæ magister,
Dedecorum *pretiosus* emptor.

HOR. *Od.* III, VI, 29 sqq.

PRIAPUS. — Notissima est ejus fabula. Quæ sequuntur minus trita.

Ex Venere et Baccho natus, sed ex India redeunte: quod notat, ex Oriente genus humanum in Europam profluxisse. Fons enim primus hominum mollis et fecundissima Asia.

Magno pene dotatus est, significando coloniæ nascentis primam necessitatem esse, procreatione liberorum civitatem augeri.

Hortorum custos, tanquam vitæ germinum sator et conservator.

Ficus tandem *Priapo* sacrata, ob perspicuam fertilitatem hujus arboris.

Hæc omnia patent ex antiquis scriptoribus : unde *Priapum* prisca in Græcia πρωτόγονον appellabant, id est, primum hominem.

Nuda ergo ab ævo et rustica *Priapi* festa, tamen pudica. Vide FASCINUM, PHALLUS ; sed erumpente libidine, probrissimis flagitiis inquinata fuere. In Dionysiis statua ejus per vicos et plateas circumferebatur, flagitiosis verbis conclamata.

« . . . donec illud membrum undique transvectum in loco suo quiesceret. Cui membro inhonesto, matremfamilias honestam coronam necesse erat imponere. »

AUG. *de Civ. Dei.*

Sacris *Priapi* asinus immolabatur, in memoriam cujusdam nocturnæ comessationis deorum, in qua quum vim inferre Vestæ dormienti conaretur Priapus, intempestivo clamore Sileni patris aselli excitata dea, magno spectantium risu jam pene subacta, mentulatum rejecit et effugit. (*Ovid. Fast.* I.)

Alio modo tradit Hyginus, dicens Lampsacenos asinum *Priapo* immolare consuevisse, tanquam, publico concursu, ab illo superatum magnitudine penis.

PRIMARIUS. — Qui primus muliere aut puero potitus est, aut possidet tamquam herus et dominus.

« Quoad *primarius* vir dicat, comprime hunc, sis, si tuus es. »

PLAUT. *Rud.* IV, IV, 29.

Primaria. — Potior, præpotens inter ejusdem viri amicos.

« Sed ecqua ancilla est illi? — Est *primaria.* — Ea quoque opus est; ita præcipito mulieri, atque ancillulæ, Ut simulet se tuam esse uxorem. »

Plaut. *Mil.* III, 1, 199 sqq.

Proba. — Pudica. Fœminarum laus maxima.

« Nam *proba* et pudica quod sum consulo; et parce mihi, quoniam comparatum est, uno ut simus contentæ viro. »

Afran. *Epist. commiss.*

« *Probæ*, formosæque, in pretio sunt. »

Pompon. Mel. II.

Nullus erit castis juvenis corruptor in agris,
Qui te blanditiis non sinat esse *probam*.

Propert. II, xx, 3 sq.

Pudica et *proba* redde codicillos.

Catull. XXXIX, 32.

Et poterit dici rustica, si qua *proba* est.

Ovid. *Remed.* I, v, 230.

Probrum. — *Probra* et opprobria proprie significare adulteria docet Scipio Gentilis, *Paregr.* I, 21. Sic apud Livium, *matronæ probri accusatæ*, et Alcumena in Plauto:

« Durare nequeo in ædibus: ita me *probri*, *Stupri*, dedecoris a viro argutam meo! »

Plaut. *Amph.* III, ii, 1 sq.

Postea, de quibuscumque flagitiis.

« Suppostrix puerûm! ego edepol jam tua *probra* aperibo omnia. »

Plaut. *Trucul.* IV, ii, 49 sq.

Procaces. — Scorta, meretrices.

« *Procari* poscere est; unde et *proci*, et *procaces* meretrices. »

FEST.

« *Procaciores* estis vos; sed illi perjuriosi. »

PLAUT. *Pœnul.* I, II, 52.

Græcule, consueta lenandi callidus arte,
Cœpisti adductor conjugis esse tuæ.
Et quem forte *procax* penitus conroserat uxor,
Consueras patria præcipitare domo.

Vet. poet. catalect. ex Valeto.

PROCACES LUSUS. — Poemata ludicra, obscena.

Carminis incompti *lusus* lecture *procaces*,
Conveniens Latio pone supercilium.

Priap. Carm. Præfat. vers. 1 sq.

PROCI. — Virginum petitores ad legitimum connubium.

« Olim duæ majores sorores, quarum temperatam formositatem nulli diffamarunt populi, *procis* regibus desponsæ, jam beatas nuptias adeptæ, etc. »

APUL. *Met.* IV.

PROCREATRIX. — Genitrix. Verbum religiosum de Venere.

Intus occultis gubernat *procreatrix* viribus,
Perque cælum, perque terras, perque pontum subditum,
Pervium suì tenorem seminali tramite
Imbuit, jussitque mundum nosse nascendi vias.

Pervigil. Ven. 63 sqq.

PROCULUS. — Poeta insignis; scripsit elegias de amoribus.

Callimachi *Proculus* molle teneret iter.

OVID. *ex Ponto* IV, V, 16.

PROCULUS. — Imperator, adeo libidinosus, ut centum Sarmatas virgines bello captas diebus quindecim (ut ipse gloriabatur) stupraverit et gravidas reddiderit. Vide Vopisc. *in Proculo*, et Sabell. *in Exemplis.*

Cognomine generico *Proculi* nominabantur, qui nati a patre peregrinante; id est, *procul a patria.*

Producere. — Ministerium lenonis. Ad stuprum puerum aut puellam adducere, aut quoquo modo conciliare.

« Homines ipsi hanc sibi molestiam, ultro atque ærumnam offerunt. Ducunt uxores, *producunt* quibus hæ faciant liberos. »

Lucil. *apud Non. Marc.*

« Continuoque *producta* est puella satis bella, et quæ non plus quam septem annos habere videbatur. »

Petron. *Sat.*

Projicere. — Verbum technicum de pueris quos parentes ejiciebant domo, et publice exponebant juxta columnam lactariam. Gallice *enfans abandonnés*; unde *projectitii* dicebantur.

« Prius hanc compressit, quam uxorem duxit domum : Prius gravida facta est, priusque peperit filiam : Eam postquam peperit, jussit parvum *projici*; Ego eam *projeci*, alia mulier sustulit. »

Plaut. *Cistell.* II, III, 72 sqq.

Prolubido, Prolubies, Prolubium. — Ardor, uredo, desiderium vehemens agendi quod lubet.

« Muliebre ingenium, *prolubium*, occasio. »

Accius, *Andromeda, apud Non. Marc.*

« Quo quidem me a matronali pudore, *prolubium* meretricis progredi coegit. »

Laberius, *apud eumdem.*

Vide Varr. de *Ling. lat. lib.* V, ubi docet, *prolubiem* et *prolubidinem* dici ab eo quod lubeat; unde etiam lucus Veneri *Lubentinæ* dicatur.

Promulsis. — Levis ille cibus qui primum convivis dabatur, ante *mulsum*, id est ante primam potationem, et ad excitandam sitim. Metaphora vero, ab hoc ritu

cœnæ, pro *præludiis veneris*. Vide Lips. *Antiq.* III; Turneb. *Adv.* XXIII et XXVIII. Eodem sensu Seneca, *Controv. pararium veneris;* vide ANTECŒNIUM.

« Mox manum demisit in sinum, et pertracto vasculo tam rudi : Hoc, inquit, belle cras in *promulside* libidinis nostræ militabit; hodie enim post asellum, diaria non sumo. »

PETRON. *Sat.*

PRONUBA. — Cognomen Junonis, quæ nubentibus præest.

Speluncam Dido dux et Trojanus eamdem
Deveniunt : prima et Tellus et *pronuba* Juno
Dant signum....

VIRGIL. *Æneid.* IV, 165 sqq.

Non ego sum furtim tibi cognita : *pronuba* Juno
Adfuit....

OVID. *Heroid.* VI, 43.

PRONUBI. — Adolescentuli qui novam nuptam comitabantur a patre ad domum mariti. Gallice *garçons de la noce.*

« Auspices, *pronubi*, παράνυμφοι. »

Vet. Glossarium.

« Patrimi et matrimi prætextati tres nubentem deducunt : unus qui facem præfert e spina alba, quia noctu nubebant; duo qui tenent nubentem. »

FEST.

PROPENSIOR NATURA. — Nativus ardor in venerem.

« Appellatusque est sui temporis Priamus, ob liberorum multitudinem; quem vulgo jocanter, quod esset *naturæ propensioris* Priapum, non Priamum sæpe vocitarunt. »

JUL. CAPITOLIN. *in Gordian.*

PROPUDIUM. — De persona; pro impudico.

« Tun' audes etiam servos spernere? *Propudium*, quasi bella sit; quasi eampse reges ductitent. En monstrum mulieris! »

PLAUT. *Pœnul.* I, II, 59 sqq.

PRORSA. — Dea prægnantium, quam deprecabantur ut partus esset rectus et naturalis.

« Pueros esse in utero, Varro dicit, capite infimo nixos, sursum pedibus elatis... Quando igitur contra naturam forte conversi in pedes, brachiis plerumque diductis retineri solent, ægrius mulieres enituntur; hujus periculi deprecandi gratia, aræ statutæ sunt Romæ duabus Carmentibus, quarum una *Postversa* nominata est, et *Prorsa* altera, a recti perversique partus et potestate et omine. »

A. GELL. XVI, 16.

Vide CARMENTA.

PROSEDÆ. — Meretrices; a prosedendo in meritoriis et fornicibus. Scortorum enim apud antiquos plus *sedere* mos erat, quam deambulare.

« Thamar illa quæ se expinxerat, idcirco justæ suspicioni visa est quæstui *sedere*. »

TERTULL. *de Cultu fœminarum.*

« Ubi, inquit, non fuisti vitiata? juxta vias *sedisti* illis? »

JEREM. *Cap.* II.

« Et mutato habitu, *sedit* (Thamar) in bivio itineris. »

Genes. XXXVIII, 14.

« Turba est nunc apud aram. An te ibi vis inter istas versarier *Prosedas*, pistorum amicas, reliquias, alicarias, Miseras, schœno delibutas, servulicolas sordidas? Quæ tibi olent stabulum, statumque, sellam et sessibulum merum. »

PLAUT. *Pœnul.* I, II, 53 sqq.

PROSERPENTEM BESTIAM FACERE. — Promiscuis linguis se mutuo basiari. Genus osculi a Græcis vocatum

[redacted]

καλαγλώττισμα. A serpentibus, quorum lingua bisulca ex antiquis, ut patet ex Aristot. *de Parte animal.* II, *cap. ult.*

« *Fac proserpentem bestiam* me, duplicem ut habeam linguam. »

PLAUT. *Asin.* III, III, 105.

PROSTARE. — Peculiariter in obscenis. *Prostat* patiens cujuscumque libidinis.

Quum populum gregibus comitum premat hic spoliator
Pupilli *prostantis*....

JUV. I, 46 sq.

Et linguam, et mores, et cum tibicine chordas
Obliquas, necnon gentilia tympana secum
Vexit, et ad circum jussas *prostare* puellas.

IDEM, III, 63 sqq.

PROSTIBILIS. — Conditione sua meretrix, scortum.

« Nam hercle absque me Foret et meo præsidio, hic faceret te *prostibilem* propediem. »

PLAUT. *Pers.* V, II, 55 sq., *ubi de libertinorum moribus.*

« *Prostibili* est autem stantem stanti savium Dare amicum amicæ : euge, euge ! sic furi datur. »

IDEM, *Stich.* V, VI, 4 sq.

PROSTIBULA, PROSTIBULUM.

« Inter meretricem et *prostibulam* hoc interest, quod meretrix honestioris loci est et quæstus; nam meretrices a merendo dictæ sunt, quod copiam suî tantum modo noctu facerent; *prostibula*, quod ante stabulum stet, quæstus diurni et nocturni caussa. Plautus Cistellaria manifestissime discrevit : *intro ad bonam meretricem; adstare in via solum, prostibulæ sane est.* »

NON. MARC. *Nonnullar. dictionum differentiæ.*

Prostibula ergo, vilia scorta et admodum vulgatissima.

Si nihil ad faciem, et solum lupa, *prostibulumque*
Nummi opus atque assis.

LUCIL. *Frag.* IX, 20 sq.

PROSTIBULA SCENICA. — Per ludos publicos, lupanaria et quod in lupanaribus agebatur in scenam prodire antiquos non pudebat, et quæcumque paulo ante perditi et libidinosi per se natantibus oculis viderant. Vide PASIPHAE et ATELLANÆ.

Et apparet quidem ex Tertulliano passim, productionem illam scortorum non sine pompa celebrari, et præconum publica prædicatione. De hac licentia intelligendus est Plautus, in prologo *Casinæ*:

« Revortor ad illam puellam expositítiam, Quam servi summa vi sibi uxorem expetunt. Ea invenietur et pudica et libera, Ingenua Atheniensis : *neque quicquam stupri Faciet profecto in hac quidem comœdia.* Mox hercle vero post, transacta fabula, Argentum si quis dederit, ut ego suspicor, Ultro ibit nuptum, non manebit auspices. »

PLAUT. *Prolog. Casin.* vers. 79 sqq.

PROSTITUERE. — Stuprandum tradere. Qui sese *prostituit*, scortum est.

Aut facere ingenuæ est, aut non promisse pudicæ,
Aufilena, fuit; sed data corripere
Fraudando, efficitur plus quam meretricis avaræ est,
Quæ sese toto corpore *prostituit*.

CATULL. CV, 5 sqq.

Qui vero alterum *prostituit*, leno est, aut conciliator.

Inspexit molles pueros, oculisque comedit;
Non hos, quos primæ *prostituere* casæ:

[redacted]

Sed quos arcanæ servant tabulata catastæ,
Et quos non populus, nec mea turba videt.

MART. IX, LIX, 3 sqq.

PRO TELO CÆDERE. — In obscenis : a re rustica translatum ; nam arando sulcum, quum recte et continuo rusticus ageret, tunc dicebatur *pro telo* ducere, ut patet ex Lucilio, *Frag.* VI, 2.

Deprendi modo pupulum puellæ
Trusantem : hunc ego, si placet Dionæ,
Pro telo rigida mea cecidi.

CATULL. LII, 5 sqq.

PROTERVITAS. — Petulantia prurientium fœminarum.

Urit me Glyceræ nitor
Splendentis Pario marmore purius :
Urit grata *protervitas*,
Et vultus nimium lubricus adspici.
In me tota ruens Venus
Cyprum deseruit, etc.

HOR. *Od.* I, XIX, 5 sqq.

PROVERBIA EROTICA :

Ex Plauto :

« Quasi piscis, itidem est amator lenæ; nequam est, nisi recens. »

Asin. I, III, 26.

« Argentum accepi, dote imperium vendidi. »

Ibid. I, I, 76.

« Esca est meretrix; lectus, *illix;* amatores, aves. »

Ibid. I, III, 68.

« Nec mutam profecto repertam ullam esse Hodie dicunt mulierem ullo in sæculo. »

Aulul. II, I, 6 sq.

« Quæ indotata est, ea in potestate est viri : Dotatæ mactant et malo et damno viros. »

Ibid. III, V, 60 sq.

« Bonum est pauxillum amare sane ; insane non bonum est. »
Curc. I, III, 20.

« . . . . qui amat, si egat, misera afficitur ærumna. »
Ibid. I, II, 53 sq.

« . . . . amor et melle et felle est fecundissimus : Gustu dat dulce ; amarum ad satietatem usque oggerit. »
Cistell. I, I, 71 sq.

« Meretrix fortunati est oppidi simillima ; Non potest suam rem obtinere sola sine multis viris. »
Ibid. I, I, 82 sq.

« . . . illecebrosius Fieri nihil potest, nox, *mulier*, vinum, homini adolescentulo. »
Bacch. I, I, 54 sq.

« Anima est amica amanti : si abest, nullus est. »
Ibid. II, II, 16.

« Matronæ, non meretricium est, unum inservire amantem. »
Mostell. I, III, 33.

« Mulier recte olet, ubi nihil olet. »
Ibid. 116.

« . . . . nequicquam mulier exornata est bene, si morata est male : Pulchrum ornatum turpes mores pejus cœno collinunt. »
Ibid. I, III, 132 sq.

« Meretrix tantisper blanditur, dum illud quod rapiat, videt. »
Menæchm. I, III, 11.

« Muliebri fecisti fide. »
Mil. II, V, 46.

« . . . . in mala uxore atque inimico si quid sumas, sumptus est ; In bono hospite atque amico, quæstus est, quod sumitur. »
Ibid. III, I, 79 sq.

« .... bona uxor, si ea deducta est usquam gentium, Ubi eam possim invenire ? »

Ibid. III, I, 91 sq.

« Si quid faciundum est mulieri male atque malitiose, Ea sibi immortalis memoria est meminisse et sempiterna ; Sin, bene quid aut fideliter faciundum est, eo deveniunt, Obliviosæ extemplo uti fiant, meminisse nequeunt. »

Ibid. III, III, 14 sqq.

« Qui amat quod amat, si id habet, id habet pro cibo : Videre, amplecti, osculari, adloqui. »

Merc. IV, IV, 4 sq.

« Negotii sibi qui volet vim parare, Navem et mulierem hæc duo comparato. Nam nullæ magis res duæ plus negotii Habent, forte si occeperis exornare. »

Pœnul. I, II, 1 sqq.

« Meretricem pudorem gerere magis decet, quam purpuram. »

Ibid. I, II, 91.

« Neque tippulæ levius pondus est quam fides lenonia. »

Pers. II, II, 62.

« Qui potest mulieres vitare, vitet ; ut quotidie Pridie caveat, ne faciat quod pigeat prostridie. »

Stich. I, II, 64 sq.

« Hostis est uxor, invita quæ ad virum nuptum datur. »

Ibid. I, II, 83.

« Hæc facetia est, amare inter se rivales duos, Uno cantharo potare, et unum scortum ducere. »

Ibid. V, IV, 47 sq.

« .... ita est ingenium muliebre ; Bene quum lauta est, tersa, ornata, ficta est ; infecta est tamen. »

Ibid. V, V, 3 aq.

« .... qui in amorem Præcipitavit, pejus perit, quam si saxo saliat. »

Trinumm. II, I, 30 sq.

« Mulieri nimio malefacere melius est onus, quam bene. »

Trucul. II, v, 17.

« Meretricem esse similem sentis condecet, Quemquam hominem attigerit profecto aut malum aut damnum dari. »

Ibid. II, i, 16 sq.

Ex variis :

.... mulier cupido quod dicit amanti,
In vento et rapida scribere oportet aqua.

CATULL. LXV, 3 sq.

Conjugis iratæ noli tu verba timere,
Nam struit insidias lacrymis, quum fœmina plorat.

DIONYS. *Cat. dist.* II, 8 sq.

Nil temere uxori de servis crede querenti;
Sæpe etenim mulier quem conjux diligit, odit.

IDEM, III, 13 sq.

Crede ratem ventis, animum ne crede puellis;
Namque est fœminea tutior unda fide.
Fœmina nulla bona est; et, si bona contigit ulla,
Nescio quo fato res mala facta bona est.

PETRON. *Pseudepigr. Ciceroni a quibusdam adscriptum.*

Uxor legitimus debet quasi census amari;
Nec vellem censum semper amare meum.

PETRON. *Frag. ex edit. Valeti.*

« Fœminarum curam gerere, desperare est otium. »

PUBL. SYRUS.

Quid levius pluma? flamen. Quid flamine? ventus.
Quid vento? mulier. Quid muliere? nihil.

Incerti.

« Linguam, ventrem, veretrum contine. »

Translatum a græco.

Omnis mulier intra pectus celat virus pestilens.
Dulce de labris loquuntur, corde vivunt noxio.

FLORIDI, *de Qualitate vitæ*, II, 1 sq.

[redacted]

Balnea, vina, venus corrumpunt corpora nostra,
Et vitam faciunt balnea, vina, venus.

Catalect. vet. poet. ex Valeto.

. . . . fortes adjuvat ipsa Venus.

TIBULL. I, II, 16.

. . . . nulli reparabilis arte
Læsa pudicitia est. . . .

OVID. *Epist.* V, 103 sq.

. . . . . . voluptates commendat rarior usus.

JUV. XI, 208.

« Amantium iræ, amoris integratio est. »

TERENT.

« Probitas pudorque, virgini dos optima. »

IDEM.

« Aut odit, aut amat mulier; nil tertium. »

PUBL. SYRUS.

« Amicitia semper prodest; amor et nocet. »

IDEM.

Quæ casta est? de qua mentiri fama veretur.

AUSON. *Sept. sap.*

Par pari jugatur conjux; quidquid impar, *dissidet.*

IDEM, *ibid.*

Ex sacris literis :

« Aquæ furtivæ dulciores sunt; et panis absconditus suavior. »

Liber Proverb. IX, 17.

« Mulier diligens corona est viro suo. »

Ibid. XII, 4.

« Fovea enim profunda est meretrix; et puteus angustus aliena. »

Ibid. XXIII, 28.

« Tria sunt insaturabilia : infernus, *os vulvæ* et terra. »

Ibid. XXX, 15.

« Scortum in domo, quod eruca sesamis. »

Proverbium thalmudicum.

Hic *eruca* pro verme illo qui folia plantarum consumit. Vide Drusii *Quæstiones Hebraicas, lib.* III, *quæst.* 48.

PROXENETÆ. — Apud Græcos viri publici, excipiendis hospitibus præfecti; Latinis vero, conciliatores et incessores cujusquumque mercis emptorem inter et venditorem. Unde pro negotiatoribus nuptiarum aut mandato, aut proprio motu, et tunc ratione officii quasi publici. Vide *ff. de Proxenetis*, et *Cod. tit.* V, *lib.* II.

PRURIRE. — Ardere concubitum. Lascivire.

Nec de Gadibus improbis puellæ
Vibrabunt sine fine *prurientes*
Lascivos docili tremore lumbos.

MART. V, LXXVIII, 26 sqq.

Quod totis mihi noctibus fatigant
Vicinæ sine fine *prurientes*,
Vernis passeribus salaciores.

Priap. Carm. XXV, 3 sqq

Et sæpe pro rem ipsam facere.

Quid facit is, Gelli, qui cum matre atque sorore
Prurit, et abjectis pervigilat tunicis?

CATULL. LXXXIII, 1 sq.

PRURIGO. — Ardor venereus.

Pœnitet obscenæ *pruriginis?* an magis illud
Fles, quod percidi, Papile, desieris?

MART. IV, XLVIII, 3 sq.

PRURIGINIS ARMA. — Instrumenta quibus lascivæ saltationes excitabantur.

Cymbala cum crotalis, *pruriginis arma*, Priapo
Ponit, et adducta tympana pulsa manu.

Pro quibus, ut semper placeat spectantibus, orat,
Tentaque ad exemplum sit sua turba dei.
Priap. Carm. XXVI, 3 sqq.

PSECAS. — Ornatrix : nomen ab arte impositum, quod ornatrices paululum crines componendos irrorabant. A græco ψέκαζειν, *minutum irrigare.*

Veneri litabant pleræque *psecades*, ut patet ex veteri lapide : VENERI. SACRVM. CASSIA. I. I. PSECAS.

Disponit crinem, laceratis ipsa capillis,
Nuda humeros *psecas* infelix, nudisque mamillis.
JUV. VI, 490 sq.

PSOLEOS. — Verpus penis, ψώλεος.

Psoleon ille vocat, quod nos *psoloenta* vocamus;
Id quod nos culum, culeon ille vocat.
Priap. Carm. LXVIII, 5 sq.

PUBES. — Lanugo pudendorum.

Intra viscera furis ibit usque
Ad *pubem*, capulumque coleorum.
Priap. Carm. XXIV, 6 sq.

Pubes pube levi subaffricetur,
Viscosa pice glutinetur hæc huic.
Ex Virgiliocent. incerti. ex Petron. Linocerii.

PUBLICA VIA ; PUBLICUS LOCUS. — Lupanar. Quicumque locus in quo vulgivaga venus agitatur.

« Quin leno hic habitat. — Nemo hinc prohibet, nec vetat Quin quod palam est venale, si argentum est, emas. *Nemo ire quemquam publica prohibet via.* »

PLAUT. *Curcul.* I, 1, 33 sqq.

PUDENDA. — Cultu solemni consecrata apud antiquos, præcipue ab Ægyptiis in honorem Osiris. Trucidato enim illo a fratre Tryphone, corpori ejus invento de-

fuerunt virilia, atque, ne ad sepulturæ desiderarentur solemnitatem, jussum est ab Iside effigiem eorum per plateas circumferri. Præambulabant tibicines, et sequebantur matronæ lasciva cantantes.

Romæ quotannis agebatur Osiris festum mense augusto : phallum valde mentulatum gestabant matronæ palam et cum pompa, inque ædem Veneris extra mœnia deferebant.

Adhibebantur et meretrices; sed id sacrum tractare nemini licebat, nec sinu deæ deponere, nisi matronæ pudicæ.

> Schemate non dubio, sed aperte nominat illam,
> Quam recipit sexto mense superba Venus.
>
> MART. III, LXVIII, 7 sq.

PUDIBILIA. — Pudenda virorum.

> « Ad honores reliquos promovit commendatos sibi *pudibilium* enormitate. »
>
> LAMPRID. *in Heliogabal.*

PUDICA VIRGO. — Cujus nemo pudicitiam delibavit; intacta.

> « Jamne ea fert jugum? — Tam a me *pudica* est, quasi soror mea sit; nisi Si est osculando quippiam impudicior. »
>
> PLAUT. *Curcul.* I, 1, 50 sqq.

PUDICA MATRONA. — Quæ soli marito incumbit. Vide PROBA.

> Et quamvis Ithaco stertente, *pudica*, solebat
> Illic Penelope semper habere manum.
>
> MART. XI, CV, 15 sq.

PUDICUS TORUS. — Castus a spurcis libidinibus: more sponsorum.

Nox non ebria, sed soluta curis;
Non tristis *torus*, et tamen *pudicus*.

MART. X, XLVII, 9 sq.

PUDICITIA. — Dea castitatis, cui Romæ duo fana :

1° *Pudicitia patricia*. Ædes ejus in foro boario ad rotundam Herculis. Eam ingredi non licebat nisi iis qui semel nupsissent.

2° *Pudicitia plebeia*. Ædicula ejus in vico longo condita, a Virginia, quæ patriciis parentibus orta, sed nupta plebeio, sacris *patriciæ Pudicitiæ* arcebatur. Vide Titum Livium.

Templa *Pudicitiæ* quid opus statuisse puellis,
Si cuivis nuptæ quidlibet esse licet ?

PROPERT. II, VI, 25 sq.

PUDICITIAM PELLERE. — Devirginare. Ex lege romana puellis temeratis alimenta debebantur ab illis

« Qui earum *pudorem verecundiamve pulsavere*. »

L. pecuniæ sortem, *ff. de alimentis vel. cib. leg.*

« Plane hic ille est, qui mihi in Epidauro primus *pudicitiam Pepulit*. »

PLAUT. *Epidic.* IV, I, 14 sq.

PUDOR.—Exquisitissimum ornamentum utriusque sexus. Magis enim dictitabat M. Cato sibi placere qui *erubescebant*, quam qui pallescebant.

« *Pudor* enim veluti vestis, quanto obsoletior est, tanto incuriosius habetur. »

APUL. *Apolog.*

« Nam ego illum periisse duco, cui quidem periit *pudor*. »

PLAUT. *Bacchid.* III, III, 81.

Tardat ingenuus *pudor*,
Quæ tamen magis audiens
Flet, quod ire necesse sit.

CATULL. LVI, 81 sqq.

PUELLA. — Vox generica de muliere, et ratione sexus; sed vaga admodumque varia in designatione. Sic:

PUELLA. — Virgo viripotens.

Paulatimque anima caluerunt mollia saxa,
Et maribus nudas ostendit Pyrrha *puellas*.

JUV. I, 83 sq.

PUELLA. — De uxore.

Notum est, cur solo tabulas impleverit Hister
Liberto, dederit vivus cur multa *puellæ*.

JUV. II, 58 sq.

PUELLA. — De gravida.

Montium custos nemorumque virgo,
Quæ laborantes utero *puellas*
Ter vocata audis.....

HOR. *Od.* III, XXII, 1 sqq.

PUELLA. — De scorto et meretrice.

Mox lenone suas jam dimittente *puellas*,
Tristis abit.....

JUV. VI, 126 sq.

.... et cum tibicine chordas
Obliquas, necnon gentilia tympana secum
Vexit, et ad circum jussas prostare *puellas*.

JUV. III, 63 sqq.

PUELLA VALENS. — Corpore quæ succi pleno venerem tolerare valet.

Gellius est tenuis. Quidni? cui tam bona mater,
Tamque *valens* vivat, tamque venusta soror.

CATULL. LXXXIV, 1 sq.

PUELLA SPERATA. — In matrimonium destinata.

« Meam spem te cupio consequi. — Sequor hercule quidem; nam lubenter, *mea sperata*, consequor. »

PLAUT. *Frag. Astrab.* I sq.

« Amphitruo uxorem salutat lætus *speratam suam.* »

IDEM, *Amph.* II, II, 39.

PUELLASCERE. — Effœminari.

« Quod non solum innubæ fiunt communes, sed etiam veteres *puellascunt*, et multi pueri *puellascunt.* »

VARR. *Baiis, apud Non. Marc.*

PUELLITARI. — Venerem agere.

« Quænam vos dementia suppositores facit cum cano eugio *puellitarier ?*

LABERIUS.

PUELLUS. — Diminutivum a pueris.

« Peliam Medeæ permisisse ut se vel vivum degluberet, dummodo redderet *puellum.* »

VARR. *Marcip. apud Non. Marc.*

Quumque hic tam formosus homo, ac te dignu' *puellus.*

LUCIL. *Frag.* IV, 22.

.... et nactæ post sunt tamen unde *puellos*
Suscipere, et partu possent ditescere dulci.

LUCRET. IV, vers. 1246 sq.

PUERÆ. — Pro *puellæ.*

« Properate vivere, *pueræ*, quas sinit ætatula ludere, esse, amare, et Veneris tenere bigas. »

VARR. *apud Non. Marc.*

Vide Sueton. *Caligul.* 108

PUER. — Παῖς. Usitatissimus, ut nemo nescit, *puerorum* in venerem usus apud antiquos. Vide AVERSA VENUS, OFFICIUM PUERILE, etc.

Sic uni tibi sit *puer* cinædus,
Et castissima pruriat puella.

MART. IX, XC, 7 sq.

Intra septimum annum prostituebantur pueri et erant in commercium, quod mangonibus prohibuit Domitianus, necnon spadones fieri, infandæ libidinis diverticulum inventum a lenonibus.

Tibi, summe Rheni domitor et parens orbis,
Pudice princeps, gratias agunt urbes.
. . . .
Non *puer* avari sectus arte mangonis
Virilitatis damna mœret ereptæ;
Nec quam superbus computet stipem leno,
Dat prostituto misera mater infanti.

MART. IX, VI, 1 sqq.

Coma *pueris* nutriebatur.

Audi quem *puerum*, Flacce, rogare velim.
. . . .
Lumina sideribus certent; mollesque flagellent
Colla comæ. Tortas non amo, Flacce, comas.

MART. IV, XLII, 2 sqq.

Sed postquam puberes ætate facti, aut quum uxorem duceret dominus, tondebantur, in signum dimissionis a libidinoso officio.

Tondebit *pueros* jam nova nupta tuos.

MART. XI, LXXIX, 4.

Erat Romæ theatrum parvulorum, quo pueri comœdi agebant, quale ævo nostro edidit Parisiis celeber *Audinot*. Vide Turneb. *Advers.* IX, 4, et Mart. XIV, 214.

Hic non omittendum hospitia publica quibus alebantur pauperum pueri et puellæ, necnon projectitii,

partim ære imperatorum, partim privatorum donis et legatis.

« *Pueris* ac *puellis* quibus etiam Trajanus alimenta detulerat, incrementum liberalitatis adjecit. »

SPART. *in Adrian.*

« *Puellas* et *pueros* quos admodum Antoninus Faustinianos instituerat, Mammeanos et Mammeanas instituit. »

LAMPRID. *in Alex. Sev.*

PUERITIA. — Pro puritate. (*Non. Marc.*)

« Quæ *pueritia* est infrequens polluta. »

VARR. *Rerum divin.* I.

PUERPERA. — Habebatur pro casta et pudica, si gemellos pareret.

« At ego faciam tu idem ut aliter prædices, Amphitruo, piam et pudicam esse uxorem ut scias. De ea re signa atque argumenta paucis verbis eloquar. Omnium primum Alcumena geminos peperit filios. »

PLAUT. *Amph.* V, 1, 33 sqq.

Jam diximus alterum apud antiquos argumentum castitatis esse, si proles similis marito. Vid. INFANTES.

PUGNA. — Pro stupro. Vide Donat. *in Eunuch. Terentii*, V, II, et PRÆLIUM.

« Quas utrimque *pugnas* felix lectulus et lucerna vidit. »

APUL. *Met.*

Vicimus, o socii, et magnam pugnavimu' *pugnam*.

LUCIL. *Frag. ex incert. lib.* LX

PULLUS. — Catamitus.

« Fabius eburneus cognomine ob cutis candorem, quum natibus fulmine ictus esset, *pullus* Jovis appellatus est. »

FESTUS.

« Quem quis amabat, *pullum* ejus vocabant. »

IDEM.

« Tene sis me arcte, mea voluptas; male ego metuo milvios.
Mala illa bestia est; ne forte me auferat *pullum* tuum. »

PLAUT. *Pœnul.* V, v, 13 sq.

Hinc :

PULLARIUS. — Qui sibi aut alteri pueros venatur et furatur. Vide Turneb. *Adv.* II, et infra PULLIPREMO.

PULLIPREMO. — Qui pueros premit et subigit.

Quis Marcus? feles nuper *pullaria* dictus,
Corrupit totum qui puerile decus;
Perversæ veneris postico vulnere fossor,
Lucili vatis subulo, *pullipremo.*

AUSON. *Epigr.* LXIX, 5 sqq.

PULSARE. — Ad obscena translatum.

O quoties rigida *pulsabis* pallia vena,
Sis gravior Curio, Fabricioque licet!

MART. XI, XVII, 5 sq.

PULSANS CYMBALA. — Pro molli et cinædo.

.... meliusne hic rusticus infans
Cum matre, et casulis, et conlusore catello
Cymbala pulsantis legatum fiet amici?

JUV. IX, 60 sqq.

A gallis matris Vestæ sacerdotibus, *cymbala pulsare* solitis, et fere omnibus cinædis.

PUMILUS. — Proprie nanus; sæpissime pro molli et enervi.

« Apuleius Asino aureo introducit sorores Psyches marito detrahentis, dicitque : « Patre meo seniorem maritum sortita sum, dein quovis puero *pumiliorem*, et cucurbita glabriorem. »

Pumilos dicunt molles atque enerves ; glabrum vero levem et imberbem. »

FULGENT. *de Prisco sermone.*

Pumili in deliciis veterum. Vide NANI. Tales, *Canora* Juliæ neptis Augusti; *Sisyphus* Antonii; et nanus ille Bruti, de quo Plinius.

PUPPA. — Virguncula tenellula.

Dicit se vetulam, quum sit Cærellia *puppa;*
Puppam se dicit Gellia, quum sit anus.
Ferre nec hanc possis, possis, Coline, nec illam;
Altera ridicula est, altera putidula.

MART. IV, XX, 1 sqq.

PUPPÆ. — Imagunculæ puellares, laneæ aut cereæ, ad usum puerorum. Suas veneri offerebant virgines nupturæ, tanquam ineptiis puerilibus valedicturæ, simili modo et sensu quo mariti nuces spargebant.

Dicite, pontifices, in sacris quid facit aurum?
Nempe hoc quod Veneri donatæ a virgine *puppæ.*

PERS. II, 69 sq.

PURUS. — Absolute, qui os non præbet.

Ad cœnam invitant omnes te, Phœbe, cinædi:
Mentula quem pascit, non, puto, *purus* homo est.

MART. IX, LXIII, 1 sq.

PURA MULIER. — Quæ nec tribas, nec fellatrix, naturali tantum voluptate utitur.

« Non taces, nocturne percussor, qui ne tum quidem, quum fortiter faceres, cum *pura muliere* pugnasti? »

PETRON. *Sat.*

PURUS SPIRITUS. — Eodem sensu. Hic spiritus pro habitu.

« Et quid dicis, inquam, muliebris patientiæ scortum, cujus ne *spiritus purus* est? »

PETRON. *Sat.*

PURUS SERMO. — Locutio nuda, quæ etiam verecunda. Sine ulla circumlocutione dicit, et propriis verbis nominat.

Quid me constricta spectatis fronte, Catones,
Damnatisque novæ simplicitatis opus?
Sermonis puri non tristis gratia ridet,
Quodque facit populus, candida lingua refert.

PETRON. *Sat.*

PURE HABERE. — Concubitu abstinere, ut solebant antiqui rem divinam facturi.

« . . . . usus vivendi hic fuit. Primum si facultas esset, id est si non cum uxore concubuisset, matutinis horis in larario suo rem divinam faciebat. »

LAMPRID. *in Alexandro.*

Vos quoque abesse procul jubeo : discedite ab aris
Queis tulit hesterna gaudia nocte Venus.

TIBULL. II, I, II sq.

« Si forte *pure* velle *habere* dixerit, Tot noctes reddat spurcas, quot puras habuerit. »

PLAUT. *Asin.* IV, I, 61 sq.

PUSUS, PUSA, PUSILLA. — Puer, puella.

Si quis lectica nitidam gestare amat agnam,
Huic vestem, ut gnatæ, paret, ancillas paret, aurum,
Pusam aut *pusillam* appellet, fortique marito
Destinet uxorem. . . . .

HOR. *Sat.* II. III, 214 sqq.

PUSIO. — Pro catamito.

Aut si de multis nullus placet exitus, illud
Nonne putas melius quod tecum *pusio* dormit,
Pusio qui noctu non litigat ? . . . .

JUV. VI, 33 sqq.

Pusio. — Mœchus, adulter. Gallice *un greluchon*.

« Et vero adulter ille bellissimus *pusio* inclinatam dolio pronam uxorem fabri, incurvatus, secure dedolabat. »

Apul. *Met.* V.

Putus, Putillus. — Hinc vocabulum Gallorum *putain* pro scorto, et apud Italos *pota* pro cunno. Plautus *putillum* usurpat in blanditiis.

« Dic igitur me anaticulam, columbam, vel catellum, Hirundinem, monedulam, passerculum, *putillum.* »

Plaut. *Asin.* III, iii, 103 sq.

Pygiaca sacra. — Concubitus, coitus, quod *pygarum*, sive clunium usus in venere sit permagnus.

« Eumolpus, qui tam frugi erat, ut illi etiam ego puer viderer, non distulit puellam invitare ad *Pygiaca sacra.* »

Petron. *Sat.*

Pyramis. — Pro pene.

Accedit istis impudentiæ signum,
Libidinoso tenta *pyramis* nervo.

Priap. Carm. LXIII, 13 sq.

Pytisma. — Sputum, πύτισμα. Obscenissimum. Pro semine emisso.

.... ille fruatur
Vocibus obscenis, omnique libidinis arte,
Qui Lacedæmonium *pytismate* lubricat orbem.

Juv. XI, 171 sqq.

Vide Lacedæmon.

QUAD

Quadrans. — Ex æreis Romanorum nummis minimus: assis quarta pars. Communis erat balneatorum merces,

quam pendere solebant qui publicis balneis utebantur; monetæ nostræ o fr. 20 c. *Quadrantem* etiam solvebant qui ratibus trans flumen vehebantur. Hac duplici ratione :

QUADRANTARIÆ. (*Quint.*) — Pro vilissimis scortis

« Nisi forte mulier potens, *quadrantaria* illa permutatione familiaris facta est balneatori. »

CIC. *pro Cœlio de Clodia.*

Narrat Plutarchus in M. Tullii vita, adolescentem quemdam in Clodii sororis loculos *quadrantes* immisisse; qua de re in ridiculum cognominata est *quadrans* a pretio concubitus.

QUADRATUM CORPUS.

« Corpus habilissimum *quadratum* est; neque gracile, neque obesum. »

CELS. *Medicin.* II.

« Statura fuit *quadrata*, compactis firmisque membris. »

SUETON. *in Vespas.* 20.

QUADRUPES. — In obscenis. Pro puero aut puella sub viro jacente.

« Nam jam calcari *quadrupedem* agitabo advorsum clivum,
Postea ad pistores dabo, ut ibi cruciere currens. »

PLAUT. *Asin.* III, III, 18 sq.

QUÆSTUS. — Proprie lucrum ex quocumque labore; libidinose vero merces veneris datæ.

« Neque hanc ego superbiæ caussa Repuli ad meretricium *quæstum*, nisi ut ne esurirem. »

PLAUT. *Cistell.* I, I, 42 sq.

« Itane impudens, Tune hic feles virginalis, liberos parentibus Sublectos habebis, atque indigno *quæstu* conteres ? »

PLAUT. *Rud.* III, IV, 42 sqq.

Quæstus lucro congesto, libertatem sæpissime emebant mancipia.

« Ne sis plora, libera eris actutum, si crebro cades. »

PLAUT. *Pers.* IV, IV, 104.

Nota Suburranas inter Telethusa puellas,
Quæ, puto, de *quæstu* libera facta suo est.

Priap. Carm. XL, 1 sq.

Eodem modo dotem comparabant puellæ Phœnicæ (*Aug. de Civ. Dei*, IV, 10); et Cypriæ (*Justin.* XXII.); Armeniæ (*Strab.*); Lydæ (*Solin.*); et quidem pleræque libertinæ apud Romanos.

« Unde tibi talenta magna viginti pater Det dotis; non enim hic, ubi ex Tusco modo, Tute tibi indigne dotem *quæras* corpore. »

PLAUT. *Cistell.* II, III, 19 sq.

QUÆSTUARIÆ, QUÆSTUOSÆ. — Quæ pecuniam corpore faciunt.

« Æque istuc facio, dummodo Eam des, quæ sit *quæstuosa*, quæ alat corpus corpore. »

PLAUT. *Mil.* III, I, 188 sq.

Imperante Trajano, Romæ habito *quæstuariarum* censu, inventa sunt duo et triginta millia.

QUASILLARIÆ. — Humillimæ inter ancillas, et ad vilissima pensa damnatæ. A *quasillo* seu calatho.

« Convocat omnes *quasillarias*, familiæque sordidissimam partem, etc. »

PETRON. *Sat.*

> Sit tibi cura togæ potior, pressumque *quasillo*
> *Scortum*, quam servi filia Sulpitia.
>
> TIBULL. IV, x, 3 sq.

RAPE

RADIX. — Pro pene.

« Sed quum cogito, non habuit gladium : nam esset frigidus. — Eloquere. — At pudet. — Num *radix* fuit? — Non fuit. — Num cucumis ? — Profecto, hercle, non fuit quidquam olerum ; Nisi, quidquid erat, calamitas profecto attigerat nunquam. »

PLAUT. *Casin.* V, II, 31 sqq.

RAMEX. — Hernia. (*Plin.*) Sæpe pro coleis, et tunc libidinose.

« Neque nos quemquam flagitamus, neque nos quisquam flagitat. Tua caussa nemo nostrorum est suos rupturus *ramices.* »

PLAUT. *Pœnul.* III, I, 36 sq.

> ...... nam coitus jam longa oblivio : vel si
> Coneris, jacet exiguus cum *ramice* nervus,
> Et, quamvis tota palpetur nocte, jacebit.
>
> JUV. X, 204 sqq.

Vide Lucil. *Frag.* III, 17.

RAMUS. — Pro pene.

« Puerum mulieri præstare nemo sit, quanto melior sit, cujus vox gallulascit, cujus jam *ramus* roborascit. »

NOVIUS, *Exod. apud Non. Marc. verbo* GALLULARE.

RAPERE, RAPTARE. — Stuprare, polluere.

« Turbas uxori ciet Amphitruo : atque invicem *Raptant* pro mœchis. »

PLAUT. *Amph. argum. alterum*, vers. 6 sq.

> Hic Ammone satus *rapta* Garamantide nympha,
> Templa Jovi centum, latis immania regnis,
> Centum aras posuit.....
>
> VIRGIL. *Æneid.* IV, 198 sqq.

[redacted]

Rarus ad venerem. — Qui raro coit; parcus lumborum.

« Fuit cibi avidus, vini parcissimus, *ad rem veneream* nimis *rarus.* »

Capitolin. *in Max.*

RecelliclunIæ. — Genus omne fœminarum; quòd in concubitu ex natura nates torqueant et recellent. Vide Gonsal. in Petron. *Sat.*

Recessus. — Loci fœminei.

Atque flammeolæ *recessu* in imo
Latent machinulæque, glandulæque.

Petron. *Phaleuc.* 35 sq.

Ecquid *fœmineos* sequeris, matrona, *recessus?*
Secretusque tua, cunne, lavaris aqua?

Mart. VII, xxxv, 7 sq.

Rectus. — Præstanti corpore.

Non, inquam, mihi tam fuit maligne
Ut, provincia quod mala incidisset,
Non possem octo homines parare *rectos.*

Catull. X, 18 sqq

Quintia formosa est multis; mihi candida, longa,
Recta est; hæc ego sic singula confiteor.

Catull. LXXXI, 1 sq.

.... quæ neque magno
Stet pretio, neque cunctetur, quum est jussa, venire.
Candida *rectaque* sit; munda hactenus, ut neque longa,
Nec magis alba velit, quam det natura, videri.

Hor. *Sat.* I, ii, 121 sqq.

Recutiti. — Circumcisi. Sic dicti ab inguinibus circumcisis; et merito quidem, quum cutis succresceret, dicebantur *recutiti*, quasi nova cute tecti.

Nec *recutitorum* fugis inguina Judæorum.

Mart. VII, xxx, 5.

Labra moves tacitus, *recutita*que sabbata palles.

Pers. V, 184.

Refibulare. — Fibulam restituere, reponere. Vide Fibula.

> Jam pædagogo liberatus, et cujus
> *Refibulavit* turgidum faber penem.
> Mart. IX, xxvii, 11 sq.

Regina, Regnum, Regnare. — Ad amores translatum.

> « Quæso, inquam, *regina*, noli suggillare miserias. »
> Petron. *Sat.*

> Nota loquor : *regnum* ipse tenet, qui sæpe coegit
> Barbara gypsatos ferre catasta pedes.
> Tibull. II, iii, 63 sq.

> Barbarus excussis agitat vestigia lumbis,
> Et subito felix nunc mea *regna* tenet.
> Propert. II, xvii, 27 sq.

Reliquiæ. — E populo reliquæ, vetulæ, aridæ, scabiosæ.

> « An te tibi vis inter istas vorsarier Prosedas, pistorum amicas, *reliquias*, etc. »
> Plaut. *Pœnul.* I, ii, 53 sq.

Remittere. — De seminis emissione : non in coitu, aut auxilio manus maritæ; sed sponte et ardore tentiginis.

> Non ros est, mihi crede, nec pruina,
> Sed quod sponte sua solet *remitti*,
> Quum mens est pathicæ memor puellæ.
> *Priap. Carm.* XLVIII, 3 sqq.

Ren-is. — Sedes libidinis.

> Dicebam tibi, Galla, senescimus, effugit ætas ;
> Utere *rene* tuo ; casta puella, anus est.
> Auson. *Epigr.* XIII, 1 sq.

Repotium. (Iterata potatio.) — Dapes a marito datæ postridie nuptias. Festum solemne, in honorem virginitatis delibatæ. Vide Brisson. *de Ritu nupt.* et Turneb. III, 6. ubi plura. In commentariis Acronis, *repotium*

dicebatur septimus dies, quo nova nupta parentes suos ex ritu invisebat.

> .... licebit
> Ille *repotia*, natales, aliosve dierum
> Festos albatus celebret....
>
> Hor. *Sat.* II, II, 59 sqq.

> Natalis si forte fuit solemnis amico,
> Conjugioque dapes aut mera *repotia* patrum
> Audivi; meminique bono laudare frequenter.
>
> Auson. *Epist.* XIII, 37 sqq.

Ex hoc Ausonii, *repotium* intelligi potest de festis et conviviis parentum, quum liberi susciperentur.

Repromissio. — Verbum technicum de assensu parentum puellam roganti in uxorem. Vide Sponsalia.

Repudium. — Desponsæ virginis renuntiatio.

« *Repudium*.... dictum, quod sit ob rem pudendam. »

Festus.

Differt a divortio, quod *divortium* proprie a maritis, et ad solvendum matrimonium jam peractum; *repudium* vero conjugii tantum promissi. Vide Laurent. *de Sponsal.* IV.

« Filiam ex te tu habes? — Imo eccillam domi. — Eam tu despondisti, opinor, meo avunculo. — Omnem rem tenes. — Is me nunc *renuntiare repudium* jussit tibi. — *Repudium*, rebus paratis, atque exornatis nuptiis? »

Plaut. *Aulul.* IV, x, 51 sqq.

Repudium nuntianti viro jus arrhas repetendi interdictum erat. Si virgo nuntiaret, aut parentes virginis, dona sponsalia in duplum reddebantur.

Repudium. — Aliquando tamen pro divortio post con-

jugium; ut patet ex Seneca, quum temporis sui divortiorum multitudinem arguit:

« Numquid jam ulla *repudio* erubescit, postquam illustres quædam et nobiles fœminæ, *non consulum numero, sed maritorum*, annos suos computabant. »

SENEC. *de Benef.* III, 16.

REQUIES. — Pro matrimonio; locutio orientalis.

« Quæram tibi *requiem.* »

Ruth, III, 1.

Id est quæram tibi conditionem; quoniam, ut aiunt, non est mulieri *requies* donec nupserit. Simili metaphora Plutarchus matrimonium vocat *portum juventutis*. Vide Drusii *Quæst. hebraic. lib.* I, *quæst.* 18.

RES. — Sæpissime de venere. Sic:

Parce tuis igitur dare mascula nomina *rebus*,
Teque puta cunnos, uxor, habere duos.

MART. XI, XLIV, 11 sqq.

Non tibi, sed juveni cuidam vult bella videri,
Devoveat pro quo *remque* domumque tuam.

TIBULL. I, IX, 71 sq.

RES. — Pro concubitu.

« Dum *rem* faciunt maritorum. »

QUINT. *Declam.* 291.

« Satin' parva *res* est voluptatum in vita, Atque in ætate agunda, Præquam quod molestum est? »

PLAUT. *Amph.* II, II, 1 sqq.

RES SUAS HABERE. — Formula divortii, quod divortio mulier sui fit dominii, dominaque rerum suarum.

« Tu quidem ob istud tam dirum facinus, confestim toro meo divorte, *tibique res tuas habeto.* »

APUL. *Met.* I.

« Si vir ab uxore divortit, uxorem *res suas sibi habere* jubeto. »

Leg. Tabul. XII.

Vid. *lib.* II, §. 1, *ff. de divort. et repud.*

« Mimam illam suam *res sibi habere* jussit; ex XII tabulis claves adimit, exigit. »

CIC. *Philipp.* II.

« *Tuas res tibi habe!* Amor, mihi amicus ne fuas unquam. »

PLAUT. *Trinumm.* II, 1, 32.

RESCRIBERE. — Rem rogantium litterulis rescribere, pro assentiri habebatur.

Scripsi : *rescripsit* nil Nævia; non dabit ergo?
Sed puto, quod scripsi, legerat; ergo dabit.

MART. II, IX, 1 sq.

De arte *rescribendi* mœchis sic Juvenalis :

Illa docet missis a corruptore tabellis
Nil rude nec simplex *rescribere :* decipit illa
Custodes, ...

JUV. VI, 233 sqq.

RESINATUS. — Mollis, pathicus, quod libidinosi hujus farinæ *resina* pilos evellebant pudendorum, in gratiam cinædorum suorum.

.... Quid *resinata* juventus,
Cruraque totius facient tibi lævia gentis?

JUV. VIII, 114 sq.

RESOLVI AMORE. — Tabescere. Gallice *mourir d'amour.*

Hanc tibi fallaci *resolutus amore* Tibullus
Dedicat, et grata sis, dea, mente rogat.

TIBULL. I, IX, 83 sq.

RESUPINARE. — In obscenis.

Præterea sanctum nihil est, et ab inguine tutum;
Non matrona Laris, non filia virgo, neque ipse

Sponsus lævis adhuc, non filius ante pudicus.
Horum si nihil est, aviam *resupinat* amici.

JUV. III, 109 sqq.

RESUPINATI. — Molles, infames, more Cybeles sacerdotum.

Invenies aliquo cum percussore jacentem
....
Inter carnifices et fabros sandapilarum,
Et *resupinati* cessantia tympana Galli.

JUV. VIII, 173 sqq.

RETE, RETIA. — De mulierum illecebris.

« Tum meretricum numerus tantus, quantum in urbe omni fuit, Obviam ornatæ occurrebant suis quæque amatoribus. Eos captabant.... Pleræque hæ *sub vestimentis secum habebant retia.* »

PLAUT. *Epidic.* II, II, 29 sqq.

Subdola famosæ, moneo, fuge *retia* mœchæ.

MART. II, XLVII, 1.

RIGARE. — Inter obscena.

Hortis Hesperidum, Sabelle, cultis
Nostræ cultior hortus est puellæ.
Mirari, o bone, desinas, Sabelle,
Hortorum deus ipse nam Priapus
Cunctis hunc fodit et *rigat* diebus.

Ex Burmanni Anthologia.

RIGERE. — De tentigine venerea in utroque sexu. Unde differt ab *arrigere,* quod viri tantum.

« Et ne putetis perplexe agere, rogo ut adolescentulus mecum dormiat, nisi illud tam *rigidum* reddidero quam cornu. »

PETRON. *Sat.*

Quæ libamine mentulæ comeso,
Tota nocte mihi litat *rigendo.*

Priap. Carm. LXXI, 7 sq.

Virgo virgulam amat *rigens rigentem.*

Virgiliocent. ex Petron. Linocerii, 29.

.... hunc ego, si placet Dionæ,
Pro telo *rigida* mea cecidi.

CATULL. LII, 6 sq.

RIMA. — Natura muliebris.

Est in secessu, tenuis quo semita ducit,
Ignea *rima* micans ; exhalat opaca mephitim.

AUSON. *Cent. nupt. imminut.*

.... vacua et plana omnia dicas
Infra ventriculum, et tenui distantia *rima.*

JUV. III, 96 sq.

RIVALES. — Ejusdem puellæ confututores.

Respice *rivales* divorum. Claudius audi
Quæ tulerit.....

JUV. VI, 115 sq.

Curandum penem commisit Baccara Græcus
Rivali medico. Baccara Gallus erit.

MART. XI, LXXV, 1 sq.

RIVINUS. — Eodem sensu.

« *Rivinus* amens ob præreptam mulierem. »

PLAUT. *Asin. arg.* 6.

ROBUSTA VOLUPTAS. — Palæstra venerea ; res ipsa ad effectum ducta.

« In hoc gramine pariter compositi, mille osculis lusimus, quærentes *voluptatem robustam.* »

PETRON. *Sat.*

ROGARE. — Absolute; de stupro compellare.

Ludunt formosæ : casta est quam nemo *rogavit.*

OVID. *Amor.* I, VIII, 43.

Quum dare non possim quod poscis, Galla, *rogantem*,
Multo simplicius, Galla, negare potes.

MART. III, LIV, 1 sq.

Ante dies multos nisi te, Basilisca, *rogavi*,
Et nisi præmonui, te dare posse negas.

Vet. poet. catalect. ex Valeto.

Quæ dant, quæque negant, gaudent tamen esse *rogata*.

OVID. *Art.* I, 345.

ROS. — Humor venereus; semen genitale.

Dent crebros ictus, conniventе lumine,
Trepidante cursu, venere et anima fessula,
Ejaculent tepidum *rorem* niveis laticibus.

APUL. Ἀνιχέμ. 18 sqq.

ROSA. — Veneri dicata.

Ipsa jussit mane ut udæ virgines nubant *rosæ*,
Facta Cypris de cruore, deque amoris osculis,
Deque gemmis, deque flammis, deque solis purpuris,
Cras ruborem, qui latebat veste tectus ignea,
Unico, marita, nodo non pudebit solvere.

Pervigil. Ven. 21 sqq.

Usitatissimæ *rosæ* in sacris, comessationibus, venereisque præsertim pervigiliis et palæstris.

« Quis autem ille qui dubitet vernis indulgere nos floribus; quum cupiamus et *rosam* veris, et lilium, et quid aliud in floribus blandi coloris et odoris est? »

MINUT. FELIX.

Adhibebantur, modo sertæ, modo sparsæ.

« His enim (floribus) et sparsis utimur mollibus ac solutis; et sertis colla complectimur. »

MINUT. FELIX.

Græci et Latini *rosea* appellabant non tantum labella ac papillas, sed cætera venusti corporis membra quorum medius color inter niveum et sanguineum. Sic *Aurora rosea* Virgilio; *os roseum* ejusdem libro nono, de Iride; *rosea cervix* Horatio; *fax solis rosea* Lucretio, etc.

[redacted]

Quæ metaphora tantum a poetis nostris trita est, ut nunc fastidia movens in ridiculum abierit.

ROSA MEA. — Verbum blanditiæ.

« Ubi tu lepide voles esse tibi, *mea rosa*, mihi dicito. »
PLAUT. *Bacchid.* I, 1, 50.

RUBER. — Sæpe et specialiter pro Priapo et Priapi rebus.

Sed *ruber* hortorum custos, membrosior æquo,
Qui tectum nullis vestibus inguen habet.
Priap. Carm. Præf. 5 sq.

Placet, Priape ? qui sub arboris coma
Soles, sacrum revincte pampino caput,
Ruber sedere cum *rubente* fascino.
Priap. Carm. LXXXIV, 6 sqq.

RUBIGO. — Inter antiquorum lues venereas.

« Proprie *rubigo* est, ut Varro dicit, vitium obscenæ libidinis, quod ulcus vocatur. Id autem abundantia et superfluitate humoris nasci solet, quæ græce σατυρίασις dicitur. »
SERV. *in Virgil. Georg.*

Translatum a *rubigine* frumentorum.

RUDIS. — Intactus; veneris imperitus.

Non tamen hæc ulli venient ingrata legenti,
Sive in amore *rudis*, sive peritus erit.
PROPERT. II, XXXV, 81 sq.

Hoc me frigore basiet nec uxor,
Blandis filia nec *rudis* labellis.
MART. VII, XCV, 7 sq.

RUMA. — Mamma.

« *Rumam* veteres mammam dixerunt. »
NON. MARC.

« .... cuninæ propter cunas; ruminæ propter *rumam*, id

est prisco vocabulo mammam, a quo *subrumi* etiam nunc dicuntur agni. »

VARR. *de Lib. educandis.*

Vide IRRUMARE.

RUMPERE. — Sæpe in obscena significatione. Hinc:

RUMPERE LATUS. — Languidum reddere comparem suum nimio coitu.

Neque incitare cesset, usque dum mihi
Venus jocosa molle *ruperit latus.*

Priap. Carm. LXXXIV, 43 sq.

RUMPI TENTIGINE. — Venerem ardere.

Hac *tentigine*, quam videtis in me,
Rumpatur, precor, usque, mentulaque
Nequicquam sibi pulset umbilicum.

Priap. Carm. XXII, 4 sqq.

.... tument tibi quum inguina, num si
Ancilla, aut verna est præsto puer, impetus in quem
Continuo fiat, malis *tentigine rumpi?*

HOR. *Sat.* I, II, 117 sqq.

RUTABULUM. — Pro pene. A radendo. Vide Non. Marc. verbo *Rutrum.*

« *Rutabulum* a proruendo igne vocatum quo panes coquuntur. Invenitur etiam positum pro membro virili. »

FESTUS.

« Vel quæ sperat se nuptum adolescentulo, ea licet et senile tractet *rutabulum.* »

NÆVIUS, *in Frag. poet. vet.*

SABE

SABELLUS. — Coævus Martialis: scripsit de modo coeundi.

Facundos mihi de libidinosis
Legisti nimium, *Sabelle*, versus,

Quales nec Didymi sciunt puellæ,
Nec molles Elephantidos libelli.

MART. XII, XLIII, 1 sqq.

SAGÆ. — Fœminæ quæ devotionibus ac maleficiis se quidlibet efficere posse prædicabant. A *sagire*.

« *Sagire* sentire acute est, ex quo *sagæ anus* quæ multa scire volunt, et *sagaces* dicti canes. Is igitur qui ante *sagit* quam oblata res est, dicitur *præsagire*, id est futura ante sentire. »

CIC. *de Natura deorum*, I.

Fidem *sagis* habebant plerique amasii.

Nec tamen huic credet conjux tuus, ut mihi verax
Pollicita est magico *saga* ministerio.

TIBULL. I, II, 43 sqq.

Et paulo post :

Quid credam ? nempe hæc eadem se dixit amores
Cantibus aut herbis solvere posse meos.

IDEM, *ibid.* 61 sq.

Quæ *saga*, quæ te solvere Thessalis
Magus venenis, quis poterit deus ?

HOR. *Od.* I, XXVII, 21 sq.

SAGÆ. — Lenæ, conciliatrices.

Ætatem et faciem ut *saga* et bona conciliatrix.

LUCIL. *Fragm.* VII, 12.

« *Sagæ* mulieres dicuntur fœminæ ad libidinem virorum indagatrices ; unde et *sagaces* canes dicuntur ferarum vel animalium quæsitores. Turp. Boëthuntibus : Non ago hoc per *sagam* pretio conductam, ut vulgo solent. »

NON. MARC.

SAL. — Pro venustate et gratia.

Quintia formosa est multis : mihi candida, longa,
Recta est ; hæc ego sic singula confiteor.
Totum illud formosa, nego ; nam nulla venustas,
Nulla in tam magno corpore mica *salis*.

CATULL. LXXXI, 1 sqq.

Parvula, pumilio, Χαρίτων ἴα, tota merum *sal*.
LUCRET. IV, 1153.

SALES NUDI. — Ludi procaces; verba obscena, sine ulla circuitione.

Tu, quem nequitiæ procaciores
Delectant nimium, *salesque nudi*,
Lascivos lege quatuor libellos.
MART. V, II, 3 sqq.

Vide LATINE LOQUI.

SALAX. — Ardens, fortis in venere. A *salire*.

Inguina torquati tardant hebetantque palumbi;
Non edat hanc volucrem qui cupit esse *salax*.
MART. XIII, LXIV, 1 sq.

Non has mellea velitationes
Cyprilla exigit, aut procax Cupido,
Cui *salacula* mentula, et *salaces*
Lumbuli idalia placent opella.
PETRON. *Phaleuc.* 16 sqq.

SALAX. — Quodcumque aphrodisiacum; metonymia ab effectu ad causam.

Stare, Luperce, tibi jampridem mentula desiit;
Luctaris demens tu tamen arrigere.
Sed nihil erucæ faciunt, bulbique *salaces*,
Improba nec prosunt jam saturei a tibi.
MART. III, LXXV, 1 sqq.

SALAPUTIUM. — Homunculus salax.

Risi nescio quem modo in corona,
Cui quum mirifice Vatiniana
Meus carmina Calvus explicasset,
Admirans ait hæc, manusque tollens:
Dî magni! *salaputium* disertum!
CATULL. L, 1 sqq.

Brevis staturæ erat hic Calvus, testibus Ovidio et Seneca; Romani vero tales viros mentulæ frigutienti

[redacted]

comparabant. Sic ex Suetonio, Augustus, inter alia blandimenta, *Horatium* vocabat *putissimum penem*, hoc est, ut ipsemet interpretatur, *homuncionem lepidissimum*.

SALIRE.—De quibusdam pecudibus, præcipue de ovibus.

. . . . Læta *salitur* ovis.

OVID. *Art.* II, 485.

SALIVA. — Spuma oris basiis mulsa, aut veneris ardore.

. . . . junguntque *salivas*
Oris, et inspirant pressantes dentibus ora.

LUCRET. IV, 1101 sq.

Sed nunc id doleo, quod puræ impura puellæ
Savia conjunxit spurca *saliva* tua.

CATULL. LXXIII, 7 sqq.

« . . . tu labellum abstergeas Potius, quam cuiquam *salivam* faciat palam. »

PLAUT. *Asin.* IV, 1, 52 sq.

SALMACIS. — Fons Cariæ limpidissimus, juxta Halicarnassum, eo nomine male audiens, quod in eo lavantes aut ex eo bibentes continuo effœminarentur, libidinosique fierent. A nympha *Salmacide* quæ, ut fabula refert, Hermaphroditi amore capta est. Vide HERMAPHRODITUS.

Quisquis in hoc fonte vir venit, exeat inde
Semivir, et tactis subito mollescat in undis.

OVID. *Met.* IV, 386 sq.

Sic ubi complexu coierunt membra tenaci,
Nec duo sunt, sed forma duplex : nec fœmina dici,
Nec puer ut possit, neutrumque et utrumque videtur.

OVID. *Ibid.* 377 sqq.

Hæc certe fabula vitio fontis non est referenda; sed mollitiei circumcolentium, tenacique connubio otii cum libidine.

Salmacis optato concreta est nympha marito.
Felix virgo, sibi si scit inesse virum.
Et tu, formosæ juvenis permiste puellæ,
Bis felix, unum si licet esse duos.

AUSON. *Epigr.* XCVIII, 1 sqq.

SALTATIO. — Matronis licita, modo tamen non sit curiosa usque ad summum artis. Inde Sallustius arguit Semproniam, non quod saltaret, sed quod optime sciret *psallere et saltare elegantius quam necesse sit probæ*.

SALTATIO PHALLICA. — In honorem Bacchi. Per plateas vagabantur juvenes pelliceis phallis cervici, modo cornuum, impositis, saltantes et cantantes obscenos versus. Vide Buleng. *de Theatris*, I, 58; Marisc. *de Personis*, II, etc.

SALTATRICES. — Puellæ lascive saltantes in comessationibus.

« Modo nudæ, et fluctuantibus lumbis, obsceno motu, pruriginem spectantibus conciliabant. »

BULENG. *de Conviviis*.

Vide Macrob. II, 1.

Ebria famosa *saltat* lasciva taberna,
Ad cubitum raucos excutiens calamos.

Vet. poet. Catalect. ex incerto.

Quanta fuit *saltatricum* copia, docet Amm. Marcell. XIV, 6; nonnullæ comam crispabant; sed pleræque tonsæ. Vide Ambros. *de Cain.* et *Abel.*

SALTUS. — Loci fœminei; non a saltu, *silva*, sed saltu *via angusta*.

« Qui e nuce nucleum esse volt, frangit nucem; Qui volt cubare, pandit *saltum* saviis. »

PLAUT. *Curcul.* I, 1, 55 sq.

[redacted]

« Illa haud verbum facit, et sepit veste id qui estis; Ubi illum *saltum* video obseptum, rogo ut altero sinat ire. »

IDEM, *Casin.* V, II, 40 sq.

SAMBUCINÆ. — Mulieres ad *sambucam* canentes in comessationibus.

« Post ut occepi narrare, fidicinas, tibicinas, *Sambucinas* advexit secum forma eximia. »

PLAUT. *Stich.* II, II, 56 sq.

« In convivio tragœdias, comœdias, lectores, poetas, *sambucas*, pro re semper exhibuit. »

SPARTIAN. *in Hadrian.*

Vide AMBUBAIÆ.

SANGUIS. — Pro spermate.

« Tu desiderium meum, tu voluptas mea, nunquam tu finies hunc ignem, nisi *sanguine* exstinxeris. »

PETRON. *Sat.*

Unciolam Proculeius habet, sed Gillo deuncem,
Partes quisque suas, ad mensuram inguinis hæres,
Accipiat sane mercedem *sanguinis*. . .

JUV. I, 40 sqq.

SAPPHO. — Celeberrima mascula; princeps tribadum, necnon poetria insignis, cujus exstat epistola ad Phaonem, inter Ovidianas. Simul insiguis, et virili animo, et libidine in fœminas, utroque sensu vere *masculæ* epitheton peculiariter meruit.

Temperat Archilochi musam pede *mascula Sappho.*

HOR. *Epist.* I, XIX, 28.

Et de nimboso saltum Leucate minatur
Mascula Lesbiacis *Sappho* peritura sagittis.

AUSON. *Cupid. cruci affix.* 24 sq.

SARRIRE. — Proprie, segetibus noxias herbas evellere; in obscenis, pro fodere.

Audes ducentas nuptum ire post mortes,
Virumque demens cineribus tuis quæris
Prurire. Quid! *sarrire* si velit saxum?

MART. III, XCIII, 18 sqq.

SATISFIERI. — Verbum venereum.

« Ut intellexi stertere patrem, rogare cœpi ephebum, ut reverteretur in gratiam mecum, id est, ut pateretur *satisfieri* sibi, et cætera quæ libido distincta dictat. »

PETRON. *Sat.*

SATUREIA — Ad venerem excitant.

Sed nihil erucæ faciunt, bulbique salaces,
Improba nec prosunt jam *satureia* tibi.

MART. III, LXXV, 3 sq.

SATURNALITII VERSUS. — Lascivi, spurci; ex licentia saturnalium.

Nec per circuitus loquatur illam,
Ex qua nascimur, omnium parentem,
Quam sanctus Numa mentulam vocabat.
Versus hos tamen esse tu memento
Saturnalitios...

MART. XI, XVI, 8 sqq.

SATYRI. — Lascivi, ad rem ardentes. Mire salax totum illud agrestium deorum genus, quos *Panas*, *Faunos*, *Silvanos*, *Satyros* ac *Silenos* appellabant Romani, et quorum, teste Augustino (*Civ. Dei*, XV, 23), lascivia incredibilis, non in Nymphas tantum, sed et in mulieres mortales. Unde *incubi* et *succubi* nominantur, in declarationem nequitiæ eorum. Referenda hæc numina ad vim generandi. Hinc:

SATYRIASIS. — Σατυρίασις. Tentigo, pruritus venereus.

« *Satyriasis* est vehemens veneris appetentia. Vocatur autem ab herbæ virtute quam *satyrion* vocant. Hanc enim accipientes

[redacted]

in venerem provocantur cum tentigine genitalium partium. Sed antecedentis istius passionis sunt epota medicamina ob usum venereum excitandum, quæ *satyrica* vocant, quæ sunt acria atque incentiva, et nervis improba. »

CÆLIUS AURELIANUS, III.

SATYRION. — Vide supra Cælium Aurel.

« Ancilla risu meo prodita, complosit manus, et : adposui quidem, inquit, adolescens : solus tantum medicamentum ebibisti ? Itane est, inquit Quartilla, quidquid *satyrii* fuit, Encolpius ebibit ? »

PETRON. *Sat.*

SAVIUM, SUAVIUM. — Proprie oscula veneria. Antecœnium robustæ voluptatis. Vide OSCULUM et SALTUS.

SAVIUM TENERE. — Osculum non dare, sed accipere.

« Facito ut me memineris : *tene* etiam, priusquam hinc abeo, *savium.* »

PLAUT. *Curcul.* I, II, 54.

SAVIUM. — Pro ore ipso haud raro a poetis dictum.

« Vel papillæ quojusmodi ! tum quœ indoles in *savio* est? »

PLAUT. *Rud.* II, IV, 10.

Dum semihiulco *savio*
Meum puellum *savior*,
Dulcemque florem spiritus
Duco ex aperto tramite.

Incerti apud A. Gellium, XIX, 11.

SCABIES. — Pro pruritu venereo; in contumeliam.

Secti podicis usque ad umbilicum
Nullas reliquias habet Charinus;
Et prurit tamen usque ad umbilicum.
O quanta *scabie* miser laborat!
Culum non habet, est tamen cinædus.

MART. VI, XXXVII, 1 sqq.

Porci et Socration, duæ sinistræ
Pisonis *scabies*, famesque Memmi, etc.
CATULL. XLIV, 1 sq.

Hic, *scabies* de re ad personam transfertur, et pro illis qui Pisonis pruritum libidinosum excitabant.

SCALPERE. — In obscenis.

Quis conjugem, quis te vocabit uxorem,
Philomelus aviam quam vocaverat nuper?
Quod si cadaver exigis tuum *scalpi*, etc.
MART. III, XCIII, 21 sqq.

. . . . quum carmina lumbum
Intrant, et tremulo *scalpuntur* ubi intima versu.
PERS. I, 20 sq.

SCANTINIA LEX. — Prima quæ pœnas statuit contra pædicones. Pecunia eos mulctari jussit; morte vero, subsequens Julia. *Scantinia* dicta a Caio Scantinio, qui C. Marcelli filio vim adferre conatus, a patre accusatus est. (*Val. Max.* VI, 1.)

SCAPHIUM. — Matula in formam navicellæ, ad usum fœminarum. Sic Juvenalis de ferocissima muliere:

Adspice quo fremitu monstratos perferat ictus,
Et quanto galeæ curvetur pondere; quanta
Poplitibus sedeat, quam denso fascia libro;
Et ride, positis *scaphium* quum sumitur armis.
JUV. VI, 261 sqq.

Sardanapalum deridet Martialis, quod poculis aureis et gemmatis mœchæ suæ *scaphium* conflaverat.

Te potare decet gemma, qui Mentora frangis
In *scaphium* mœchæ, Sardanapale, tuæ.
MART. XI, XII, 5 sq.

A græco σκάφιον.

Scarabæus. — Pædico. Verbum fœdissimum, a more *scarabæorum* qui stercore gaudent.

Non taurus, non mulus erit, non hippocamelus,
Non caper, aut aries, sed *scarabæus* erit.
Auson. *Epigr.* LXIX, 9 sq.

Sceptrum. — Pro mentula.

Hoc *sceptrum*, quod ab arbore ut recisum est,
Nulla jam poterit vivere fronde:
Sceptrum, quod pathicæ petunt puellæ;
Quod quidam cupiunt tenere reges. . .
Priap. Carm. XXIV, 1 sqq.

Schœniculæ. — Vilissima scorta, servorum et gerularum prostibula. A juncis quibus se præcingebant, alticinctæ, ad facilitatem artis suæ; σχοῖνος enim est funis junceus. Talia intelligit propheta Baruch :

« Mulieres vero *circumdatæ funibus* in viis sedent, succendentes ossa olivarum. »

Baruch, c. vi, vers. 42.

Alii deducunt a *schœno,* unguento vilissimi generis.

« *Schœniculas* Plautus videtur appellare meretrices propter usum unguenti *schœni,* quod est vilissimi generis. »

Festus.

« Miseras, *schœno* delibutas, servolicolas sordidas. »

Plaut. *Pœnul.* I, ii, 55.

Scindere. — Pædicare.

Ergo qui prius usque et usque et usque
Furum *scindere* podices solebam,
Per noctes aliquot diesque cesso.
Priap. Carm. LXXVIII, 12 sqq.

Cinæde Luci, en, te reliquerunt opes,
. . . .
Videbo habentem præter ignavos nihil

Fratres et iratum Jovem,
Scissumque ventrem, et herniosi patrui
Pedes inedia turgidos.

VIRGIL. *ex Catalect.*

SCIRE VIRUM. — Cum viro concubare.

« Zenobiæ ea castitas fuisse dicitur, ut ne *virum* suum quidem *sciret*, nisi tentatis conceptionibus; nam quum semel concubuisset, exspectatis menstruis, continebat se si prægnans esset: sin minus, potestatem quærendis liberis dabat. »

TRIB. POLL. *Trig. tyr.*

SCITUS. — Aptus ad venerem.

« Hunccine hominem te amplexari, tam horridum atque squalidum? — Quamquam hic horridu'st, quamquam hic squalidu'st, *scitus* bellum init. »

PLAUT. *Truc.* V, 41 sq.

SCITUS. — Bellus, venustus.

« Missus mercator ab suo adolescens patre, Emit atque apportat *scita* forma mulierem. »

PLAUT. *Merc. arg.* 1 sq.

« *Scitam* hercle opinor satis concubinam hanc. »

IDEM, *Merc.* IV, IV, 17.

SCOBINA. — Lima, in obscenis.

« *Scobinam* ego lima actutum adrasi. »

PLAUT. *Frag. Nervol.* vers. 1.

SCORTEUM. — Scortum venere tritum, a pelle flaccida. Unde Galloprovinciales nunc adhuc mulierem libidinibus confectam nuncupant *uno peou*. Vide Apul. *Met.* I.

SCORTA-ORUM.—Genus infimum prostibulorum, populo patens vili pretio.

« Turba nunc est apud aram : an te ibi vis inter istas vorsarier Prosedas, pistorum amicas, reliquias alicarias, Miseras,

schœno delibutas, servolicolas sordidas? Quæ tibi olent stabulum, statumque, sellam et sessibulum merum: Quas adeo haud quisquam unquam liber tetigit, neque duxit domum: Servolorum sordidulorum *scorta* diobolaria. »

PLAUT. *Pœnul.* I, II, 53 sqq.

SCORTA DEVIA. — Quæ per vias non vagantur, sed domi adventores exspectant. Ordo verecundus, medius inter meretrices et palam quæstuarias.

Quis *devium scortum* eliciet domo
Lyden? . . .

HOR. *Od.* II, XI, 21 sq.

SCORTUM. — Pro puero catamito.

« *Scortum* exoletum ne quis in proscenio Sedeat. »

PLAUT. *Pœnul. prolog.* 17 sq.

Vide Sueton. *in Vitell.* 3.

SCORTILLUM. — Diminutive.

Varrus me meus ad suos amores
Visum duxerat e foro otiosum,
Scortillum mihi quum repente visum est
Non sane illepidum, nec invenustum.

CATULL. X, 1 sqq.

SCORTATOR. — Scortorum assecla. (*Cic.*)

Scortator nimius, multaque libidine suetus
Rusticulas vexare lupas. . .

PRUDENT. *adv. Symmach.* I, 105 sq.

Et eodem sensu,

SCORTARI. — (*Terent.*)

SCRANTIÆ, SCRAPTÆ, SCRATIÆ. — Fœdissima scorta; a verbo *screare*, similitudine capsarum quibus sputum emittitur.

« *Scrantiæ*, scrupedæ, strictivellæ, tantulæ. »

PLAUT. *Frag. Nervol.* vers. 2.

Vide Gell. I, 1; Beroald. *in Apul.* I; et Non. Marc.

SCRUPEDÆ. — Prostibula infimi ordinis, ab eo quod per scrupos et lapillos insidiantur, ubi prostant, aut viris præputium ductant. Vide *Plaut.* supra.

SCUTUM. — Pro muliere, sensu libidinoso; quod testatur Artemidorus, dicens *scutum proprie designare mulierem*. (*Lib.* II, *c.* 32.)

« Ubi ego capiam pro machæra turturem, pro galea scaphium;.. Ubi mihi pro equo lectus detur, scortum pro *scuto* accubet. »

PLAUT. *Bacchid.* I, 1, 35 sqq.

SECESSUS. — Pro locis fœmineis.

Est in *secessu*, tenuis quo semita ducit,
Ignea rima micans. . .

AUSON. *Cent. nupt. imminut.*

SECTARI. — Verbum juris. Vide ADSECTARI MULIEREM.

« *Adsectata* fœmina, vel in bonam partem dicitur, velut honorata: vel in malam, quasi ad extremum periculum adducta. »

FESTUS.

« Itaque omnis se ultro *sectari* in Epheso memorat mulieres. »

PLAUT. *Mil.* III, 1, 183.

SECUBARE. — Abstinere a concubitu. Pervigilio Isidis, a matronis et meretricibus *secubandum* erat per decem noctes, quæ votivæ dicebantur, tanquam castitati sacratæ.

Redde etiam excubias divæ nunc, ante juvencæ:
Votivas noctes et mihi solve decem.

PROPERT. II, XXIX, 61 sq.

Quidve pie, dum sacra colis, pureque lavari
Te memini, et puro *secubuisse* toro?

TIBULL. I, III, 25 sq.

Secus. — Pro sexus.

« Filiolam ego unam habui; eam unam perdidi: Virile *secus* nunquam ullum habui. »

Plaut. *Rud.* I, ii, 18 sq.

« *Secus* pro *sexus* neutri generis et unius casus. »

Varr. *lib.* VI.

Secutuleia mulier. — Quæ viros consectatur, uredinis aut quæstus causa.

« ... reliquit veteris amicitiæ nomen, et proh pudor! tamquam *mulier secutuleia*, unius noctis tactu omnia vendidit. »

Petron. *Sat.*

Sedere. — In obscenis. Sic, de viris:

An, continenter quod *sedetis* insulsi
Centum, aut ducenti, non putatis ausurum
Me una ducentos irrumare sessores?

Catull. XXXV, 6 sqq.

Visne salutari sicut Sejanus? . . . .
. . . .
. . . . tutor haberi
Principis angusta Caprearum in rupe *sedentis*
Cum grege Chaldæo? . . .

Juv. X, 90 sqq.

De fœminis:

Puella namque quæ meo sinu fugit,
. . . .
Pro qua mihi sunt magna bella pugnata,
Consedit istic; hanc boni, beatique
Omnes amatis. . .

Catull. XXXV, 11 sqq.

« Ego adhuc servo nunquam succubui... ego etiam si ancilla sum, nunquam tamen, nisi in equestribus *sedeo.* »

Petron. *Sat.*

« Thamar illa, quia se expinxerat, idcirco justæ suspicioni visa est *quæstui sedere.* »

Tertull. *de Cultu fœminarum.*

Sedere. — Modus concubitus, quo mulier virum insidet.

Sellæ, Sellaria. — Pro fornicibus, lupanariis et quibuscumque locis venereis.

« Secessu vero Capreensi, etiam *sellaria* excogitavit, sedem arcanarum libidinum, etc. »

Suet. *in Tiber.* 43.

Sellis enim insidebant meretrices in limine fornicum. Inde *sellariæ* dictæ.

. . . . at tu,
Quum tibi vestiti facies scorti placet, hæres,
Et dubitas alta Chionem deducere *sella*.

Juv. III, 134 sqq.

Sellarii. — Postera venere invicem catenati. Vide Tacit. *Annal.* VI, et Spinthria.

Semen, Seminium. — Animalium σπέρμα. Vide Turneb. XXI, 2.

« . . . nisi huic verri offertur merces, Non hic suo *seminio*, quamquam porculam impertiturus est. »

Plaut. *Mil.* IV, ii, 67 sq.

« Tarsius Amphias, quum ex hortulano potens esset, et in amicum quasi degenerem nonnulla dixisset, mox subjecit : sed et nos de eisdem *seminibus* sumus. »

Macrob. VII, 3.

« Ejus *seminis* mulieres sunt insulsæ. »

Plaut. *Pœnul.* I, ii, 36.

« Vena in maribus quæ *seminium* continet, duplex est. »

Lact. *de Opificio Dei*, 12.

Seminale membrum. — Pro pene.

Porro, (nam quis erit modus, Quirites ?)
Aut præcidite *seminale membrum*, etc.

Priap. Carm. XXV, 1 sq.

Seminatus. — Utero conceptus.

« Hodie illa (Alcumena) pariet filios geminos duos : Alter decumo post mense nascetur puer Quam *seminatus* ; alter mense septimo. »

Plaut. *Amph.* I, ii, 18 sqq.

Semita. — Sæpe in obscenis. Hinc :

Semitam facere. — Pertundere, perforare : dicebatur præsertim de prima in mulierem aggressione.

« Dum ne per fundum septum *facias semitam* ; Dum tete abstineas nupta, vidua, virgine, Juventute, et pueris liberis, ama quid lubet. »

Plaut. *Curcul.* I, i, 36 sqq.

Semitarii. — Qui vilissima scorta et in semitis prostantia consectantur, sub dio subigentes.

. . . . hanc boni, beatique
Omnes amatis, et quidem quod indignum est,
Omnes pusilli et *semitarii* mœchi.

Catull. XXXV, 14 sqq.

Semiviri. — Matris deorum sacerdotes ; sic dicti ob abscissos testes. Sese enim castrabant cultro petrino, aut testa.

. . . . Ecce furentis
Bellonæ, matrisque deûm chorus intrat, et ingens
Semivir, obsceno facies reverenda minori,
Mollia qui rupta secuit genitalia testa.

Juv. VI, 511 sqq.

Hinc *semiviri*, pro quibuscumque castratis.

« Quidam ad magnificas voces excitantur, et transeunt in affectum dicentium alacri vultu et animo : nec aliter concitantur, quam Phrygii solent tibicinis sono ; *semiviri* et ex imperio furentes. »

Senec. *Epist.* 109.

Senaculum. — Conventus mulierum, in quo veneris peritiores de libidinibus disserebant.

« Fecit enim in colle Quirinali *senaculum*, id est mulierum senatum, in quo ante fuerunt conventus matrimoniales solemnibus duntaxat diebus. »

Lamprid. *in Heliogab.*

Vide Concio meretricum.

Sensualia. — Quæcumque ad voluptatem pertinent.

« De sensu autem et de omnibus *sensualibus*. .... nunc totam vobis præstabo rationem. »

Apul. *Hermet.*

Sensus-us, Sensum-i.

« Hoc separantur : *sensus* enim sunt qui sentiunt; *sensa* vero quæ sentiuntur. »

Non. Marc.

Sentire venerem.

Rura fœcundat voluptas, rura *venerem sentiunt*.

Pervigil. Ven. 75.

Sequestra stupri. — Lena, conciliatrix.

« Sed anus quædam *stupri sequestra*, etc. »

Apul. *Met.* I.

Sequior sexus. — (*Apul.*) Sexus muliebris. Hic *sequior* pro minore et inferiore.

Serapis. — Deus Ægyptiorum, qui et Apis et Osiris : sacra ejus libidinibus famosissima. Auctore Strabone, continuo ad *Serapidis* templum navigabant cymbæ plenæ viris mulieribusque impudenter canentibus. Romæ coli cœpit, post Pisonem et Gabinum Coss. Pelusii solemnitus celebrabantur pervigilia *Serapica;*

quorum petulantiam coercuit Antoninus philosophus. (Vide Capitolin. in *Anton. phil.*)

SERICÆ VESTES. — Perlucidæ et quasi vento textæ, ita ut corpus oculis traderetur usque ad secretiora.

« Video *sericas vestes*, si vestes vocandæ sunt, in quibus nihil est quo defendi aut corpus aut pudor possit; quibus sumptis, mulier parum liquido nudam non esse jurabit..... Hæc accersuntur ut matronæ nostræ ne adulteris quidem plus sui in cubiculo quam in publico ostendant. »

SENEC. *de Benef.* 9.

« Infelices ancillarum greges laborant, ut adultera tenui veste perspicua sit, et nihil in corpore uxoris suæ plus maritus quam quilibet alienus aut peregrinus agnoverit. »

SENEC. *Controv.* VI, 2.

Vide COA.

SERVIUS SULPITIUS. — Orator romanus; auctor carminis erotici.

Nec minus Hortensi, nec sunt minus improba *Servi*
Carmina; quis dubitet nomina tanta sequi?

OVID. *Trist.* II, 441 sq.

SERUM. — Semen genitale.

Nescio quid certe est, an vere fama susurrat
Grandia te medii tenta vorare viri?
Sed certe clamant Victoris rupta miselli
Ilia, et emulso labra notata *sero*.

CATULL. LXXV, 5 sqq.

SEXUM MUTARE. — De viro muliebria patiente.

Nolo tamen veteris documenta arcessere famæ:
Ecce ego sum factus *fœmina de puero*.

AUSON. *Epigr.* LXVIII, 15 sq.

SICCA PUELLA. — Carens officio viri.

Cum sene communem vexat spado Dindymus Æglem,
Et jacet in medio *sicca puella* toro.

MART. XI, LXXXII, 1 sq.

Sicca alio sensu dicitur *puella* quæ tussiendo et exscreando exhausta non est, nec madidis pudendis fastidiosa.

« — Lautam vis, an quæ nondum sit lauta? — *Siccam* succidam, Quam lepidissimam potes, quamque adolescentem maxume. »

PLAUT. *Mil.* III, 1, 192 sq.

SIGNATA VIRGO. — Intemerata.

« *Signatam*, integram virginem vetustas voluit dicere. »

NON. MARC.

SILIGO. — Præstantioris farinæ genus, quo beatiorum conficiebantur panes, præsertim in effigiem Priapi, aut inguinis muliebris. Vide PRIAPUS.

Illa *siligineis* pinguescit adultera cunnis;
Convivam pascit nigra farina tuum.

MART. IX, II, 3 sq.

SIMPLATOR. — Comes sponsi.

« Simplones dicuntur convivæ; nam et amicus sponsi, qui cum eo per convivia ambulat, *simplator* dicitur. »

FULGENT. *de Prisc. sermone.*

SINUARE. — Proprie incurvare; in lasciviis usurpatum.

Quum pectora arcte adhærent veneris glutino,
Libido quum lascivo instinctu suscitat
Sinuare ad veneris usum.

APUL. Ἀνεχόμ. 11 sqq.

SINUS. — Pars anterior corporis, a collo usque ad stomachum: sedes papillarum.

Maternosque *sinus* viso genitore relinquat, etc.

MART. VI, XXXVIII, 3.

[redacted]

Meretricum *sinu* pretium coitus deponere solebant Romani. (Ovid. *Amor.* I, VIII, 37.)

Sinu occultabant tabellas amatorias lenæ missariæ et conciliatrices.

> Lena vetat miserum Phryne, furtimque tabellas
> Occulto portans itque reditque *sinu*.
>
> TIBULL. II, VII, 45 sq.

> Conscia quum possit scriptas portare tabellas,
> Quas tegat in tepido fascia lata *sinu*.
>
> OVID. *Am.* III, 621 sq.

SINUS. — Pro pudendis.

« Et Mutinus in cujus *sinu* pudendo nubentes præsident, ut illarum pudicitiam prior deus delibasse videatur. »

LACTANT. *de Falsa relig.* I, 20.

« Medius autem *sinus* mulieris ex membranis nervosis constat. »

Q. Sorani Pseud. Epistola de Priapæ Cleopatris.

SISENNA. — A Cicerone inter oratores, ab Ovidio vero inter pathicos poetas inscriptus. Milesios libros e græco in latinum transtulit.

> Vertit Aristidem *Sisenna*; nec obfuit illi
> Historiæ turpes inseruisse jocos.
>
> OVID. *Trist.* II, 443 sq.

SITUS. — Mucor : de senibus et vetulis: in despectum.

> At vos ne peream *situ* senili,
> Quæso, desinite esse diligentes
> Neve imponite fibulam Priapo.
>
> *Priap. Carm.* LXXVIII, 19 sqq.

> Vagaque pelle, tectus inguinum gelu
> Araneosus obsidet fores *situs*.
>
> *Priap. Carm.* LXXXIV, 28 sq.

SMERDALEUS. — Etymon satis apertum.

Σμερδάλεος certe nisi res non munda vocatur,
Et pædiconum mentula *smerdalea* est.
Priap. Carm. LXVIII, 7 sq.

Sic in epigrammate veteri :

Non mihi laudanturque manus; hæ namque rapaces ;
Et non laudatur mentula, *merdacea* est.

SOCIARE. — In obscenis. Limare, conjungere corpora. Vide Vet. lexic. verbo *limare*.

SOCRATICUS.—Cinædus, pathicus, qui muliebria patitur.

. . . . Quis enim non vicus abundat
Tristibus obscenis? castigas turpia, quum sis
Inter *socraticos* notissima fossa *cinædos*.
JUV. II, 8 sqq.

SOLERE. — Concubare, coire.

« Viris cum suis prædicant nos *solere* : Suas pellices esse aiunt, eunt depressum. »

PLAUT. *Cistell.* I, 1, 38 sq.

« Neque ego illud possum, quod illi qui possunt, *solent.* »
IDEM, *Pseudol.* III, 1, 14.

SOLIUM.—Vas quadratum, quo inguina lavabantur post venerem peractam. Vide ABLUERE.

Incideris quoties in basia fellatorum,
In *solium* puto te mergere, Flacce, caput.
MART. XI, XCVI, 1 sq.

SOLLICITARE. —Ad venerem concitare. Si verbis, est rem rogare; si tractatione, est ad voluptatem concitare.

Et qui *sollicitat* nuptas, ad præmia peccat.
PETRON. *Sat.*

« *Sollicitavit* inguina mea mille jam mortibus frigida. »
IDEM, *ibid.*

hoc consecuta : primo, suî notitia ; deinde et ad quædam consilium. *Formosus*, ut vitaret infamiam. *Deformis*, ut sciret redimendum esse virtutibus, quidquid corpori deesset, etc.

Sic et Claudianus de Laide jam vetula :

. . . . Jam turba procax, noctisque recedit,
Ambitus, et raro pulsatur janua tactu,
Seque reformidat *speculo* damnante senectus.
CLAUD. *in Eutrop.* I, 92 sqq.

Fertur Horatius cubiculum instruxisse undique speculatum, in quo se coeuntem videbat.

« Postea (sub Nerone) *specula*, totis paria corporibus, (gallice *des Psychés*) auro et argento conflata sunt ; denique gemmis adornata ; ita ut plura unum ex his fœminæ constitit quam antiquarum dos fuit. »

SENEC. *Quæst. nat.* I.

Effluxit tandem *speculorum* luxus usque ad infimam plebem.

« Jam libertinorum virgunculis in unum *speculum* non sufficit dos illa, quam dedit senatus pro Scipione. »

IDEM, *ibid.*

SPECUS. — Pro mulierum pudendis.

. . . . inter atra cujus inguina
Latet jacente pantice abditus *specus*.
Priap. Carm. LXXXIV, 27 sq.

Hic *specus* horrendum, talis sese halitus atris
Faucibus effundens nares contingit odore.
AUSON. *Cent. nupt. imminutio.*

SPERATUS, SPERATA. — Vide Alb. Gentil. *de Nupt.* II, 21.

« Inter *speratam*, *dictam*, et *pactam* et *sponsam*, hoc in-

30

interest : quod virgo priusquam petatur *sperata* dicatur. Plaut. *Amph.* II, II, 44 : « Amphitrio uxorem salutat lætus *speratam* suam. » Dehinc promissa, vel *pacta*, vel *sponsa* dici potest. »

NON. MARC. *Nonnull. dict. differentia.*

SPINTHRIA-Æ. — *Spinthriæ* sunt actores impudicitiæ illius qua serie connexi pueri et puellæ, pudendisque concatenati, se invicem ineunt. Fæditas primum a Tiberio inventa. Ab *spinthere*, quod est armilla reflexa ad usum mulierum. Vide Sueton. *in Tib.* 43, et *in Vitell.* 3.

« Tunc primum ignota ante vocabula sellariorum et *spinthriarum*, ex fœditate loci et multiplici patientia. »

TACIT. *Annal.* VI, I.

SPINTURNICIUM. — Mulier deformis turpisque vultus; a *spinturnice* avi quæ, ex Plinio, deformitate insignis est, et inauspicata.

« Edepol hæc quidem Bellula est. — Pithecium hæc est præ illa et *spinturnicium*. »

PLAUT. *Mil.* IV, I, 41 sq.

SPONDA. — Lateralis cubilium tabula, culcita ad fulciendum.

Illic nec voces, nec verba juvantia cessent,
Spondaque lasciva mobilitate tremat.

OVID. *Amor.* III, XIII, 25 sq.

Metonymice vero, de illis quæ lecto venerem patiuntur. Sic a Dolabella Cæsar, qui Nicomedis delicium audiebat, dictus est *sponda* interior regiæ lecticæ. Vide Suet. *in Cæsare*, 49.

SPONSA. — Solemni stipulatione virgo promissa in uxorem. Solemnem *sponsalium* formam sic Plautus exprimit:

« Quid nunc ? etiam mihi despondes filiam ? — Illis legibus, cum illa dote, quam tibi dixi.—Sponden' ergo ?—Spondeo.— Istuc dî bene vortant. »

PLAUT. *Aulul.* II, II, 77 sqq.

SPONSA. — Pro catamito.

Sed patris ad speculum tonsi, matrisquæ togatæ
Filius, et *sponsam* possit te *sponsa* vocare.

MART. VI, LXIV, 4 sqq.

Quem patitur dormire nurus corruptor avaræ,
Quem *sponsæ* turpes et prætextatus adulter ?

JUV. I, 77 sq.

SPURCUS. — Obscenus, impurus, libidinosus.

Utne tegam *spurco* Damæ latus ? . .

HOR. *Sat.* II, V, 18.

« Si forte pure velle habere dixerit, Tot noctes reddat *spurcas*, quot puras habuerit. »

PLAUT. *Asin.* IV, I, 61 sq.

SPURII. — Nati a matre non nupta. Sic dicti a *spurio*, nomine apud Sabinos partis illius qua mulieres fœminæ sunt. Vide Plutarch. *Quæst. rer. rom.*

Spurius ergo, quicumque ortus est ex coitu illegitimo. (*Ulp.*) Vide ADVENTITIUS, NOTHUS, VERNA.

STABULUM. — Diversorium, hospitium, taberna; sæpissime pro lupanare : nam fere omnibus hospitiis erant fornices, et ibi stantia scorta.

« Ego sum ancilla Quartillæ, cujus vos sacram ante cryptam turbastis ; ecce ipsa venit ad *stabulum*, petitque ut vobiscum liceat loqui, etc. »

PETRON. *Sat.*

STABULUM. — Pro pathico; eo sensu a Curione dictus Cæsar *stabulum* Nicomedis. Suet. *in Cæs.* 49.

STABULUM FLAGITII. — Pro scorto.

« Tune ais impudentem me esse, ipsa quæ sis *stabulum flagitii?* »

PLAUT. *Trucul.* II, VII, 31.

STARE. — De prostibulis.

Contra alius nullam nisi olenti in fornice *stantem*.

HOR. *Sat.* I, II, 30.

« Meretrix vocata es, in communi loco *stetisti*, *stetisti* puella in lupanari, etc. »

SENEC. *Controv.* II, I.

STARE. — De viro, arrigere.

Stare, Luperce, tibi jam pridem mentula desit ;
Luctaris demens tu tamen arrigere.

MART. III, LXXV, 1 sq.

Obliquis, pathicæ, quid me spectatis ocellis ?
Non *stat* in inguinibus mentula tenta meis.

Priap. Carm. LXXV, 1 sq.

STARE. — De papillis. Prominere.

Hic corpus solidum invenies ; hic, *stare* papillas
Pectore marmoreo. . . .

Centon. Lucilian. 5 sq.

STERILITAS. — In opprobrium apud Romanos.

Interea tormentum ingens nubentibus hæret,
Quod nequeunt parere, et partu retinere maritos.

JUV. II, 137 sq.

Credebant antiqui, mulierem sterilem concipere posse, si pyxide inclusam araneam gestet in sinu.

. . . . *steriles* moriuntur, et illis
Turgida non prodest condita pyxide Lyde.

JUV. II, 140 sq.

Medicaminibus libidinosiores non tantum conceptum abolere conabantur, sed et facultatem ipsam concipiendi.

« Mulier quæcumque fecerit, per quod jam non possit concipere quotiescumque poterat, tantorum homicidiorum se esse ream cognoscat. »

AUG. *Serm. de temp.* 3.

STERILIS. — Castratus.

. . . . Quid fertile terris,
Quid plenum *sterili* possit sub consule nasci?

CLAUDIAN. *in Eutrop.* I, 495 sqq.

Idem qui teneris nuper succurrit ephebis,
Ne faceret *steriles* sæva libido viros.

MART. IX, VIII, 7 sq.

Agricolæque modo, curvum sectarer aratrum,
Dum subigunt *steriles* arva serenda boves.

TIBULL. II, III, 7 sq.

STERILIS AMATOR. — Pauper; qui amicæ suæ nil doni dat. (*Plaut.*)

STERNUTAMENTUM. — Faustum omen antiquis, præcipue si dextrorsum quis sternuisset. Vid. Eustath. in Iliados VII; sic in Odyss. XIV, gaudet Penelope sternutatione Telemachi.

Hoc ut dixit, Amor sinistra ut ante,
Dextra *sternuit* adprobatione. . .

CATULL. XLII, 8 sq.

Num tibi nascenti primis, mea vita, diebus
Aridus argutum *sternuit* omen Amor?

PROPERT. II, III, 23 sq.

STIMULATRICES. — De lenis; quod ex officio mulieres urgent et stimulant, ut se vulgent.

« Vix comprimor quin involem illi in oculos *stimulatrici.* »

PLAUT. *Mostell.* I, III, 46.

Et paulo post :

« In anginam ego nunc velim verti, ut veneficæ illi Fauces prehendam, atque enicem scelestam *stimulatricem.* »

IDEM, *ibid.* 61 sq.

STOLA. — Operimentum specialiter matronis tributum.

» Matronas appellabant eas quibus *stolas* habendi jus erat. »
FESTUS.

« Muliebria vestimenta sunt, quæ matrisfamilias caussa sunt comparata, quibus vir non facile uti potest sine vituperatione; veluti *stolæ*, pallæ, tunicæ, capitiæ, zonæ. »
ULP. *Lib.* XXIII, *ff. de auro et argento.*

Longa erat *stola* et talaris.

Este procul, vittæ tenues, insigne pudoris,
Quæque tegis medios, instita longa, pedes.
OVID. *Art. Amat.* I., 31 sq.

Matronæ, præter faciem, nil cernere possis,
Cætera, ni Catia est, demissa veste tegentis.
Si interdicta petes, vallo circumdata (nam te
Hoc facit insanum) multæ tibi tum officient res:
Custodes, lectica, ciniflones, parasitæ,
Ad talos stola demissa, et circumdata palla...
HOR. *Sat.* I, II, 94 sqq.

Hinc:

STOLATA. — Pro matrona. Sic Caligula Liviam aviam suam *Ulyssem stolatum* appellabat, tamquam occulte astutissimam. Addam illud acerbissimum Ciceronis in Antonium:

« Sumpsisti virilem togam, quam statim muliebrem *stolam* reddidisti. »
Philippic. II.

Quis floralia vestit, et *stolatum*
Permittit meretricibus pudorem?
MART. I, XXXVI, 8 sq.

Vide MATRONA, ADULTER.

STRICTIVELLÆ. — Fœminæ, quarum trita pellis et quasi

adusta nimio usu pumicis aut volsellæ, quibus utebantur ad cilia castiganda, cæterosque pilos evellendos.

« Scrantiæ, scrupedæ, *strictivellæ*, tantulæ. »

PLAUT. *frag. Nervol.* 2.

STROPHIUM.

« *Strophium* est fascia brevis quæ virginalem tumorem cohibet papillarum. »

NON. MARC.

Non contecta levi velatum pectus amictu,
Non tereti *strophio* lactentes vincta papillas.

CATULL. LIX, 64 sq.

STUDIUM. — Verbum blandientis.

« Hujus cor, hujus *studium*. »

PLAUT. *Pœnul.* I, II, 178.

STUPRUM. — Proprie coitus lege vetitus.

« Ac statim fugitivi contra præceptum ducis rapere ad *stuprum* virgines matronasque. »

SALLUST. *Hist. lib.* III, *apud Non. Marc.*

SUADELA. — Græcis Πειθω. Inter numina nuptialia numeratur a Plutarcho in *Rom. quæst.* Præerat blanditiis, *suadentibusque verbis* quibus matrimonia conciliantur.

Scilicet uxorem cum dote, fidemque et amicos,
Et genus et formam regina pecunia donat,
Ac bene nummatum decorat *Suadela* Venusque.

HOR. *Epist.* I, VI, 36 sqq.

SUBACTOR. — Agens in quacumque venere.

« Romam ut rediit, *subactore* suo Antero post se in currum locato, ita triumphavit, ut eum sæpius cervice reflexa publice oscularetur. »

LAMPRID. *in Commod.*

SUBARE. — De fœmina libidinante. A *subatione*, verbo technico scrofarum ardoris ad mares.

. . . . fœminæ
Inter gannitus et *subantis* voculas,
Carpunt papillas, atque amplexus intiment.

APUL. Ἀνεχόμ. 13 sqq.

«... verrem, *subantis* audita voce, nisi admittatur, cibum non capere usque in maciem; fœminas autem in tantum efferari, ut homines lacerent, candida maxime veste indutum. »

PLIN. X, 163.

. . . . jamque *subando*
Tenta cubilia, tectaque rumpit.

HOR. *Epod.* XII, 11 sq.

SUBATIO. — Eodem sensu et apud eumdem.

SUBIGERE. — Sibi ad stuprum marem aut fœminam subjicere.

Ecce Cæsar nunc triumphat, qui subegit Galliam.
Nicomedes non triumphat, qui *subegit* Cæsarem.

SUETON. *in Cæsare*, 49.

Deformis uxor cui sit, ancilla elegans,
Uxorem habere, *subigere* ancillam velit.

AUSON. *Epigr.* CXXXIII, 1 sq.

Hinc:

SUBIGUS, SUBIGA, SUBJUGUS.—Deus adhibitus ut bene et apte maritus subigeret. Vide Aug. *de Civ. Dei* VI, 9; Tertull. *ad Nationes*, II, 11; *Rom. triumph.* I, 14.

SUBIGITARE. — Nequiter lasciveque attrectare.

« Neque ego unquam alienum scortum *subigito* in convivio.

PLAUT. *Mil.* III, 1, 58.

» Nunc tu si vis *subigitare* me, proba est occasio »

IDEM, *Cas.* V, IV, 2.

SUBIGITATIO. — Actus *subigitantis*.

« Spectatores, ad pudicos mores hæc fabula est : Neque in hac *subigitationes* sunt, neque ulla amatio. »

PLAUT. *Captiv.* V, IV, 1 sq.

SUBIGITATRIX. — Tribas.

« Ne me attrecta, *subigitatrix.* — Sin te amo ? — Male operam locas. »

PLAUT. *Pers.* II, II, 45 sq.

SUBIRE. — In obscenis. Pro inire; tunc de agente.

Naiadas antiqui Dryadasque habuere Priapi,
Et, quo tenta dei vena *subiret*, erat.

Priap. Carm. XXXIII, 1 sq.

SUBIRE. — Pro prostare, aut se inclinare; rem pati.

Hippo *subit* juvenes, et morbo pallet utroque.

JUV. II, 50.

SUBLIGAR, SUBLIGACULUM.—Vestis qua pudendæ partes tegebantur. Sic dicta quod subtus ligabatur.

« Scenicorum quidem mos tantam habet, vetere disciplina, verecundiam, ut in scenam sine *subligaculo* prodeat nemo. »

CIC. *de Offic.* I.

Narrat te rumor, Chione, nunquam esse fututam,
Atque nihil cunno purius esse tuo.
Tecta tamen non hac, qua debes, parte lavaris;
Si pudor est, transfer *subligar* in faciem.

MART. III, LXXXVII, 1 sqq.

SUBNUBA. — Concubina, pellex.

. . . . lecti quoque *subnuba* nostri
Mœreat. . . .

OVID. *Epist.* VI, 153 sq.

SUBSIDERE. — Verbum venereum, usitatissimum de fœmina marem subeunte.

Et pecudes et equæ maribus *subsidere* possent.

LUCRET. IV, 1191.

Novaque monstra junxerit libidine
Mirus Amor; juvet ut tigres *subsidere* cervis,
Adulteretur et columba milvio.

HOR. *Epod.* XVI, 30 sqq.

Vide SEDERE.

SUBSTERNERE. — Eodem sensu.

Liber ut innuptæ potiretur flore novercæ,
Ignaro mater *substernens* se impia nato.

CATULL. LIX, 403 sq.

SUBULO-ONIS. — Pædico; a *subula* qua sutores corium pertundunt. Vide PULLIPREMO.

SUBURRANÆ. — Vilissima scorta, a *Suburra*, Romæ vico, spelunca furum et prostibulorum.

Famæ non nimium bonæ puellam,
Quales in media sedent *Suburra*,
Vendebat modo præco Gellianus.

MART. VI, LXVI, 1 sqq.

Nota *Suburranas* inter Telethusa puellas,
Quæ, puto, de quæstu libera facta suo est.

Priap. Carm. XL, 1 sq.

SUCCIDA MULIER. — Succo plena et bene habita.

« Siccam, *succidam*, Quam lepidissimam potes, quamque adolescentem maxume. »

PLAUT. *Mil.* III, 1, 92 sq.

SUCCUBA. — Adultera, stuprata (*Ovid.*); quod sub viro cubat; vel a *succumbere*.

« Subcuboneum positum pro *succuba*. Titinnius testis est in Psaltria : *contemplari ancillas, quam arbitrer illarum subcuboneum esse.* »

NON. MARC.

SUCCUMBERE. — Verbum venereum; stuprum concedere.

Aufilena, viro contentam vivere solo,
Nuptarum laus est laudibus eximiis;
Sed cuivis quamvis potius *succumbere* fas est,
Quam matrem fratres efficere ex patruo.

CATULL. CVI, 1 sqq.

SULCUS. — Opus venereum.

Arentque *sulcos* molli in arvo venerio.

APUL. Ἀνιχόμ. 16.

SULPITIA. — Poetria erotica, sed pudica; scripsit de amore conjugum.

Omnes *Sulpitiam* legant puellæ,
Uni quæ cupiunt viro placere;
Omnes *Sulpitiam* legant mariti,
Uni qui cupiunt placere nuptæ.

MART. X, XXXV, 1 sqq.

SUMEN. — Pro mamma a sugendo. Vide *Non. Marc.*

Quod si nulla potest mulier tam corpore duro
Esse, tamen tenero maneat succussa lacerto,
Et manus uberior lactanti in *sumine* sidat.

LUCIL. *Frag.* IV, 13 sqq.

SUMERE FŒMINAM, SUMERE ALIQUID. — Verbum nuptum pro venerem agere.

Quum duo venissent ad Phyllida mane fututum,
Et nudam cuperet *sumere* uterque prior:
Promisit pariter se Phyllis utrique daturam,
Et dedit: ille pedem sustulit; hic tunicam.

MART. X, LXXXI, 1 sqq.

« Unus et senex non erit gravis; etiam valuerit *aliquid sumere*, opus anhelitu perdet. »

PETRON. *Sat.*

SUMMA PETERE. — Irrumare.

Quid miseros frustra cunnos culosque lacessis?
Summa petas: illic mentula vivit anus.

MART. XI, XLVII, 5 sq.

Per medios ibit pueros mediasque puellas
Mentula : barbatis nonnisi summa petet.

Priap. Carm. LXXVI, 1 sq.

SUMMITTERE SE. — Se viro subjicere.

. . . . . quem Massa timet, quem munere palpat
Carus, et a trepido Thymele *summissa* Latino.

Juv. I, 35 sq.

SUMMŒNIANÆ. — Scorta quæ sub mœnibus vagabant.

Conviva quisquis Zoili potest esse,
Summœnianas cœnet inter uxores.

MART. III, LXXXII, 1 sq.

SUPERCILIA. — Plene nigra in laude habebantur. Inde fuligine collinebant, non tantum comam, sed et oculos.

« ...nigrum pulverem quo oculorum exordia producuntur. »

TERTULL. *de Habitu mulierum*, 2.

SUPERDUCERE. — Dicebatur de secundis nuptiis, quum vir alteram duceret uxorem, post prioris mortem, aut divortium cum illa.

« Duobus filiis quidam *superduxit* uxorem. »

SENEC. *Declamat.* I.

SUPPALPARI. — Blandiri, assentari.

« Insinuat sese ad illam amicam heri mei; Occœpit ejus matri *suppalparier* Vino, ornamentis, opiparisque obsoniis. »

PLAUT. *Mil.* II, 1, 27 sqq.

SUPPARUS. — Indusium muliebre, camisiis tunc temporis præsimile.

« *Supparus*, lineum puellarum vestimentum, quod et subucula appellatur. »

FESTUS.

Vide Plaut. *Epidic.* II, II, a versu 45 ad 51, ubi de illis mulieribus,

« *Quæ vesti quotannis nomina inveniunt nova.* »

SUPPEDERE. — Pædicare. A *pedo*, pastorum baculo; nam proprie *suppedit* qui baculum plantat.

« *Suppedit* flagitium est. »

CIC. *Ep. ad. Fam.* III, 22.

SUPPLICIUM PUERILE. — Patientia in pædicatione.

Uxorem armati futuis, puer Hylle, tribuni,
Supplicium tantum dum *puerile* times.

MART. II, LX, 1 sq.

SUPPONERE. — Adducere ad stuprum, prostituere.

« Nam mihi ab hippodromo memini afferri parvolam Puellam, eamque me mihi *supponere.* »

PLAUT. *Cistell.* II, III, 10 sq.

SUPPOSTRIX PUERORUM. — Quæ puerum alienum loco legitimi supponit.

« *Suppostrix puerûm !* Ego edepol jam tua probra aperibo omnia. »

PLAUT. *Trucul.* IV, II, 50.

SURGERE. — Arrigere.

Triginta tibi sunt pueri, totidemque puellæ;
Una est, nec *surgit* mentula. Quid facies?

MART. XII, LXXXVI, 1 sq.

SURGERE. — De papillis; crescere, tumescere.

Ipsa *surgentes* papillas de Favoni spiritu
Urget in notos penates. . . .

Pervigil. veneris, 13 sq.

SUSCEPTIO. — Actus quo pater novum natum ex humo tollit, suumque dicit. Vide INFANTES.

SUSCIPERE PUEROS. — Usitatissimum.

« Uno partu duos peperit simul; Eorum alter nostro qui est *susceptus* semine, Suis factis te immortali afficiet gloria. »

PLAUT. *Amph.* V, II, 8 sqq.

SUSPECTA LIBIDO. — De sene; pro fellatione.

Anne aliquid sperare potest hæc inguinis ægri
Canities? quid, quod merito *suspecta libido* est,
Quæ venerem affectat sine viribus?

JUV. X, 207 sqq.

SUSURRUS AMANTIUM. — Næniæ, querimoniæ, inter amasiorum dementias, quod ἀλλήλοις ψιθυρίζειν aptissime dicit Theocritus.

Ad solitum coiere locum, tum in *murmure parvo*
Multa prius questi. . . .

OVID. *de Pyram. et Thisbe*, *Met.* IV, 83 sq.

. . . . . . Nunc et campus et areæ,
Lenesque sub noctem *susurri*
Composita repetantur hora.

HOR. *Od.* I, IX, 18 sqq.

SYBARIS. — Magnæ Græciæ oppidum, inter Crathin et Sybarin amnes, moribus pathicis famosissimum. Convivas in proximum annum invitabant, ne spatium interim deesset, convivatori delicias conquirendi, et convivis ipsis corpus exornandi.

Equos suos ad tibiam saltare condocefaciebant *Sybaritæ*, quo mollitiei genere, auctore Aristotele, postremo penitus eversi sunt. Nam hac re percepta, Crotoniatæ tibicines in aciem eduxerunt qui in ipso pugnæ congressu modum illum cecinerunt, quem equi noverant. Hoc sonitu moti, equi in mediam aciem saltare cœperunt, sessores suos raptantes. Turbatis ergo ordinibus suis, *Sybaritæ* victi et deleti sunt.

A *Sybaritica* mollitie proverbia illa : *Sybaritica mensa*, *Sybaritica sus*.

> Nullum crimen abest, facinusque libidinis, ex quo
> Paupertas romana perit : hinc fluxit ad istos
> Et *Sybaris* colles. . . .
>
> Juv. VI, 294 sqq.

SYBARITIS.—Liber fœdissimus, sic dictus ab Hemiteonte *Sybarita*, qui scripsit de generibus voluptatum et obscenarum libidinum.

> Nec, qui composuit nuper *Sybaritida*, fugit;
> Nec quæ concubitus non tacuere suos.
>
> Ovid. *Trist.* II, 417 sq.

> Musæi pathicissimos libellos,
> Qui certant *Sybariticis* libellis,
> Et tinctas sale pruriente chartas,
> Instanti, lege, Rufe. . . .
>
> Mart. XII, xcv, 1 sqq.

SYMPLEGAS, SYMPLEGADES. — Nates; mere græcum. Συμπλέγαδες sunt insulæ duo parvulæ, parvoque distantes spatio, quæ credebantur se invicem concutere. Inde pro clunibus, et *symplegadis antrum* pro podice.

> Si constringuntur gemina *symplegade* culi,
> Et Minyas intrant, Cyaneasque nates.
>
> Mart. XI, c, 5 sq.

> Brachia deinde rotat, velut enthea dæmone mænas,
> Pectus, crura, latus, ventrem, femora, inguina, suras,
> Tergum, colla, humeros, luteæ *symplegadis* antrum.
>
> Auson. *Epigr.* CV, 7 sqq.

SYMPLEGMA. — A συμπλέκω, *complico*. Series cinædorum qui se invicem ineunt, simul agentes et patientes.

> Præstent, et taceant quid exoleti;
> Quo *symplegmate* quinque copulentur;
> Qua plures teneantur a catena.
>
> Mart. XII, xliii, 7 sqq.

TABELLÆ. — Amatoriæ.

Lena vetat miserum Phryne, furtimque *tabellas*
Occulto portans itque reditque sinu.

TIBULL. II, VII, 46 sq.

Quamvis te nudum spumanti Virro labello
Viderit, et blandæ assidue densæque *tabellæ*
Sollicitent. . . .

JUV. IX, 35 sqq.

Munera cur mihi, quidve *tabellas*
Mittis, nec firmo juveni, neque naris obesæ?

HOR. *Epod.* XII, 2 sq.

TABERNA. — Non tantum de œnopolio dicebatur, sed voce generica de quocumque loco populari. Vide Varr. *de Vita populi romani, lib.* II, et Non. Marc. Hinc sæpissime, pro fornice et lupanare.

Salax *taberna*, vosque contubernales,
. . . .
Solis putatis esse mentulas vobis?
Solis licere quidquid est puellarum
Confutuere, etc.

CATULL. XXXV, 1 sqq.

Unde :

TABERNARII. — Qui lustra concelebrant.

« Qui ex rupiconibus, bajulis, *tabernariis*, tam infans est, ut si pallium accipere velit, vel disertius maledicat. »

APUL. *Florid.* I.

TABULÆ MATRIMONIALES. — Codices quibus inscribebantur pacta nuptialia. Moris erat illas rumpere, quum matrimonium divortio solveretur.

. . . . Fugientem sæpe puellam
Amplexu rapui : *tabulas* quoque ruperat, et jam
Signabat.

JUV. IX, 74 sqq.

TABULÆ TILIACEÆ. — Ferulæ ligneæ, quibus fœminæ, necnon senes fasciabantur, ut recti incederent. Similes thoracibus illis quos Galli nuncupant *des corps baleinés*.

« Sed quum esset longus et senex, incurvareturque, *tiliaceis tabulis* in pectore positis fasciabatur, ut rectus incederet. »

JUL. CAPITOLIN. *in Antonino Pio.*

TACERE. — Verbum nuptum; irrumari : nam qui irrumatur loqui non potest.

Lingis, non futuis meam puellam,
Et garris quasi mœchus et fututor.
Si te prendero, Gargili, *tacebis.*

MART. III, XCVI, 1 sqq.

TÆDÆ. —Faces nuptiales, e spina alba confectæ, quod talibus usi essent Romani in Sabinarum raptu.

Pelle humum pedibus; manu
Spineam quate *tædam.*

CATULL. LVI, 14 sq.

Sæpissime pro ipso matrimonio.

Vos ego sæpe meo vos carmine compellabo,
Teque adeo eximiæ *tædis* felicibus aucte,
Thessaliæ columen, Peleu. . . .

CATULL. LIX, 24 sqq.

TANGERE. — Verbum venereum; cum aliquo aut aliqua rem habere.

Nil medium est; sunt qui nolint *tetigisse*, nisi illas
Quarum subsuta talos tegat instita veste.

HOR. *Sat.* I, II, 28 sq.

. . . . Verum hoc se amplectitur uno,
Hoc amat, hoc laudat : matronam nullam ego *tango.*

IDEM, *ibid.* 53 sq.

. . . . . nam insidias mihi instruentem
Tangam te prius irrumatione.

CATULL. XVIII, 7 sq.

TARENTUM. — Magnæ Græciæ oppidum, Sybaris libidinibus æmulum. Adeo enim fractis moribus fuisse traduntur *Tarentini*, ut universum singuli corpus comere instituerint, virginumque more, translucentibus linteis ex domo exeuntes velari consueverint.

Pectinibus patulis jactat se *molle Tarentum.*

HOR. *Sat.* II, IV, 34.

TAURUS. — Pro viro, tanquam admissario; præsertim pro valido frequentatur; a re rustica ductum.

Nondum subacta ferre jugum valet
Cervice, nondum munia comparis
Æquare, nec *tauri* ruentis
In venerem tolerare pondus.

HOR. *Od.* II, V, 1 sqq.

« Nam et infans cum paribus inquinata sum; et subinde prodeuntibus annis, majoribus me pueris adplicui, donec ad hanc ætatem perveni. Hinc etiam puto natum proverbium illud, ut dicatur, *posse taurum tollere, quæ vitulum sustulerit.* »

PETRON. *Sat.*

Apud græcos tragicos ἀλαύρολος ponitur pro *virgine*, quasi *sine tauro*.

TEGETES. — A *tegendo*. (*Non. Marc.*) Mattæ junceæ quibus sternebantur duri lupanarium grabati.

. . . . . . dormire virum quum senserat uxor,
Ausa Palatino *tegetem* præferre cubili, etc..

JUV. VI, 116 sq.

Hinc pro lupanari ipso quidam sumunt:

Nec est amici, filiusve vicini;

Sed in grabatis *tegetibus*que concepti,
Materna produnt capitibus suis furta.

MART. VI, XXXIX, 3 sqq.

Telum. — Pro virga virili.

Pædicare semel cupido dabit illa marito,
Dum metuit *teli* vulnera prima novi.

MART. XI, LXXXIX, 5 sq.

Illa manu moriens *telum* trahit : ossa sed inter
Altius ad vivum persedit vulnere mucro.

AUSON. *Cent. nupt. imminutio.*

Vide *Priap. Carm.* VIII.

Teminare. — Vim inferre, polluere. Inde *contaminare.* (*Fest.*)

Tempestiva viro. — Virgo nubilis, viripotens.

Atqui non ego te, tigris ut aspera,
Getulusve leo, frangere persequor.
Tandem desine matrem
Tempestiva sequi *viro.*

HOR. *Od.* I, XXIII, 9 sqq.

Templa deorum. — Sæpissime libidinibus fœdata.

« Cæterum adjiciam, quæ non minus conscientiæ omnium recognoscent, in templis adulteria componi, inter aras lenocinia tractari, in ipsis plerumque æditourum et sacerdotum tabernaculis, sub iisdem vittis purpureis, thure flagrante, libidinem expungi. »

TERTULL. *Apologet.* 15.

Nuper enim, ut repeto, fanum Isidis, et Ganymedem
Pacis, et advectæ secreta palatia Matris,
Et Cererem (nam quo non prostat fœmina *templo?*)
Notior Aufidio mœchus scelerare solebas, etc.

JUV. IX, 22 sqq.

Isidis præsertim sacrario stupra promiscue fiebant, ut in domo lenonis.

. . . . jamque exspectatur in hortis,
Aut apud *Isiacæ* potius sacraria *lenæ*.

JUV. VI, 488 sq.

TENDERE. — In obscenis; arrigere.

« Arcum et ipse meum *tetendi.* »

APUL. *Met.* I.

Ulcus habet, Priami quod *tendere* possit alutam,
Quodque senem Peliam non sinat esse senem.

MART. XI, LXI, 3 sq.

TENSUS. — De mentula.

Totamque hanc sine fraude, quantacumque est,
Tormento citharaque *tensiorem*,
Ad costam tibi septimam recondam.

Priap. Carm. V, 4 sqq.

Ille Pelethroniam cecinit miserabile carmen
Ad citharam, cithara *tensior* ipse sua.

Priap. Carm. LXIX, 7 sq.

TENERE. — Possidere ad venerem.

Prendam te tamen, et *tenebo* prensam.

Priap. Carm. V, 3.

Tene Thetis *tenuit*, pulcherrime Neptunine?

CATULL. LIX, 28.

TENTIGO. — Pruritus quo virilia extenduntur, aut murtum arrigit in fœminis; ardor concubitus.

Hac *tentigine*, quam videtis in me,
Rumpatur precor usque, mentulaque
Nequicquam sibi pulset umbilicum.

Priap. Carm. XXII, 4 sqq.

. . . . . adhuc ardens rigidæ *tentigine* vulvæ.

JUV. VI, 128.

TENTUM. — Fascinum, penis.

. . . . an vere fama susurrat
Grandia te medii *tenta* vorare viri?

CATULL. LXXV, 5 sq.

Unde deorum vehiculum *tensum*, non *tentum* nominarunt, ne turpe verbum sonaret in sacris.

TEREBRA. — In obscenis.

« *Terebra* tu quidem pertundis. »

PLAUT. *Frag. Astraba*, vers. 5.

« *Terebratus* multum sit, et subscudes addite. »

IDEM, *ibid.* vers. 7.

TERERE. — Perforare; dicebatur præsertim de prima aggressione.

Licebit æger aut languentior cubes,
Tereris usque donec ah! miser, miser!
Triplexque quadruplexque compleas specum.

Priap. Carm. LXXXIV, 32 sqq.

TESTES. — Colei sic dicti, quod intersunt dum res geritur.

Dicat forsitan hæc sibi ipse: nemo
Præcisum sciet esse me; sed errat:
Magnis *testibus* ista res agetur.

Priap. Carm. XIV, 5 sqq.

« Quod amas, amato *testibus* præsentibus. »

PLAUT. *Curc.* I, I, 31.

SINE TESTE FACERE. — Natibus aut ore pollui; quum ad id utrumque testibus non opus sit.

Non pædicari qui se testatur, Amille,
Illud sæpe facit, quod *sine teste facit.*

MART. VII, LXII, 5 sq.

TESTICULARE. — Pædicare, quod Græcis ὀρχιπαιδίζειν.

« — Mihi quoque adsunt testes, qui illud quod ego dicam, assentiant. — Qui? testes? — Testes. — Quid *testiculare*? — Enim uno sat est, etc. »

PLAUT. *Amph.* II, II, 193 sq.

TESTICULARI. — Jumentis maribus fœminas admovere, et contra. (*Fest.*; *Lubin. antiquar.*)

TESTICULI BILIBRES. — Amplissimi. Hic pondus pro mensura.

> Ergo exspectatos ac jussos crescere primum
> *Testiculos*, postquam cœperunt esse *bilibres*,
> Tonsoris damno tantum rapit Heliodorus.
>
> JUV. VI, 370 sqq.

TESTICULUS PATERNUS. — Pro majoribus.

> Hæc fierent, si *testiculi* pars ulla *paterni*
> Viveret in nobis?
>
> PERS. I, 103 sq.

TESTICULI PUGILLARES. — Grandes, succo pleni, ut excrescunt adsiduo libidinis usu; adulti.

> Nec *pugillares* defert in balnea raucus
> *Testiculos*, nec vellendas jam præbuit alas,
> Crassa nec opposito pavidus tegit inguina gutto.
>
> JUV. XI, 156 sqq. *de puero casto.*

TESTUDO. — Apud veteres secreti ac silentii symbolum. Hoc argumento Heliensibus Phidias Venerem fecit quæ *testitudinem* calcabat,

« Opertius implicatiusque commonstrans esse *muliebris decoris* ædes custodire ac silentium. Uxorium quippe ornamentum est, aut cum marito aut per maritum loqui. Nam et Ægyptiis inde uti calceis non fuit patrii moris, ut ita domi se continere quodammodo cogerentur. »

CÆL. RHOD. *Lect. antiq.* V, 3.

THALAMUS. — Proprie lectus nuptialis, θάλαμος.

> Contigit et *thalami* mihi gloria rara, fuitque
> Una pudicitiæ mentula nota meæ.
>
> MART. X, LXIII, 7 sq.

Thalamus. — Pro matrimonio. Sic Ovid. *petere thalamos*, pro uxorem poscere, et Senec. *felici thalamo virginem dotare*, id est conjugio.

Thalamus. — Pro officio ipso maritorum.

Deinde experta latus, madidoque simillima loro
Inguina, nec lassa stare coacta manu,
Deseris imbelles *thalamos*, mollemque maritum....

Mart. VII, lviii, 3 sqq.

Thalassio, Thalassus, Thalassius. — Ex thalamo; deus nuptiarum. Apud Græcos *Hymenæus*. Laudes ejus canebantur versu lascivo.

Præluxere faces: velarunt flammea vultus;
Nec tua defuerunt verba, *Thalasse*, tibi....

Mart. XII, xlii, 3 sq.

Thalassio. — Cantus nuptialis, ex ritu lascivus.

Quid si me jubeas *thalassionem*
Verbis dicere non *thalassionis*?

Mart. I, xxxvi, 6 sq.

Vel acta puero cum viris convivia,
Udæque per somnum nates,
Et inscio repente clamatum super
Thalassio, *thalassio*.

Virgil. *ex Catalect.*

Theatra Romanorum. — Veneri sacrata, ob ludorum salacitatem, necnon agentium mimorum impudicitiam.

« Itaque tametsi theatrum proprie sacrarium esset Veneris, etiam domum Liberi fuisse, etc. »

Tertull. VI *de Spectaculis*.

Prostibula enim per ludos publicos in scenam introduci solebant, et exponi omnium non libidini solum, sed et licentiæ; et non sine pompa, et cum prædica-

tione præconis per vicos et plateas. Quod patet ex pluribus locis ejusdem Tertulliani, et ex Plauto :

« Ea invenietur et pudica et libera, Ingenua Atheniensis, *Neque quicquam stupri Faciet profecto in hac quidem comœdia.* »

PLAUT. *Prolog. Casin.* 81 sqq.

Quibus et ludis incensi viri sæpe in ipso theatro stuprationibus vacabant.

Quid faciet custos, quum sint tot in urbe *theatra?*
Quum spectet junctos illa libenter equos?

OVID. *Art. amand.* III, 633 sqq.

Mimulæ vero, post actam comœdiam, ibant patratum.

« Mox hercle vero post, transacta fabula, Argentum si quis dederit, ut ego suspicor, *Ultro ibit nuptum*, non manebit auspices. »

PLAUT. *Prolog. Casin.* 84 sqq.

Notum denique est illud Catonis ad floralia gradibus adstantis. Quum enim ex ritu festi mimulæ se nudare inciperent, viso Catone et tanti viri præsentia retentæ effugerunt. Quo admonitus Cato ex theatro recessit.

Nosses jocosæ dulce quum sacrum Floræ,
Festosque lusus et licentiam vulgi,
Cur in theatrum, Cato severe, venisti?
An ideo tantum veneras, ut exires?

MART. I, I, I sqq.

Immo, scenam et proscenium scorta obsidebant, ex more antiquo. Hinc Plautus :

« Bonum factum'st, edicta ut servetis mea : Scortum exoletum ne quis in proscenio Sedeat. »

PLAUT. *Pœnul. prolog.* 16 sqq.

[redacted]

Huc intrant faciles emi puellæ.

STAT. *Silv.* I, VI, 71.

Locis peculiaribus segregabantur prætextati et pullatorum turba.

. . . . Exeat, inquit,
Si pudor est. et de pulvino surgat equestri,
Cujus res legi non sufficit, et sedeant hic
Lenonum pueri quocumque in fornice nati.

JUV. III, 153 sqq.

In theatris sedes distinguebantur ex ordine civium, et in quocumque ordine ex ætate et pudore publico. (*Suet. in August.*)

Loca majorum et summatum cardinibus obsepta erant, ne ad eos temere ingrederetur vulgus. (*Tertull. de Spectaculis*, III.) Gradus vero plebis undelibet patebant. (*Tertull. ibid.*) Tamen inter plebeios, maritis et patribusfamiliæ honorabiliores scamni adsignabantur. (*Sueton. ibid.*)

Sedere in equitum liceat an tibi scamnis,
Videbo, Didyme : non licet maritorum

MART. V, XLI, 7 sq. *de spadone.*

Odoramentis spargebantur theatra, nempe croco aqua diluto, latentibus fistulis in nimbum projecto.

« In honorem Trajani balsama et *crocum* per gradus theatri fluere jussit. »

SPART. *in Hadrian.*

« Numquid dubitas quin sparsio illa, quæ ex fundamentis mediæ arenæ crescens in summam altitudinem pervenit, cum intentione aquæ fiat ? »

SENEC. *Quæst. nat.* IX, 2.

De scena et arena migravit hoc sparsionis genus in

triclinia et super convivas. Vid. Plutarch. *in Othone*, et Sueton. *in Nerone*, 31.

Græcano ritu, theatrum non spectandi solum, sed et *concionandi* locus. Vide Vitruv. VII, 5. Tangitur hic usus a Cicerone *pro Valerio*, et ab Apuleio *in Florid.*

« Sanctus Martialis cum discipulis suis perrexit ad theatrum prædicare evangelium regni. »

AURELIAN. *in vita D. Martialis.*

THYRSUS. — Pro mentula.

Arentque sulcos molli in arvo venerio,
Thyrsumque pangant hortulo in cupidinis.

APUL. Ἀνεχόμ. 16 sq.

THLASIÆ. — Mere græcum. Θλασίας cui testes sunt contusi; a θλάω, *frango*. Vid. *lib.* 121, *ff. de verb. significat.*

THLIBIÆ. — Θλιβίας, spado, cui testes elisi. A θλίβω, premo. Vide EUNUCHUS.

TIBICINÆ. — Puellæ tibia canentes per plateas; pleræque scorta. Adhibebantur in nuptiis et comessationibus. Vide Tiraquell. *ad. Alex.*

« Fidicinas, *tibicinas*, Sambucinas advexit secum forma eximia. »

PLAUT. *Stich.* II, II, 56 sq.

Ebria nos madidis rumpit *tibicina* buccis :
Sæpe duas pariter, sæpe monaulon habet.

MART. XIV, LXII, 1 sq.

TICIDA. — Poeta eroticus de quo Ovid. *Trist.* II, 433.

TOGA. — Notum est alio apud Romanos vestitu procedere solitas virgines ingenuas et matronas, alio ancillas et meretrices ; quod probat Ulpianus, *lib.* XV *de*

Injuriis, quum *minus peccare* eum dicit, qui virginem ancillari veste appellaverit, aut matronam meretricia indutam, quam si suis vestibus uterentur. Vid. Tertull. *de Habitu muliebri*, et *de Cultu fœminarum*.

Toga ergo est vestimentum breve, quo primitus utebantur Romani cujuscumque ordinis. Unde *gens togata* pro populo romano.

Postea ei humilior facta, fuit servorum indumentum, clientarum et parasitarum. Vide Mart. VI, LXVIII, et Juv. I, 96.

Toga muliebris non dissimilis virili, sed peculiaris ancillis et meretricibus. Inde matronæ ob adulterium damnatæ, aut dimissæ, *togam* induere cogebantur, in signum amissæ castitatis. Vide ADULTER.

> Damnetur, si vis, etiam Carfinia : talem
> Non sumet damnata *togam*. . .
>
> JUV. II, 69 sq.

> Coccina famosæ donas et ianthina mœchæ.
> Vis dare quæ meruit munera? mitte *togam*.
>
> MART. II, XXXIX, 1 sq.

Discrimen tamen hoc erat, inter damnatam matronam ob stupri crimen, et professas meretrices, quod *toga* damnatæ candido erat colore, ut hac nota facilius internosci et excerni posset a scortis publicis, quibus jus vestis albatæ non erat, sed tantum pullatæ, ex ædilium lege. Hinc :

TOGATA. — Pro meretrice.

> Sed patris ad speculum tonsi, matrisque *togatæ*
> Filius, et sponsam possit te sponsa vocare.
>
> MART. VI, LXIV, 4 sq.

Tollere puerum. — Vid. Infantes, ubi fusius inter alia agitatur de hoc more infantium a parentibus suscipiendorum.

« Mihi necesse est ire hinc : verum quod erit natum, *tollito.* »

Plaut. *Amph.* I, iii, 3.

Tonsores. — Genus vilissimum.

« Mollitiem sæculi illius considera; homines enim elegantes, haud contenti olim catamitis ad pocula, calonibus ad lecticam, forma et patientia conspicuis, ... etiam *tonsores* insuper in ministeriis, immo *in deliciis* habebant. Quorum frequenti opera, non in tondenda coma, pilisque vellendis modo, aut barba rasitanda, sed vero et pygiacis sacris cinædice, ne nefarie dicam, de nocte administrandis utebantur. »

Douza, *Præcidan. in Petron. lib.* II, *cap.* iii.

Tonsus ad speculum. — Qui vitam degit inter volsellas et specula.

Sed patris *ad speculum tonsi*, matrisque togatæ
Filius. . . .

Mart. VI, lxiv, 4 sq.

Genus hoc trossulorum sic arguit Seneca :

« Quid? hos otiosos vocas, quibus apud *tonsorem* multæ horæ transmittuntur; dum decerpitur si quid proxima nocte succrescit; dum de singulis capillis in consilium itur; dum aut dijecta coma restituitur, aut deficiens hinc atque illinc in frontem compeditur?

« Quomodo irascuntur, si *tonsor* paulo negligentior fuit, tanquam virum tonderet? quomodo excandescunt, si quid ex juba sua decisum est, si quid extra ordinem jacuit, nisi omnia in annulos suos reciderunt? »

« Quis est istorum qui non malit rempublicam turbari quam comam; qui non sollicitior sit de capitis decore quam de salute; qui non comptior esse malit quam honestior? »

Senec. *de Brevitate vitæ.*

Vide Trossulus.

Torus. — Sæpissime pro concubitu.

Sæpe ego lascivum Martem furibunda cecidi,
Legitimos isset quum vagus ante *toros*.

Mart. VI, xxi, 5 sq.

Hunc semper Norbana diem cum conjuge Caro
Læta colat, primis quo coïere *toris*.

Mart. VII, lxxiv, 7 sq.

Totus. — Verbum venereum. Ad rem paratus, tensus.

« Ecquid hodie *totus* venisti? »

Petron. *Sat.*

« Arctissime namque complexatum me prorsus, sed *totum* recepit. »

Apul. *Met.* I.

Sed tamen, Nymphæ, cavete quod Cupido pulcher est:
Totus est in armis idem, quando nudus est Amor.

Pervigil. Ven. 33 sq.

Trabs. — Pro pene.

O Memmi, bene me ac diu supinum
Tota ista *trabe* lentus irrumasti.

Catull. XXVI, 9 sq.

Tractare. — Virilia manibus sollicitare.

At non longa satis, non stat bene mentula crassa,
Et quam si *tractes*, crescere posse putes.

Priap. Carm. LXXXI, 1 sq.

Tractator, Tractatrix. — Puer aut puella cujus ministerium erat corpus undique fricare, manuque levi pinsere, ratione tum sanitatis, tum voluptatis.

Percurrit agili corpus arte *tractatrix*,
Manumque doctam spargit omnibus membris.

Mart. III, lxxxii, 13 sq.

Tractatio.

« Torum frequenti *tractatione* vexavi, amoris mei quasi quamdam imaginem. »

Petron. *Sat.*

Tradere. — Aliquando in obscenis.

> *Traditur* ecce viro clarus genere atque opibus vir.
>
> Juv. II, 129.

Tramite seminali imbuere. — Vim procreandi exercere.

> Perque cælum, perque terras, perque pontum subditum,
> Pervium sui tenorem *seminali tramite*
> *Imbuit*, jussitque mundum nosse nascendi vias.
>
> *Pervigil. Ven.* 58 sqq.

Trepidare. — Libidinis titillatione subsilire.

> . . . . liquido quum plasmate guttur
> Mobile colluerit, patranti fractus ocello,
> Hic neque more probo videas, neque voce serena
> Ingentes *trepidare* Titos. . . .
>
> Pers. I, 17 sqq.

Tribas. — Nota est miserrima hæc libido, qua fœmina fœminam adscendit. Mere græcum, τρίβας, id est frictrix.

> Noctibus hic ponunt lecticas, micturiunt hic,
> Effigiemque deæ longis siphonibus implent;
> *Inque vices equitant*, ac, luna teste, moventur.
>
> Juv. VI, 309 sqq.

> Lenonum ancillas posita Saufella corona
> Provocat, et tollit pendentis præmia coxæ:
> Ipsa Medullinæ *frictum crissantis adorat.*
>
> Idem, VI, 320 sqq.

> Ipsarum *tribadum tribas* Philæni,
> Recte, quam futuis, vocas amicam.
>
> Mart. VII, lxx, 1 sq.

> Inter se geminos audes committere cunnos,
> Mentiturque virum prodigiosa venus.
>
> Mart. I, xci, 7 sq.

Sed raro fœminarum sat grande murtum, ut tanquam parte virili uti possint; pleræque ergo *tribades* pudendis suis penem fictitium alligabant, e corio aut

pannis confectum. Vide Tertull. *de Pall.* IV, et verbum FASCINUM, et div. Paul. *Epist. ad Romanos*, I.

Non tantum fœminas, sed et pueros agebant *tribades*.

Pædicat pueros *tribas* Philænis,
Et tentigine sævior mariti
Undenas vorat in die puellas.

MART. VII, LXVII, 1 sqq.

TRIPHALLUS. — Τρίφαλλος, cognomen Priapi; ex amplitudine penis ejus. Quasi dicas æqualem mensura tribus mentulis.

At, o *Triphalle*, sæpe floribus novis
Tuas sine arte deligavimus comas.

Priap. Carm. LXXXIV, 9 sq.

TRISTIS PUELLA. — Quæ rogata venerem recusat.

Nil opus est fletu : lacrymis erit aptius uti,
Si quando fuerit *tristior* illa tibi.

TIBULL. IV, IV, 21 sq.

Tu cave ne *tristi* cupias pugnare *puellæ*,
Neve superba loqui, neve tacere diu.

PROPERT. I, X, 21 sq.

TROSSULUS. — Colendi corporis ad ridiculum studiosus. Gallice *un dameret*.

« Nunc emunt *trossuli* nardo nitidi vulgo attico talento equum. »

VARR. *Sesquiulysses*.

Ab equitibus romanis, sic nugatorie dictis quod exteris ornatu et toto genere vitæ præstare vellent.

. . . . unde istud dedecus in quo
Trossulus exsultat tibi per subsellia lævis?

PERS. I, 81 sq.

TRUDERE. — In obscenis, ut patet ex carmine sequenti, non nupero, sed antiquitus scripto.

Monachi :

En sumus hic nos tres, vos tres supponite nos tres;
Nam sumus ex illis qui *trudimus illud in illis.*

Respondent monachæ :

Adsumus et nos tres, vos tres supponite nos tres;
Nam sumus ex illis qui cludimus illud in illis.

BEBELII *Facet.*

TRUSARE. — Flaccidulo pene fœminam inire. Vide Comment. in Catull.

Deprendi modo pupulum puellæ
Trusantem. . . .

CATULL. LII, 5 sq.

TUBUS. — Inguen muliebre.

Modo qui per omnes viscerum *tubos* ibat,
Et voce certa consciaque dicebat,
Puer, an puella matris esset in ventre.

MART. XI, LXII, 6 sqq.

TUMERE. — Libidine inflammari; arrigere.

. . . . *tument* tibi quum inguina, num si
Ancilla aut verna est præsto puer, impetus in quem
Continuo fiat, malis tentigine rumpi?

HOR. *Sat.* I, II, 116 sqq.

TUMOR. — Eodem sensu.

Repente nervus excitet libidinem,
Et inquietus inguina arrigat *tumor*,
Neque incitare cesset, usque dum mihi
Venus jocosa molle ruperit latus.

Priap. Carm. LXXXIV, 41 sqq.

TUNICAM TOLLERE. — In obscenis.

Promisit pariter se Phyllis utrique daturam,
Et dedit : ille pedem *sustulit*, hic *tunicam*.

MART. X, LXXXI, 3 sq.

TURGERE. — Ardere ad venerem.

« Nunc in fermento tota est, ita *turget* mihi. — Edepol, ego illam mediam diruptam velim. »

PLAUT. *Casin.* II, v, 17 sq.

TURTUR. — Pro pene.

« Ubi ego capiam pro machæra *turturem.* »

PLAT. *Bacch.* I, I, 35.

TURTURILLA. — Lupanar.

« Ita dictus locus in quo corruptelæ fiebant, quod ibi *turturi* opera daretur, id est peni. »

ISIDOR. *Gloss.*

TURTURILLÆ. — Molles, impudici.

« Isti quos publica quies, aliis laborantibus, molliter habet, *turturillæ* sunt. Tuti contumeliæ caussa. »

SENEC. *Epist.* 96.

Vide eumdem, *de Provident.* V.

TUSCI MODI. — Schemata libidinis; a *Tusciæ*, id est, Etruriæ populis, quorum filias ex quæstu meretricio dotem sibi comparare solitas tradit Herodotus.

« ... ubi ex *Tusco modo* Tute tibi indigne dotem quæras corpore. »

PLAUT. *Cistell.* II, III, 20 sq.

Aut ex *Tusco*, vico Romæ, quo degebat vilissima plebecula. Inde Horatius :

. . . . *Tusci* turba impia vici.

Sat. II, III, 228.

Et Plautus :

« In *Tusco* vico, ibi sunt homines qui ipsi sese venditant. »

Curcul. IV, I, 21.

TUTUNUS. — Cognomen Priapi. Vide Carol. Steph. *Dict. historic.*

Tympanum. — Symbolum cinædorum et mollium, a Cybeles sacerdotibus, quibus peculiare. Hinc amarum illud in Augustum:

« Viden' ut cinædus *orbem digito* temperet? »

Suet. *in Aug.* 68.

« Cur non adhibuisti, dum istæc loqueris, *tympanum?* Nam te *cinædum* esse arbitror magis quam virum. »

Plaut. *Pœnul.* V, v, 38 sq.

« *Tympanotriba*, mollis, effœminatus, quales erant Cybelæ sacerdotes. »

Turneb. *Adv.* XXIV, 27.

UMBR

Uda puella. — Quæ voluptate madet. Sic Martialis de libris obscenis, qui manu una tenentur.

Tu quoque nequitias nostri lususque libelli
Uda puella leges, sis Patavina licet.
Erubuit, posuitque meum Lucretia librum;
Sed coram Bruto; Brute, recede, leget.

Mart. XI, xvii, 7 sqq.

Umbilicus. — Mulierum pudenda.

« Lumbos et *umbilicum* accipit Hieronymus, pro viri mulierisque genitalibus, ubi de diabolo sic pronuntiat Job: « Virtus ejus in lumbis, et potestas ejus in *umbilico.* » Sic et in Ezechiele de Hierusalem: « Non est præcisus *umbilicus* tuus. »

Cæl. Rhod. *Lect. ant.* IV, 7.

Umbraticola. — Iners ad venerem, mollis, effœminatus; de amasiis urbanis qui sub *umbra* tectorum mollescunt corpore et animo.

« Mœchum, malacum, cincinnatum, *umbraticolam*, tympanotribam Amas.... »

Plaut. *Trucul.* II, vii, 49 sq.

Una mulier. — Sine mœcho; quæ uno viro contenta est.

« Sic etiam in tragœdiis; quid enim est illud? quæ *mulier una?* quid inquam est? »

Cic. *Epist. ad Fam.* IX, 22.

Univira. (*Tert.*) **Univiria.** — Quæ secundis nuptiis abstinet.

« Hujus uxor Calpurnia fuit sancta et venerabilis.... Quam majores nostri *univiriam* sacerdotem inter sacratissimas fœminas adorarunt. »

Treb. Poll. *de Tito.*

Unguenta.—Ad usum utriusque sexus. De luxu *unguentorum* J. Bernatius ad *lib.* I *Silv.* Statii, ubi copiose. De abusu vero sic Plautus:

« ... mulier recte olet, ubi nihil olet; Nam istæc veteres, quæ se *unguentis* unctitant, interpoles, Vetulæ, edentulæ, quæ vitia corporis fuco occulunt, Ubi sese sudor cum *unguentis* consociavit, illico Itidem olent, *quasi quum una multa jura confudit cocus.* »

Plaut. *Mostell.* I, iii, 116 sqq.

In balneis, tum publicis, tum privatis, post lotionem totum corpus *unguentis* perfundebant. Vid. Balnea.

Et in secretis, palæstraque venerea, antequam luctarentur, odoramentis se perungebant, ut et simul excitaretur uredo, necnon sudantium membrorum et veneris ipsius odor emendaretur.

Nam te non viduas jacere noctes
Nequicquam tacitum cubile clamat,
Sertis et syrio fragrans olivo.

Catull. VI, 6 sqq.

Non torum solum, sed cubiculum totum et supellectilem ungebant.

Unguentatus. — Pro molli et cinædo.

« Quotidie *unguentatus* adversus speculum ornetur, cujus supercilia radantur, qui barba vulsa, feminibusque subvulsis ambulet; qui in conviviis, adolescentulus cum amatore, cum chirodata tunica, inferior adcubuerit; qui non modo vinosus, sed virosus quoque sit; quum ne quisquam dubitet, quin idem fecerit, quod cinædi facere solent. »

Afranius, *ad Gellium*, VII, 22.

Diceris male te a tuis,
Unguentate, glabris, marite,
Abstinere : sed abstine.

Catull. LVI, 141 sqq.

Uredo. — Pruritus, incentivus libidinis ardor. Vide Beroald. *in Apul.* I, 18.

Urina. — Pro semine genitali.

. . . . Major tamen ista voluptas
Alterius sexus : magis ille extenditur, et mox
Auribus atque oculis concepta *urina* movetur.

Juv. XI, 166 sqq.

Sic et idem VI, 64 : *Tuccia vesicæ non imperat.*

Romanis turpe erat atque ominosum suo nomine lotium illud appellare. Inde multiplices circumlocutiones pro *urina*. Sic Seneca *humorem obscenum* dicit, *aquam immundam*, etc. Eadem de causa vas urinarium nominare vitabant, digitorum crepitu poscentes.

Digiti crepantis signa novit eunuchus,
Et delicatæ suscitator *urinæ*
Domini bibentis ebrium regit penem.

Mart. III, lxxxii, 15 sqq.

Urtica. — Sæpissime eodem sensu quo Uredo.

Usurarius. — Catamitus.

[redacted]

« Cupio aliquem emere puerum, qui usurarius Nunc mihi quæratur. »

PLAUT. *Curcul.* III, 1, 12 sq.

USURARIA. — Quæ viro non propria, sed tantum ad usum, et tanquam mutuatitia.

« Nulla datur propria fœmina (regi), sed per vicissitudines, in quacumque commotus fuerit, *usurariam* sumit. »

SOLIN. *de Hebudibus.*

« In faciem vorsus Amphitruonis Juppiter, Dum bellum gereret cum Telebois hostibus, Alcmenam uxorem cepit *usurariam.* »

PLAUT. *Amphitr. argum.* 1 sqq.

USUS. — Coitus.

At te, qui puerum donis corrumpere es ausus,
Rideat adsiduis uxor inulta dolis;
Et quum furtivo juvenem lassaverit *usu*,
Tecum interposita languida veste cubet.

TIBULL. I, IX, 53 sqq.

UVA IMMITIS. — Immatura. Libro de præceptis connubialibus, scripsit Plutarchus, eos, qui prima virginum dissidia non ferunt, nihil differre ab illis, qui quum in uvam forte acerbam inciderint, maturas aliis relinquunt : ac vicissim, novas plerasque nuptas, quæ primo congressu sponsos non ferunt, idem pati quod illi, qui quum apis ictum jam pertulere, favum aliis concedunt. Unde sententia, exspectandum esse virginis maturitatem, et crudæ indulgendum, dum jugo assueta mitescat.

. . . . tolle cupidinem
Immitis uvæ : jam tibi lividos
Distinguit autumnus racemos
Purpureo varius colore.

HOR. *Od.* II, V, 9 sqq.

Uxores. — Pro meretricibus.

Conviva quisquis Zoïli potest esse,
Summœnianas cœnet inter *uxores*...

MART. III, LXXXII, 1 sq.

Uxorcula. — In blanditiis.

« Corpusculum melliculum. — Mea *uxorcula*. »

PLAUT. *Casin.* IV, IV, 19.

Uxorius. — Qui ignave *uxori* suæ subditus est. Rogatus Metellus, cur Marci filiam prædivitem, forma nobilem et genere claram, ducere tamen nollet : *Malo, ait, esse meus quam suus.*

« Amanti argento filio auxiliarier Sub imperio vivens volt senex *uxorio*. »

PLAUT. *Asin. argum.* 1 sq.

VACU

Vacare. — Gaudiis veneris carere.

Tu quod sæpe soles, nostro lætabere casu,
Galle, quod abrepto solus amore *vacem*.

PROPERT. I, XII, 1 sq.

At tu non una potuisti nocte *vacare*,
Impia, non unum sola manere diem.

IDEM, II, X, 19 sq.

Hinc :

Vacans mulier. — Pro vidua apud jurisconsultos. (*Martianus, in l.* V, §. 2, *ad legem Juliam.*) Et:

Vacuus. — Eodem sensu.

« Sed ubi mulier *vacua* fuit, nectere moras. »

TACIT. *Annal.* XIII.

Semper enim *vacuos* nox sobria torquet amantes,
Spesque timorque animos versat utroque modo.

PROPERT. III, XVII, 11 sq.

Vacatio maritalis. — Officium veneris. (*Martianus Felix, lib.* I.)

Vaga puella. — Scortum per vicos et plàteas quæstum faciens.

Non est illa *vagis* similis collata *puellis*.
PROPERT. I, v, 7.

Vagus amor. — De viro qui per toros vagatur instabili amore.

Hi faciunt, ut sis fœmina sola viro;
Hi dant, quod non vis uxor dare. Do tamen, inquit,
Ne *vagus* e thalamis conjugis erret *amor*.
MART. XII, xcvi, 6 sqq.

Vagina. — In obscenis, pro cunno aut podice.

« Noctu in vigiliam quando ibat miles, tum tu ibas simul?
Conveniebatne in *vaginam* tuam machæra militis? »
PLAUT. *Pseudol.* IV, vii, 84 sq.

Valens, Valentulus. — Vir aut mulier corporis solidi et succo pleni, ut necesse est ad officium veneris.

« Obsecro ut *valentula* est. »
PLAUT. *Casin.* IV, iv, 26.

Conjuges bene vivite, et
Munere adsiduo *valentem*
Exercete juventam.
CATULL. LVI, 233 sqq.

E quibus ut scires quicumque *valentior* esset,
Hæc es ad arrectos verba locuta procos.
Priap. Carm. LXIX, 23 sq.

Vallis femorum. — Mulierum pudenda.

De *valle femorum* altrinsecus pares rugas,
Mediumque, fissi rima qua patet, callem
Ψ dicit esse. . .
AUSON. *Epigr.* CXX, 5 sqq.

Vallis alarum. — Axillæ.

> Lædit te quædam mala fabula, qua tibi fertur
> *Valle* sub alarum trux habitare caper.
>
> Catull. LXIV, 5 sq.

Vannere. — Dicebatur de fœmina sub viro crissante alternis motibus; similitudine *vanni* frumentarii.

> Hunc molere, illam autem ut frumentum *vannere* cunnis.
>
> Lucil. *Frag.* VII, 11.

> Crissavit, ut si frumentum clunibu' *vannat*.
>
> Idem, *Frag.* XI, 14.

Vas, Vasculum. — Id quo viri sumus. Peculiariter, colei, mentula.

« Mox manum etiam demisit in sinum, et pertracto *vasculo* tam rudi, etc. »

Petron. *Sat.*

« Quid id est? — Refero *vasa* salva. »

Plaut. *Pœnul.* IV, II, 41.

> Hinc legimus, Circen, Atlantiademque Calypso
> Grandia Dulichii *vasa* petisse viri.
>
> *Priap. Carm.* LXIX, 15 sq.

Vasa libidines referentia.

« Centenaria *vasa* habuit Heliogabalus schematibus libidinosis inquinata. »

Lamprid. *in Heliogab.*

Vaticanus. — Deus invocatus quum puelluli fari incipiunt, ut vox eorum clara fiat et amœna. Sic dictus ab infantium vagitu.

« Neque enim audent aliquas partes tribuere *Vaticano*, qui infantium vagitibus præsidet. »

Aug. *de Civitate Dei*, IV, 8.

Vide Gyrald. *Syntax. deorum.*

VENA. — Pro pene.

> O quoties rigida pulsabis pallia *vena*,
> Sis gravior Curio Fabricioque licet!
>
> MART. XI, XVII, 5 sq.

> Non sum de fragili dolatus ulmo;
> Nec quæ stat rigida supina *vena*,
> De ligno mihi quolibet columna est.
>
> MART. VI, XLIX, 1 sqq.

VENARI. — De illo aucupio quo fœminæ viris insidiantur; frequentissima translatio apud scriptores eroticos.

> « Pithecium hæc est præ illa et spinturnicium. Viden' tu illam oculis *venaturam* facere, atque aucupium auribus? »
>
> PLAUT. *Mil.* IV, 1, 42 sq.

VENATIONES LUDICRÆ. — Simulacra venationis, quorum duplex genus. Unum, veræ dimicationis in feras arenarias; alterum vero, direptionis. Prius edebatur in amphitheatro; posterius, in circo.

Venatione in amphitheatrica, primitus tantum dimicabant damnati ad bestias, unde sæpe dicti *damnati ad ludum*. (Tertull. *de Spectacul.* 10.)

Sed ad extremum temporis, liberi et ipsi se feras dimicaturos offerebant; neque plebeii solum, sed et equites, viri prætorii, senatores, et, quod horrendum dictu, necnon *fœminæ ingenuæ*.

> « Etiam *venationes*, gladiatoresque, et noctibus ad lychnuchos: nec virorum modo pugnas, sed et *fœminarum* (edidit.) »
>
> SUETON. *Domit.* 4.

Sic et carpens Juvenalis hanc mulierum venationem:

> Quum tener uxorem ducat spado, Mævia tuscum
> Figat aprum, et nuda teneat venabula mamma.
>
> JUV. I, 22 sq.

Hos inter fremitus, novosque luxus,
Stat sexus rudis insciusque ferri,
Et pugnas capit improbus viriles, etc.

STAT. *Sylv. ult. lib.* I.

Belliger invictis quod Mars tibi sævit in armis,
Non satis est, Cæsar; sævit et ipsa Venus.

MART. *de Spectacul.* VII, 1 sq.

VENDERE. — Verbum nuptum. Se aut alios ad stuprum tradere.

« Quia nosti venerem tuam, superbiam captas, *vendisque* amplexus non commodos. Quo enim spectant flexæ pectine comæ? quo facies medicamine attrita, et oculorum quoque mollis petulantia?... Nisi quod formam prostituis ut *vendas*?... Sive ergo nobis *vendis* quod peto, mercator paratus est. »

PETRON. *Sat.*

Jam tu qui venerem docuisti *vendere* primus,
Quisquis es, infelix urgeat ossa lapis.

TIBULL. I, IV, 59 sq.

VENIRE. — Scilicet ad stuprum.

De me mî certe poteris formosa videri,
Mî formosa satis, si modo sæpe *venis*.

PROPERT. II, XIX, 29 sq.

VENTER. — *Ventrem* jurisconsulti sæpe appellant et mulierem ipsam gravidam, et puerum qui in utero est.

« Antiqui libero *ventri* ita prospexerunt, ut in tempus nascendi integra reservarent. »

ff. V, IV, 3.

Tibi hospitale pectus, et puræ manus,
Tuusque *venter* partumeius, et tuo
Cruore rubros obstetrix pannos lavit,
Utcumque fortis exsilis puerpera.

HOR. *Epod.* XVII, 49 sqq.

Ventus textilis. — Vestes perlucidæ quibus totum corpus perspicuum manebat.

> Æquum est induere nuptam *ventum textilem*,
> Palam prostare nudam in nebula linea?
>
> Petron. *Sat.*

« Ingrediuntur expolitæ libidinum victimæ, et tenuitate vestium nudæ oculis ingeruntur. »

Hieronym. *ad Heloid.*

Venus. — Amorum dea, mundi perpetua genitrix. Sic dicta a *veniendo*, quod ad res omnes veniat. (*Cic. de Natura deorum*, II.) Natam fabulantur poetæ ex Cæli testiculis a Saturno excisis et projectis in mare.

Nuda pingebatur, cesto tantum præcincta.

> *Nuda* recede, *Venus*; non est tuus iste libellus;
> Tu mihi, tu, Pallas Cæsariana, veni.
>
> Mart. VIII, 1, 3 sq.

Pæne innumera *Veneris* cognomina, tum ex locis quibus colebatur, tum ex rebus aut actis quibus præerat. Vide Serv. *Annotat. in Virgil. Æneid.* I. Notabilia enumerabimus:

Venus bona. — Conjugalis.

> Ut libentius audiens
> Se citarier ad suum
> Munus, huc aditum ferat
> Dux *bonæ Veneris*, boni
> Conjugator amoris.
>
> Catull. LVI, 41 sqq.

Venus casta. — Quæ præest legitimo concubitui.

> Præstatur cano tanta indulgentia cunno,
> Quem ne *casta* potest jam decuisse *Venus*.
>
> Mart. II, xxxiv, 3 sq.

Venus hetæra. — Apud Athenienses. Sic dicta, quod

proprium est illi amicos amicasque socialiter congregare.

« Scortilla vero nundinati pudoris *hetæras* universim amicitiæ nomine Græci nuncuparunt. »

CÆL. RHOD. *Lect. antiq.* XIV, 4.

VENUS PLEBEIA. — Ancillarum et scortorum humilioris generis.

Si *plebeia Venus* gemino tibi vincitur asse,
Si tua non rectus tecta subire potes.

MART. II, LIII, 7 sq.

VENUS VULGARIS. — A meretricibus invocata, ut felix sit quæstus et copiosus.

Numina *vulgaris Veneris* celebrate, puellæ,
Multa professarum quæstibus apta *Venus;*
Poscite thure dato, formam, populique favorem,
Poscite venditias, dignaque verba joco.

OVID. *Fast.* IV.

VENUS. — Pro clitoride.

Inter se geminos audes committere cunnos,
Mentiturque virum prodigiosa *venus.*

MART. I, XCI, 7 sq.

VENUS. — Pro venustate.

« Quia nosti *venerem* tuam, superbiam captas, etc. »

PETRON. *Sat.*

VENUS. — Pro coitu.

Huic tamen accubuit noster puer; hunc ego credam
Cum trucibus *venerem* jungere posse feris.

TIBULL. I, IX, 75 sq.

VENUS FURTIVA.

Utque viro *furtiva venus*, sic grata puellæ
Et strepitu nullo. . . .

OVID. *Art. amat.* I, 275 sq.

[redacted]

Quid me spernis ? ait ; poterat custodia vinci,
Ipse dedit cupidis fallere posse deus.
Nota *venus furtiva* mihi est, ut lenis agatur
Spiritus, ut nec dent oscula rapta sonum.
Et possum media quamvis obrepere nocte,
Et strepitu nullo clam reserare fores.

TIBULL. I, VIII, 55 sqq.

VENERES. — Pro gaudiis et voluptatibus.

. . . . . Dic, senior bulla dignissime, nescis
Quas habeat *veneres* aliena pecunia ?..

JUV. XIII, 33 sq.

VENUSTAS.

« Dignitatem et *venustatem* discerni voluit Marcus Tullius, ut dignitas viris, *venustas* fœminis sit attribuenda. »

NON. MARC.

Vide *de Offic. lib.* I.

VER. — Pro puella tenellula et formosa.

« *Ver* vide : Ut tota floret ! ut olet ! ut nitide nitet ! »

PLAUT. *Trucul.* II, IV, 2 sq.

Tu mihi da contra pro verno flore tuum *ver*,
Ut nostra exsuperes munera muneribus.

APUL. *ex Catalectis vet. poet.*

VERA PUELLA. — Juvencula primi floris, quæ fuco annos non mentitur.

Seu caperis primis, et adhuc crescentibus annis,
Ante oculos veniet *vera puella* tuos.

OVID. *Art. amat.* I, 61 sq.

VERENDA. — (*Plin. jun.*) Pudenda utriusque sexus.

VERETRUM. — Mentula.

« Nam sæpe in ipso opere venereo, dum *veretrum* infra cunnum agitatur, fervente ipso motu libidinis, ante jactum seminis virilis (fœminæ) frequenter semen emittunt. »

Q. SORANI *Pseudepist. de Priapismo Cleopatræ*, IV, *in fine.*

VERNA. — Proprie qui domi natus ex ancilla.

> . . . . . . et infantes ludebant quatuor, unus
> *Vernula*, tres domini. . . .
>
> JUV. XIV, 168 sq.

> . . . . futuit ancillas,
> Domumque et agros implet equitibus *vernis*.
>
> MART. I, LXXXV, 3 sq.

VERPA. — Virga virilis; a verrendo: similitudine instrumenti quo camini verruntur.

> . . . . nam nihilo minore *verpa*
> Es fartus. . . .
>
> CATULL. XXVI, 4 sq.

> Quæ quot nocte viros peregit una,
> Tot *verpas* tidi dedicat salignas.
>
> *Priap. Carm.* XXXIV, 4 sq.

Hinc:

VERPI. — Pro Judæis, tanquam *verpa* signatis; nam circumcisione nudatur penis eorum. Sic acriter Juvenalis de Romanis judaizantibus:

> Quidam sortiti metuentem sabbata patrem,
> Nil præter nubes et cæli numen adorant;
> Nec distare putant humana carne suillam,
> Qua pater abstinuit; mox et præputia ponunt.
> Romanas autem soliti contemnere leges,
> *Judaicum* ediscunt, et servant ac metuunt jus,
> Tradidit arcano quodcumque volumine Moses.
> Non monstrare vias eadem nisi sacra colenti,
> Quæsitum ad fontem solos deducere *verpos*.
>
> JUV. XIV, 96 sqq.

VERVEX. — Imbellis ad venerem, quum *verveces* sint castrati.

« Liberi loci potestas sit vetulis *vervecibus*. »

PLAUT. *Casin.* III, II, 5.

[redacted]

« Quam quum *verveceus* Jupiter bene validam, floridam et succi esse conspiceret plenioris, etc. »

ARNOB. *adv. Gent.* V.

VESICA. — In obscenis, de podice ; sensu pædicationis.

« Ut quia te tango, mel mî videor lingere! — Effodere hercle hic volt, credo, *vesicam* villico. — Ultro te amator, apage te a dorso meo. »

PLAUT. *Casin.* II, VIII, 21 sqq.

VESTES CROCOTULÆ. — Odoribus suffectæ ; ad usum mulierum et effœminatorum. A *croco*, qui est species nardi. Vide Cic. *de Aruspisc.*

« Quid istæ, quæ *vesti* quotannis nomina inveniunt nova : Tunicam rallam.... caltulam, aut *crocotulam.* »

PLAUT. *Epidic.* II, II, 45 sqq.

Vobis *picta croco* et splendenti murice *vestis.*

VIRGIL. *Æneid.* IX, 614.

VESTES INCESTÆ. — Indumenta quibus sternebatur more antiquo novæ nuptæ lectus genialis.

« Thalamum *incesta* exornaverat *veste.* »

PETRON. *Sat.*

VESTES PURÆ. — Quæ dabantur agentibus annum decimum sextum.

Tempore quo primum *vestis* mihi tradita *pura* est,
Jucundum quum ætas florida ver ageret,
Multa satis lusi. . . .

CATULL. LXIII, 15 sqq.

Hinc :

VESTICEPS. — Pro adolescente. (*Fest.*) Contra *investis* dicebatur pro impubere.

VESTICONTUBERNIUM FACERE. — Rem agere eodem lecto ; concubare, coire ; a vestibus et stragulis quibus

exornabatur torus nuptialis, ut jam diximus verbo VESTES INCESTÆ.

« Et quid agebas, inquit, frater sanctissime? quid *vesticontubernium facis?* »

PETRON. *Sat.*

Nemo tentis mentulis, det nemo nervis otium;
Ecce passeres salaces, ecce rauci turtures
Hac super virente myrto nos amoris admonent
Cum puellis dulce inire *vesticontubernium.*

Carm. antiq. a Dousa editum.

VEXARE LECTUM, FOEMINAM. De senibus et diffututis, qui casso labore frustra venerem tentant.

Cum sene communem *vexat* spado Dindymus Æglen,
Et jacet in medio sicca puella toro.

MART. XI, LXXXII, 1 sq.

Desectos sic fama viros, ubi cassa libido
Fœmineos cultus, et non sua bella lacessit,
Irrita *vexato* consumere gaudia *lecto.*

AUSON. *Epigr.* CXXV.

VEXATÆ VESTES, COMÆ. — Deformatæ, quod accidit ex concussibus venereis. Signum furtivæ molitionis.

« Rapuit deinde tacenti speculum, et, postquam omnes vultus tentavit, quos solet inter amantes risus frangere, excussit *vexatam* solo *vestem*, raptimque ædem Veneris intravit. ».

PETRON. *Sat.*

. . . . . . nec, prima si luce egressa, reverti
Nocte solet, tacito bilem tibi contrahat uxor,
Humida suspectis referens multitia rugis,
Vexatasque comas, et vultum auremque calentem.

JUV. XI, 184 sqq.

VIA SACRA. — Scortis frequentissima.

Sola tibi fuerant sestertia, Miliche, centum,
Quæ tulit e *sacra* Læda redempta *via*....

MART. II, LXIII, 1 sq.

Vidua. — Non tantum de muliere cujus vir defunctus, sed de quacumque fœmina, quæ concubante caret Nam *vidua* idem est ac *vacua*.

Sic :

Vidua. — Pro virgine.

> Ut *vidua* in nudo vitis quæ nascitur arvo,
> Nunquam se extollit, nunquam mitem educat uvam...
> ....
> At si forte eadem est ulmo conjuncta marito,
> Multi illam agricolæ, multi coluere juvenci.
> Sic virgo, dum intacta manet, etc.
>
> Catull. LVII, 49 sqq.

Vidua. — Quæ concubitu caret, aut castitate, aut deficientibus admissariis.

> Decem per annos *vidua* respiciam virum ?
>
> Senec. *Agamem.* vers. 157.

« ... nupsitque hodie, Nubet mox noctu : nunquam ego hanc *viduam* cubare sivi; Nam si hæc non nubat, lugubre fame familia pereat. »

Plaut. *Cistell.* I, 1, 45 sqq.

« Psyche virgo *vidua* domi residens. »

Apul. *Met.* IV.

Vidua. — Quæ cum viro cubat, sed imbelli et nullo ad venerem.

« Se rectius *viduam*, et illum cælibem futurum fuisse contendere, quam cum impari jungere, ut elanguescendum aliena ignavia esset. »

Tit. Liv. I, *de Tullia majore.*

« Nupta ea est, an *vidua ?* — Et nupta et *vidua.*— Quo pacto potis *Vidua* et nupta esse eadem? — Quia adolescens nupta est cum sene. »

Plaut. *Mil.* IV, 1, 18 sq.

VIDUA NOX. — Quæ caret venere.

« An contentus fuit *vidua* pudicaque *nocte ?* »

PETRON. *Sat.*

Cur ego tot *viduas* exegi frigida *noctes ?*

OVID. *Ep.* XIX, 69.

VILIA MEMBRA. — Pudenda virorum.

Et secet ad Phrygios *vilia membra* modos.

TIBULL. I, IV, 70.

Cædunt jactatis *vilia membra* comis.

OVID. *Fast.* IV, 244.

VINCULA. — Id est amoris. Inter tritissima amasiorum vocabula. Nec sine sale tamen illud Apuleii :

Sic me custodi, Cosconia, neve ligata
Vincula sint nimium, neve soluta nimis.
Effugiam laxata nimis ; nimis aspera rumpam :
Sed neutrum faciam commoda si fueris.

Ex Catalectis veterum poetarum.

VIOLARE. — Puellam vitiare; contaminare.

« ... *violavit* virginem pro vitiavit, dicebant; seque eadem modestia potius, cum muliere fuisse, quam concubuisse dicebant. »

VARR. *de Ling. lat.* V.

VIR. — Pro marito. Similiter *mulier* pro uxore.

« *Vir* ego tuus sim ? ne me appella falso, falso nomine. »

PLAUT. *Amph.* II, II, 181.

Sic hodie rustici apud Gallos uxores suas vocitant *notre femme.*

VIR. — Pro genitali membro.

« Pinus illa quæ in sanctum matris deæ solemniter infertur, nonne illius est imago arboris, sub qua sibi Atys *virum* demissis genitalibus abstulit ? »

ARNOB. *Adv. Gent.* V.

Itaque ut relicta sensit sibi membra sine *viro.*
CATULL. *de Aty*, LVIII, 6.

PARUM VIR. — Effœminatus.

« Ut fortasse corpus vulsum, fractum incessum, vestem muliebrem, dixerit mollis et *parum viri* signa. »
QUINTIL. *Inst. orat.* V, 9.

« Hinc etiam turpibus indignisque in eum verbis non temperatum, quum *parum vir* ore quoque polluto diceretur. »
A. GELL. I, 5, *de Demosthene.*

Flectere te nolim, sed nec turbare capillos;
Splendida sit nolo, sordida nolo cutis.
Nec tibi mitrarum, nec sit tibi barba reorum.
Nolo *virum* nimium, Pannice, nolo *parum.*
MART. II, XXXVI, 1 sqq.

VIRUM QUÆRERE. — Quem videbant hominem, vestitu, victu, incessuque mollem, more pathicorum, de eo dicebant : *hic virum quærit.* Sic Cinna poeta de Pompeio magno :

Fasciola qui crura tegit, digito caput uno
Scalpit, quid credas hunc sibi velle? *virum.*
Editum a Scaligero.

.... Omnibus ergo
Scorta placent, fractique enervi corpore gressus,
Et laxi crines, et tot nova nomina vestis,
Quæque *virum quærunt.* . . .
PETRON. *Sat.*

VIRA. — Pro fœmina.

« Sed fœminas antiqui, quas nunc diximus, *viras* appellabant. Unde adhuc permanent *virgines* et *viragines.* »
FESTUS.

VIRAGO. — Fœmina fortis, quæ, modo virorum, virilia opera patrat.

Hoc concussa metu mentem, Juturna *virago*
Aurigam Turni media inter lora, Metiscum
Excutit. . . .

VIRGIL. *Æneid.* XII, 468 sqq.

. . . . Quoties Arcton populata *virago*
Hippolyte niveas ducit post prælia turmas.

CLAUDIAN. *de Raptu Proserpinæ, lib.* II.

« Huic uxor *virago*, quæ illum in hanc dementiam præcipitavit. »

VOPISC. *in Proculo.*

VIRIPOTENS. — Mulier nubilis et matura viro. Vide *ff.* LVI, II, 30.

VIROSA MULIER. — Ardens ad viros. (*Non. Marc.*)

Dixi ad principium venio, vetulam atque *virosam*
Uxorem cædam potius, quam castrem egomet me.

LUCIL. *Frag.* VII, 2.

Vigilans ac solers, sicca, sana, sobria;
Virosa non sum : et si sum, non desunt mihi
Qui ultro dent : ætas integra est, formæ satis.

AFRANIUS, *Divortio, apud Non. Marc.*

VIRIPLACA. — Dea matrimonialis ad quam, quoties quid jurgii inter virum et uxorem intervenerat, ibat uxor tamquam ad refugium. Parte sua, adeunte viro, persæpissime concordes revertebantur. Fanum *Viriplacæ* situm erat in decima urbis regione. Vide Val. Max. II, 1; Publ. Vict., etc.

VIRGO. — Quæcumque fœmina viripotens. Sic primitus dicta a viridiore ætate. Ergo puella quæ virum non adhuc ferre potest, non *virgo* dici potest.

Contra *virgo* nuncupabatur, fœmina ætatis floridæ etiam nupta : sic Virgilius de Pasiphae quæ jam tres partus ediderat :

Ah ! *virgo* infelix, quæ te dementia cepit !
Eclog. VI, 47.

Et divus Augustinus :

« Ludis turpissimis delectamur qui diis deabusque exhibebantur, cælestique *virgini* Berecynthiæ *matri* deorum omnium. »
Civ. Dei, II, 4.

VIRGO. — Pro veneris inscio. Dicebatur etiam de viris.

Concordes animo casto sociantur amore,
Virgo puer Christi, *virgo* puella Dei.
PAULIN. *in Epithalam. Juliani et Titiæ.*

VIRGINAL. — Pudendum muliebre. Vide Apul. *in Apolog.* et August. *de Civitate Dei*, VIII. Prudentio *virginal* locus erat quo virgines versabantur ; unde metaphora de loco ad rem.

« Intactum ab omni crimine *virginal.* »
PRUDENT. *Peri stephanon*, XIV, 8.

VIRGINENSIS DEA. — Venus ipsa. Juvenes enim, virginesque se sub Veneris imperio arbitrabantur ; sacra itaque ei concelebrabant, ut amore suo potirentur. Aliis dicta est *Fortuna virginalis ;* cui ædem exstruxit Servius Tullius apud portam Capenam.

« Puellarum togulas *Fortunam* defertis ad *virginalem.* »
ARNOB. *Adv. Gent.* II.

Vide *Rom. triumph.* I, et Augustin. *de Civit. Dei*, VI, 9.

VIRGULA. — Pro pene.

Virgo *virgulam* amat rigens rigentem,
Mentem explere suam nequit puella.
Ex Virgiliocentonibus ab auctore incerto.

VISCERA. — Pro utero fœmineo. Hinc apud juriscon-

sultos *visceribus vim inferre*, est partum abigere. Vide *Digest.* XLVIII, VIII, 8.

VITIO PATER. — Ab altera genitor quam propria uxore; dicebatur de illis qui vaga venere pueros suscipiunt.

> Huic semper *vitio pater* fuisti.
>
> MART. XII, LIII, 10.

Sic Plautus simili locutione :

> « *Suapte culpa* genere capiunt genus, ingenium improbant. »
>
> PLAUT. *Merc.* V, IV, 9.

VITTA. — Ligamen simul et ornamentum capillorum; pudicis mulieribus peculiare; unde meretricibus interdictum.

> Thais in arte mea est, lascivia libera nostra est.
> Nil mihi cum *vitta* Thais in arte mea est.
>
> OVID. *Remed.* 385 sq.

> Este procul, *vittæ* tenues, insigne pudoris,
> Quæque tegis medios, instita longa, pedes!
>
> OVID. *Art. Am.* I, 31 sq.

Matronis tantum primitus licita *vitta*, qua discernebantur a non nuptis; postea hanc usurparunt virgines ingenuæ, sed simplicem. Tunc matronæ duplicem sumpserunt.

VIVERE. — Absolute, pro gaudia quæcumque ambire et carpere. Omnes ergo voluptates complectitur.

> Heu! heu! nos miseros! quam totus homuncio nil est!
> Sic erimus cuncti, postquam nos auferet Orcus.
> Ergo *vivamus* dum licet esse bene.
>
> PETRON. *Sat.*

« Properate *vivere*, puerae, quas sinit ætatula ludere, esse, amare, Venerisque tenere bigas. »

VARR.

Sic Narbonæ, in veteri lapide :

ALIÆ. RESTITVTÆ. ANIMÆ. DVLCISSIMÆ. BELLATOR.
AVG. LIB. CONIVGI. CARISSIMÆ. AMICI. DVM.
VIVIMVS. VIVAMVS.

Hinc *Vitula* dea hilaritatis, et *vitulari* pro gaudere et voluptatibus frui. *Vitula* a *vita*. Vide Festum.

VOCALES. — Pueri et puellæ ad molles cantus instructi.

« Nanos et nanas, moriones, *vocales* et exoletos... populo donavit. »

LAMPRID. *in Alex. Sev.*

VOLUMNUS, VOLUMNA. — Deus et dea a conjugibus advocati ut semper *bene vellent* et viverent. Vide Gyrald. *Syntax. deorum*, I, et Struv. *Antiq. rom.* I.

VOLUPIA. — Dea voluptatis. Romæ fanum habebat in via sacra. Effingebatur cum sceptro, tanquam regina omnium viventium ; sed vultu sulcato et pallidiori ; ut accidit nimio gaudio exhaustis. Vide Cic. *de Natura deorum*, II ; Rosini, *Rom. antiq.* II.

VOLUPTAS. — Absolute, est res ipsa venerea. Sic Galli dicunt *le plaisir*.

VOLUPTATES. — Ludi spectacula.

« Et quid habemus in prandio ? quæ *voluptates* paratæ sunt ? qualis cras erit scena, quales circenses ? »

TREBELL. POLL. *in Gall.*

VORARE. — In obscenis.

« Ubi is homo' st ? — Jam *devorandum* censes, si conspexeris. »

PLAUT. *Asin.* II, II, 71.

Pædicat pueros tribas Philænis,
Et tentigine sævior mariti
Undenas *vorat* in die puellas.

MART. VII, LXVII, 1 sqq.

VOTUM PROSTITUTIONIS. — Fuit nonnunquam religiosum; teste enim Justino, bello pressi Locrenses, filias suas prostituendas vovere proximo Veneris festo, si victores fierent.

VULGA. — Vulva.

. . . . in *vulgam* penetrare pilosam.

LUCIL. *Frag.* III, 17.

VULGARE CORPUS. — Stupro suì copiam facere. Usitatissimum apud scriptores eroticos. Vide Gell. VI, 7, et Tit. Liv. IV.

VULVA. — Pro podice, tanquam cunni æmulo. Sic acerrime Persius de pathicorum exsecrabili familia :

Est prope te ignotus, cubito qui tangat, et acre
Despuat in mores : penemque, arcanaque lumbi
Runcantem, populo marcentes pandere *vulvas*.

PERS. IV, 34 sqq.

FINIS.